



EX-LIBRIS
V. DVCHATAVX
ADVOCATI
MENSIS
188

tatio-



EPISTOLARVM TVRCICARVM VARIORVM ET DIVERSORVM AVTHORVM,

LIBRI V.

IN QVIBVS EPISTOLÆ DE REBVS TVRCICIS SVMMORVM PONTIFICVM, IMPERATORVM, REGVM, PRINCIPVM, ALIORVMQVE mundi Procerum, iam inde à primordio regni Saracenici & Turcici vsque ad hæc nostra tempora leguntur.

41. Ex Libris Sanctæ Genovefæ Parisiensis 1753

Vltro citroque à Christianis & Turcis aliisque exteris nationibus scripta.

Opus non solum lectu iucundum & consultationi nostrorum temporum vtile, sed etiam ad cognitionem cum aliarum historiarum, tum potissimum de initijs, progressu & incrementis regni Turcici, maximè necessarium.

Ex recensione

NICOLAI REVSNERI LEORINI IC. COmitis Palatini Cæsarei, & Consiliarij Saxonici.

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest. & Electoris Saxoniæ.

FRANCOFORTI AD MOENVM,

Excudebat Iohannes Collitius, Impensis Pauli Brachfeldij.

Anno M. D. XCVIII.

AD REVERENDISSIMVM ILLVSTRISSIMVM CELSISSIMVMQVE PRINcipem ac Dominum, D. HENRICVM IVLIVM, Episcopum Halberstadiensem, Ducem Brunsuicensem ac Lunæburgensem, &c.

NICOLAI REVSNERI Præfatio.



Vod Sol ille Regum Salomon Reges ac Principes manet in Proverbijs, multo & sapiente cõsilio bellum suscipi atque administrari debere, Reverendissime & Illustrissime Princeps, Domine clemẽtissime: id haud scio an vllo vnquam tempore magis fuerit necessarium: quàm hoc ipso, in quo nunc constituti sumus, temporis articulo: quo tam grave & difficile bellum geritur cum immani & præpotente Turcarum tyranno, hoste Christiani nominis ac perduelle generis humani perpetuo. Quippe qui post tot orbis Christiani regiones subiugatas, nõ partem aliquam Germaniæ, non provinciam, non regnum, non Imperium salvum & incolume occupare satagit: sed ne quod nominis Christiani, ac imò etiam Christi ipsius, & fidei atque doctrinæ Orthodoxæ reliquum exstet; & vt in cinere patriæ, & sanguine vniuscuiusque nostrûm ipse admodum truculente & nefariè dominetur; nihil omnino intentatum relinquit. Plane igitur hoc ipsum tempus singulorum non modò auxilia verum etiam consilia efflagitat: hoc vnum vnicuique nostrûm propositum esse debet: vt in hoc summo & extremo rerum omnium discrimine ac periculo, quantum in se est, non solùm ope & opere ipso, verùm etiam ratione atque consilio: & tam arte quàm Marte; tam pectore quàm manu; tam prece quàm precio, fidem pietatemque suam exhibeat Reipub. Christianæ: quò tandem immanis ista vis & potentia hostis barbari funditus aboleatur, aut saltem reprimatur. Quam sanè ad rem confert plurimum superiorum temporum consilia, &

facta præterita in promptu & quasi munerato habere: ex quibus & de rebus præsentibus melius iudicari: & quid factu optimum sit, aut consultationi temporum nostrorum quàm maximè accommodatum, rectissimè deligi queat. Etenim, auctore Plinio, quæ futura sunt, plerunque sunt paria aut similia his, quæ iam facta sunt: &, vt Dionysius Halicarnassæus scribit, non aliunde melius consilia petuntur, quæ in futurum prosint: quàm ex rerum præteritarum eventis atque exemplis. Atque hoc equidem consilio annis ab hinc duobus Selectissimarum Orationum Turcicarum aliquot volumina in vnum quasi corpus digesta auctoritate Imperatoriâ in publicum prodire volui: neque ita pridem his adiunxi Commẽtarios siue Sermones Sturmianos de bello adversus Turcas perpetuo administrando: tùm vt fidei voluntatisque meæ erga Rempublicam qualemcunque hanc significationem publice exhiberem: tùm verò vt salutarium eiusmodi consiliorũ copiam & quasi Syluam, ex tot sapientissimorum hominum scriptis deprompta, suppeditarem ijs, qui in Republica versantur: eodemque pacto & memoriam ipsorum, & intelligentiam atque prudentiam adiuvarem: Nam & memoria hominũ per se ipsa labilis est: & ea plerunq; negociorum publicorũ multitudo ac moles esse solet: vt non semper omnia omnibus alioqui bene cognita, cum opus est, in mentem venire possint: nonnunquam etiam rectè & vtiliter ab his excogitata aut deliberata, plus & fidei & auctoritates habeant, si maiorum scriptis eadem quoque iam olim comprobata fuisse intelligantur. Cæterũ operi huic Anti Turcico, de quo dixi, exædificado, fastigiũ & veluti colophonẽ quendã nunc impono, eiusdem argumẽti præsens Op⁹ istud, Epistolicũ: in quo literæ & Epist. summorũ Pontificum, Cæsarum, Regum, Principũ, aliorumq; mundi procerum iã inde à primordio regni Saracanici & Turcici, ac inprimis à capta Constantinopoli, diversis temporibus, vsque ad hanc ætatẽ nostram, de rebus Turcicis elucubratæ legũtur: quæ & animos populi Christiani, maximè verò Regum ac Principum, ad perpetuam cum Christi hoste pugnam excitant atque confirmant: & simul ad

forti-

fortiter eum debellandum, aut ſaltem extremum eius conatum inhibendum ac reprimendum ſalutaria & idonea Reipub. Chriſtianæ conſilia ſuppeditant. Tuæ autem Clementiæ Illuſtriſſimę, Princeps Celſiſſime, operis huius Epiſtolici volumen primum humiliter, vt decet, ſubmiſſeque in hoc tempore dedicare & quaſi cõſecrare volui: non ſolùm fama commotus laudum ac virtutum heroicarum, quæ in te Principe Optimo Maximo eminent: maximè verò præclaræ illius ac planè ſtupendæ doctrinæ atque ſapientiæ, cum eximia pietate & fide in Deum & homines coniunctę: quâ nullum in Principe lumen clarius & ſplendidius refulget, auctore Imperatore Iuſtiniano: ſed vel præcipuè ſingularis erga me gratiæ & bonitatis tuæ recordatione admonitus: vt & pro animo erga me benigniſſimo, & pro munere ampliſſimo, quo me nihil tale promeritum anno ſuperiore Celſ. Tua ſpontè ac vltrò donatum voluit, aliquo ſaltem modo gratum & memorem exhiberem.

Quod ſanè beneficium maximum maiore aliquando opere lucubrationum compenſare: & literarum monumentis, vbi occaſio dabitur, prædicare atque extollere non deſinam: ſi modò nõ planè induſtria noſtra ſterilis futura eſt: vt fructus eius aliquis ad laudem & gloriam Excelſitatis tuæ Principalis omnino redundet: cuius patrocinio nihil mihi vel ad exiſtimationem meam illuſtrius, vel ad fortunam amplius contingere poteſt. Interim Celſ. Tuam ſupplex oro atque obteſtor: vt opuſculum hoc ſerena fronte, vt ſolet, excipere: meque clementia & bonitate ſuâ Principali etiam deinceps complecti non dedignetur. cui à Deo immortali immortalis felicitatis ſucceſſum precor ſempiternum. Ienæ, E Leorino meo vrbano. IV. Non. Februarij, natali die meo, quo annum ætatis LIII. complevi, anno ſalutis Chriſtianæ M D IIC.

IN OPVS ANTITVRCICVM V. CL. NICOLAI REVSNERI LEORINI, COmitis Palatini Cæsarei, &c.

ARNOLDI HELII MEDIOBVRG. *Flandri Melos.*

OMnia dum crudo exardescunt regna furore
Christiadum inter se; & latè civilibus armis
Funesti exercent populos vrbesque tumultus:
Cognatæque acies fraterna in viscera stricto
Ense ruunt, vetitoque humectant sanguine dextras:
Vos Galli, vos semoto sub Sole Britanni,
Hesperij, Belgæque truces, quos dira cupido
Regnorum, atque auri sitis immoderata tot annos
Detinet immersos odijs, atque invidia exest.
Quos species tantum simulata, haud entheus ille
Relligionis amor, pietasvé antiqua, fidesvé
Prisca patrum excîtos studia in contraria versat:
Vos testes, vos tantorum estis causa laborum:
Dum Proceres hinc inde alios in vestra receptos
Fœdera, lethiferos vobiscum armatis in ausus.
Quò vestra exsurget rabies tandem vsque? malorum
Ecquis erit modus, aut scelerum?
O pronæ in vitium mentes! ò pectora dudum
Cæca nimis! tantæné animis mortalibus iræ?
Iam vestra auxilia, & iunctas in fœdera dextras,
Foedera, quæ à vestris longe diversa, requirit
Pannonia incassum supplex, frustraque precatur.
Interea instructas numeroso milite nostrum
Cogit in exilium fallax Mahumeta phalanges:
Moliturque viam nostra in præcordia. Nonné
Vidimus infestis peditumque equitumque catervis
(Horrendum dictu!) trepidantem Pannonis orbem?
Quem contra, quamvis munitas robore turmas

Efferat,

Efferat, invictasque Aquilas, atque arma RVDOLPHVS
Ille vnus Patriæ afflictæ Pater, ille labantûm
Vnica spes populorum, atque ævi gloria nostri:
Expugnetque arces varias, ac plurima nunquam
Speratæ rursus pius oppida Libertati
Restituat; cæcoque exsultet sæpius hoste:
Non potis est tamen hic solus tot prælia, totque
Isse acies contra, & tantæ occursare virûm vi:
Quin quandoque etiam nobis extorqueat armis
Turca potens arces, & victas occupet vrbes:
Dum trahit extremo innumeras secum orbe cohortes
Impius, & campos condenso milite inundet.
Iaurinum nuper, mox Agria victa fatentur,
Vicinæque arces, ac tot viduata colonis
Arva suis, fœdoque situ squallentia tecta.
Nec satis: instat adhuc, fessasque in prælia vires
Instruit: augusto excidium stragemque minatur
AEternam Imperio, ac toti ferus imminet orbi.
Non tamen hoc Cæsar feret: ille hominumque Deorumq;
Auxilio fretus victo mox victor ab hoste
Templa novis passim spolijs onerabit, & aras.
Huc vos, ô Reges, vos belli fulmina, iunctas
Ferte manus: iam depositis, quæ noxia tantum
Inter vos odijs, vestrum huc convertite ferrum.
Hoc Cæsar velit: hoc sacri vos pagina libri,
Et præcepta docent: tota hoc Respublica, & omnium
Vna salus rogat: hoc tantorum dīa virorum
Consilia invictis passim rationibus vrgent:
Quæ vobis magno nuper sudore coëgit
Hinc inde in varios, scriptorum maximus, vsus
REVSNERVS: cui tota parem Germania nunquam
Nosse virum dedit, & nunquam dabit: ille potenti
Ingenio immensum indefessus obambulat orbem:
Vt, si qua ad Patriam spectant, Patriæve salutem

Eversam

Eversam belli tot tempestatibus, illa
Dives inexhausto depromens singula cornu,
Differat in vulgus magno congesta labore.
Quæ si animis capiant, & factis ritè sequantur,
Quos penes arbitrium est, & rerum summa potestas:
Deletos videas mox primâ fronte Tyrannos,
Exutosque armis regnisque Othomaidas, olim
Quæ sibi subdiderint vel vi, vel fraudibus. ô tunc
Quæ meta Imperium poterit, quis claudere fines
Christiadum latè diffusos terminus! vltra
Tot maria & terras iterum exoptata remotis
Iura dabit populis Cæsar: victorque triumphans
AEternam statuet ventura in secula Pacem.

Pragæ XVI. Februarij,
MDIIIC.

EPISTO-





EPISTOLARVM TVRCICARVM.

LIBER PRIMVS.

GREGORIVS PONTIFEX MAX. MAVRICIO IMPER. ROMANO S.

PRæfectus Romanæ vrbis, cæterique cuiuscunque ordinis viri mihi sunt completissimi testes: quantum ab onere gerendæ Romanæ Ecclesiæ abhorruerim, Sed & literæ tuæ humanissimæ precesque quotidianæ me à proposito consilio deterruerunt: tantoque oneri succedere voluerunt. Verum cum multa animum mihi excrucient: id perquàm molestum est, te paulò antè quandam legem Ecclesiæ libertati aduersam ac perniciosam tulisse: quippe qui homines Romanæ militiæ adscriptos, nisi finita militia, aut mancos, aut debiles, Deo militare prohibueris. Idem etiam Ioannis Episcopi tui dementiam fouisti: & vniuersalem Patriarcham appellari censuisti. In tantis rerum difficultatibus, nisi præstò mihi sit Deus Opt. Maximus, succumbam necesse est. Nam & legem illam diuinis rebus inprimis perniciosam prorsus tollendam censeo: & Ioannem audaciæ suæ puniendum arbitror. Quod verò ad mutuam pacem pertinet: ego ita illam probaui, vt nihil illa potius aut antiquius judicauerim. Sed erit prudentiæ amplitudinis tuæ, eum ab errore reuocare, legesque impias abrogare. Quod si feceris, tibi velim persuadeas, dignitatem, Imperium, resque tuas omnes Deo Opt. Max. curæ futuras. Vale. Rom.

MAVRICIVS IMP. GREGORIO ROMANO Pontifici.

SErò tandem animaduerti, me à recta viuendi ratione ad deteriora prolapsum. Nam & tam multa portenta Deum Opt. Max. mihi infensum significant: vt dies & noctes perniciem clademque mihi instare plane vi-

 dcam.

deam. Sed quando vnus is tantum pænitentiæ locus superest: oro te reliquosque viros Deo addictos & charos: vt irata mihi numina precibus vestris mitiora efficiatis: meq; ad sinum matris Ecclesiæ redeuntem excipiatis. Confido. n. fore, si me amicè more maiorum, complecti velitis; vt quæ incommoda Romana vrbs ipsaque Ecclesia per nos passa est, maximis officijs aucta instaurari, excitari cumularique possit. Vale. Constantinopoli.

HERACLIVS. IMP. CONSTANTINO Filio Imp.

CVm primùm mihi nunciatum est, Persas vnà cum Cosdroæ Rege Azoti se continere eò cum legionibus contendi: qui copiarum nostrarum adventum sentiens in Persidem fugit: exustis primum segetibus, quæ tunc flavescebant. Is Sarabacum & Sarabassem, Duces impigros reliquit, qui nostrorum imperium sustinerent. Quo cognito magnis itineribus superato Tauro monte, Sarabacum, qui Saroa amnem occupârat, fugavi: Saym deinde cum majoribus copijs obvium habui: cum quo prælio totum diem varia fortuna dimicavi, ac demum victor evasi: adhæc Razatetem cum omnibus Persarum viribus oppugnavi: viginti septem signa militaria abstuli: Ducem denique ipsum interemi. Hæc te certiorem feci: tum, vt scires tibi cum imperio multam gloriam comparari: tum etiam vt honestas pacis conditiones hosti negandas nunquàm putes. Vale.

HERACLIVS IMP. SEVERINO PONtifici Rom.

MAxima molestia me affecerunt literæ tuæ, quibus Isacium Exarchum nostrum accusabas: quod Lateranense templum exspoliaverit: prædam Ravennam detulerit: mihique optimam spoliorum partem etiam adjudicaverit. Ego sanè vt imperatorem Christianum decebat, virum sacrilegium odi: Deumque obtestor me nihil planè rerum sacrarum aut cepisse, aut capi voluisse: daturumque operam, vt Isacium sceleris sui pœniteat: quandoquidem nihil est, quod animum meum magis, quam res sacras moveat. Vix credas, quàm acerbus mihi nuncius fuerit Mahometis nuper invecta religio: qua affecti Saraceni, qui mihi ex Arabia militabant, in Syriam secessere: Phœnicem, Syriam, Aegyptumque occupavêre. Arabes. n. omnes Mahometi legem susceperunt: Persarumque regnum opulentissimum, cæso Rege Armisda, invaserunt: eoque periculo ventum est, vt tantis viribus nullus exer-

citus

citus occurrere tutò poſſit. Quare abs te etiam atque etiam peto: vt rem Chriſtianam multis pijs precibus Deo commendes: meque tibi deuinctiſſimum putes. Vale, Conſtantinopoli.

CONSTANTINVS IMP. BENEDICTO II. *Rom. Pont.*

CVm vſu receptum eſſet, vt nullus Romanus Pontifex ritè electus diceretur: niſi à nobis vel ex Archo noſtro ratum firmumque haberetur: nos animaduertentes, id minus piè ac commodè fieri conſueuiſſe: nihilque exinde religioni ſacriſque rebus emolumenti naſci: placuit nobis deinceps: quem ſacerdotes exercituſque Romanus in Pontificem delegerint eundem ſtatim verum Chriſti vicarium, nulla exſpectata nominis noſtri auctoritate, iudicari. Tu verò, beatiſſime Pater, quæ ad amplitudinem Chriſtianæ Reipub. pertinent, ita geras, vt perverſis hominum moribus cura diligentiaque tua ſuccurratur, Vale. Conſtantinopoli.

IOANNES VI. ROM. PONT. GISVLPHO *Duci Beneuentano.*

PRoximis ferè diebus, Romani exercitus ac Exarchi diſſidijs fretus, Campaniam inuaſiſti: Sporam & Arpinum occupaſti: villas incendiſti: ruſticos & pecora abegiſti. Quæ cum primùm intelleximus: tanta admiratione affecti ſumus, vt etiam dubitaverimus: nunquid tantum cladis à Chriſtiano Principe in Chriſtianos innocentiſſimos, vel potius in ipſam Romanam Eccleſiam excogitari potuiſſet. His adducti ſumus, vt ad te Legatos cum literis mitteremus: Idque omnibus te certiorem faceremus: mandantes tibi, vt quàm primum, omiſſis Campaniæ & Hernicorum oppidis, in Samnium redeas. Quod ſi ſecus feceris, juſſaque noſtra aſpernatus fueris: ſcias breui futurum, vt Deo Opt. Max., cujus res agitur, pro illatas ſibi iniuria pænas daturum. Vale. Rom.

BEDA SACERDOS, CAROLO MARTELLO GALLIA-*rum Regi ac cæteris Regulis.*

DVm bellum geritur inter Chriſtianos acerrimum: tota Europa primum euerſa eſt: Saraceni occupata Libya atque Africa ex Septa ſolvẽtes, omnes Hiſpanias, præter Aſtures & Cãtabros, occupauêre. Africa igitur, quæ à Beliſario egregio Duce recepta de hoſtib⁹ fuerat, CLXX. añis Rom. Imp. paruit: ea demũ à Saracenis cum Bæthrica Hiſpania nunc capta: eorũ

moribus, ac legibus, cum maxima Christiani nominis ignominia, obtemperat. Quid egregium magis, quid præstantius fieri aut excogitari potuit quam aduersus Dei hostes arma capessere? Quid meruere Sueui? quid Germani homines? quid reliqui Christiani nominis viri, quos tot cladibus affecistis? Adsunt propè, imminent ceruicibus Saraceni qui vniuerso terrarum orbi iugum minitantur:

Hic regna pulcherrima: opulentissimæ vrbes: opima spolia: præmia victoriæ vos morantur: sed inprimis incomparabilis gloria, ac merces penes Christum saluatorem nostrum: qui ad hoc facinus pium multis occultis apertisque acclamationibus vos hortatur ac impellit. Valete.

CAROLVS MARTELLVS EVDONÆ Aquitaniæ Duci.

NVllus est qui nesciat, quantis periculis rei Christianæ Saraceni Hispaniam inuaserit, in Galliamque euocati sint. Quod cùm nulla ratione ferendum censuissem: comparato exercitu, prope Turonem eorum copias profligaui. Tanta autem hostium cædes facta est: vt trecenta sexaginta millia hominum cæsa sint: ex nostris verò mille tantum desiderati fuerint. Quæ cùm ita sint; erunt partes tuæ, Christianam Gallicamque gloriam, quàm maximè poteris tueri, delereque illam labem, quam eorum aduentu contraxisti. Ferunt enim Saracenos nuper abs te in Galliam euocatos. Quod si paribus auspicijs gloriæ Gallici nominis studueris: exinde tantum ornamenti ac dignitatis tibi comparabis: quantum dedecoris ex hac graui suspicione contraxisti. Illud te demum hortor ac moneo: vt habita dignitatis tuæ ratione, malis me amicum, quàm hostem experiri. Vale.

GREGORIVS II. ROMAN. PONTIF. Leoni III. Imp.

SÆpenumero per legatos ac literas te monui & hortatus sum: vt aliquando resipisceres, atque à comburendis imaginibus abstineres. Sed tantum abest, vt monitis nostris obtemperaueris: vt etiam innumerabiles viros ac innocentissimos vltimo supplicio affeceris: quod Roman. Ecclesiæ ritus & sacras Sanctorum imagines venerarentur. Quo autem animi mœrore hæc acceperimus: te si nunquam satis pro dignitate enarrare possum: cum dolore ac ægritudine animi id minimè conari queam. Illud tamen adhuc te monitum velim: vt, si nulla alia ratio ad ferendas Diuorum imagines te mouet, saltem id meminisse velis: illorum memoria ac pia recordatione homines ad virtutem imitationemque excitari: quæ in quibusdam minus eruditis hominum tantum virium habent: vt plurimi ad bene beateque viuendum ijs exemplis adducti inflammatique fuerint. At ego non vereor, ne te aliquando consilij tui pœniteat: si puram simplicemque

cemque Christi sapientiam indueris; idque cogitaris quod sæpenumero vsuuenire solet; quod quicunque consilijs doctrinaque sua nituntur, in profundissima errorum proni præcipitesque aguntur. Resipiscas tandem Auguste. Hoc te tota Italia rogat: hoc maxima rerum Roma: hoc denique totus terrarum orbis: qui sub Imperatore minus rectè sentiente salutis aleam jacit. Quid præterea dicam, prorsus nescio: ipse Deus Optim. Max. qui nouit occulta cordium, te tandem ad veram pietatem ab impio & nefario dogmate auertat. Vale.

GREGORIVS III. ROM. PONT. CAROLO Regi Galliæ.

NVllis rationibus adduci potuit Leo Imperator: vt ab impietate ad sanam doctrinam auocaretur: licet literarum multarum officiis ac nũcijs sæpenumero excitus fuerit. Ex quo factum est, vt vno omnium consensu & Imperio, & fidelium communione priuantur. Id verò cum primum resciuit Luitprandus Longobardorum Rex; augendi regni cupiditate ductus, vrbem Romam obsidere cœpit: oppida, quæ vrbi parebant, inuasit: ac propediem Italicis Imperij sceptris potiturus, nisi quis obsistat, videtur. Nihil est quod à Leone Romanæ Ecclesiæ hoste infensissimo, diuque ac grauiter à Saracenis obsesso, auxilia exspectemus. Superest igitur, vt copiarum tuarum virtute obsidionem nostram solui speremus. Nam & rerum gestarum gloria maxime præstas; & de Christiana Republ. bene meritus es: tanta etiam cum Luitprando tibi necessitudo intercedit: vt nullo labore, vnicoque nuncio ab hac præclarissima urbe cladem omnẽ auertere possis. Quod vt facias, te etiam atque etiam rogamus: pollicemurque tantum te gloriæ tibi adepturum: quantum Romana vrbs Ecclesiaque Sacrosancta, amplissima omnia antecessit: adhæc & præmia nunquam interitura exspectare debes. Vale.

GREGORIVS III. ROM. PONT. Constantino Imp.

MAximo studio curaque operam dedi, vt pacata omnia Italię loca tuerer, Quod vt mihi ex sententia eueniret Haistupulphum Longobardorum regem largitionibus & quacunq; ratione potui, ad pacem quadraginta annorum excitari. Sed & hac inita, & mox violata, Rex impius diuina humanaque omnia permiscuit, nam & singulis Pop. Romani cæterisque hominum singulos aureos nummorum in capite collatos sibi tributum pendere decreuit: vniuersa hostiliter inuasit: Rauennam & alias vrbes, quæ intactæ fuerant, vi cœpit: tantosque spiritus gerit; vt animi magnitudine imperium totius Italiæ concipiat. Qui nisi virtute tua, copiarumque tuarum robore cohibeatur ac frangatur: nihil est cur omnia grauissima à rectore hoste non timeamus. Quare abs te peto maiorum

in modum, vt Imperij gloriam, & Ecclesiæ dignitatem quàm maximè tueri velis. Hoc Deo, hoc hominibus gratius facere nihil potes, Vale. Romæ.

GREGORIVS III. ROM. PONT. PIPINO Francorum Regi.

SÆpe per literas nunciosque petij, ab Imperatore Constantino: vt Romanam vrbem atque adeo Italos omnes è manibus Haistulphi Regis vindicaret: qui cùm Romanis omnibus necem, cruciatus excidiumque in terminari soleat: propediem futurum est, vt de omnium salute desperemus. Desunt nobis legiones domi, consilium, pecuniæ: hoc tantum nobis superest: vt abs te Christiano inuictoque Rege præsidia exspectemus: cuius pietas, magnitudo animi, militarisque disciplina ea est: vt facilè nobis pacem, tibi victoriam, gloriam, omniaque imperia aliquando pariant. Ergò vt primo quoque tempore laboranti vrbi Italiæque accurras, & precibus, & lachrymis abs te petimus. Vale. Romę.

PIPINVS FRANCORVM REX GREGOrio III. Rom. Pont.

CVm salus tua Romanæque vrbis agatur: quæ non sine scelere Imperatoris negligi videtur; optimum apprimeque necessarium visum est: vt dum militum delectus habetur, eaque parantur, quæ ad conficiendum bellum opportuna sunt, iniuriæ hostium te subtrahas: & ad nos in Galliam quàmprimum contendas, habes delectos viros, quibus cum tuto ad nos accedas. Totam rem maturius corâm agemus. Hoc nobis facere gratius nihil potes: cognoscesque nullum te mihi chariorem. Vale.

GREGORIVS III. PONT. MAX. VRSO Duci Venetorum.

QVia Pacato fauente Rauennatium ciuitas, quæ multarum exstat caput Ecclesiarum, à nefanda gente Longobardorum capta est: & filius noster eximius Dominus Exarchus apud Venetias, vt cognouimus, moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere: & cum ea nostra vice pariter decretare: vt ad pristinum statum sanctæ Reipub. Imperiali seruitio dominorum filiorumque nostrorum Leonis & Constantini, magnorum Imperatorum, ipsa reuocetur Rauennatium ciuitas; Zelo & amore sanctæ fidei nostræ. Deus te incolumem custodiat, Doctissime Fili. Roma.

NICEPHORVS IMP. BYZANTINVS AARONI summo Persarum & Arabum Calyfa.

CVR tam iniustè, nulla à me iniuria lacessitus mihi bellum inferas: aut

aut quo impulsore id facias, non video: nisi fortasse, quod cædibus & rapina gaudes. Nam te id religionis causa facere, causari non potes: cùm Muamedes vates tuus; Chistianos omnes fratrum loco vos habere iubeat. An existimas Deum Opt. Max. omnium rerum opificem, astrorumque curam gerentem mortalium, quos ipse ad imaginem sui creavit, sanguine iniustè fuso delectari? Absit hoc: neque n. huiusmodi piacula illi exhibere vos iussit Muamedes vester. An fortasse argenti, auri, aliarumque rerũ inopia cõpulsus alienas prouincias invadis? Atqui cúm earũ rerum nos egentes simus, preciosissima quæque & paratu difficilia apud nos in magna copia sunt. Quin si qua re nostra opus habes, amicè petes: & nos eam ibi illico amanter exhibebimus. Si genus humanum, & mortalia contemnis arma: scito Deum esse memorem fandi atque nefandi. Cúm. n. mortales simus: non decet nos mortalia odia inter nos ipsos exercere: in eaque Dæmonem imitari: qui perpetuum gerit cum genere humano bellum, Vale.

MAMVMVS CALYFA ET IMPERATOR SYRIÆ ET ARABIÆ, Leoni Philosopho Byzantino.

VT ex fructu arbor iudicatur: sic nos ex discipulo. (*Mathematico tunc à Saracenis capto*) præceptorem cognovimus. Ergo tu, qui tanta rerum ornatus scientia, ignotus tuis ciuibus, nullum sapientiæ fructum percipis: ne dedigneris ad nos venire, tuæque nos doctrinæ participes facere. Quod si feceris: omne Saracenicum genus tibi colla submittet: ijsque divitijs & donis cumulaberis, quibus nemo vnquam hominum, Vale.

MAMVMVS CALYPHA SYRIÆ, MICHAELI Imp. Byzantino.

STatueram, vt candidum amicum decet, ipse ad te venire, Sed cum à Deo, cujus summa est potestas, mihi commissum Imperium, populusque subditus ferocissimus id non concedant: peto, vt Leonem, virum philosophia alijsque scientijs præstantem, quem habes, ad me mittas: quò exiguum tempus mecum degens; suæ me doctrinæ, cuius amore flagro, participem faciat. Neque ob religionis & gentis diuersitatem hoc differas: sed mecum amicè agas rogo. Quod sic præstiteris: tibi mille auri pondo dabimus: pacemq; & fœdus perenne tecum inibimus. Vale.

OTHO MAGNVS REX ET IMPERAT. Ducibus Saxoniæ

Nos

NOs Deo bene iuuante valemus, omniaque prospere agimus, Constantinopolitani regis homines dignitate insignes ad nos veniunt, pacem, vt audimus, petituri. Quoquomodo res agatur; bello, Deo propicio nos non tentabunt. Apuliam & Calabriam prouincias, quas adhuc tenuere, nisi inter nos conuenerit, dabunt. Si verò voluntati nostræ morem gerent: præsenti æstate coniungem cum Othone nostro in Franciam deducentes, per Fraxinetum ad delendos Saracenos ingrediemur, atque ad vos veniemus. Datum in Campania iuxta Capuam, XV. Kal. Februar. anno Christi 968.

SIMON PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS PONT. ROmano, Regibus & Ducibus Christianis,

SAnctæ vrbis ciues, ac Christi conterranei, quotidie perferimus ea, quæ supremis tantum diebus mortalitatis suæ Christus Rex noster semel passus est: pulsamur, cædimur, fodimur: quotidiè aliquis nostrum fustibus, securi, cruce mactatur. E ciuitate in ciuitatem refugeremus ad extremos terrarum fines: è mediaque terra, vbi salutem nostram operatus est Seruator noster commigraremus; inopem, profugam, vagamque vitam acturi: nisi nefas esset, terram nascente, docente, moriente, resurgente, cœlum repetente Domino sacram, cultoribus sacerdotibusque orbam esse: priusque non superesse, qui martyrium mortemque perferant; quam desint, qui inferant: nec esse qui pro Christo velut in bello mori velint cum sint qui oppugnandi finem non faciunt. Hæc nos patimur, miserrimè quidem: Sed fuit cum maiores nostri nihil tale sibi posterisque suis timerent. Nunc forsitan sine metus suspicione degunt Occidentis Christiana regna: Sed exempla testificationeq; nostra permoveantur. Indies Turcarum vires augentur, nostrorum imminuuntur: novorum insuper imperiorum accessio illis spiritus addit: orbem terrarum spe amplectuntur, Ferociora validioraq; sunt Turcarum, quàm Saracenorũ fuerint, arma: consilia etiam callidiora, cœpta audaciora, & conatus majores, & exitus secundiores. Vtramque tamen Romam tentarunt Saraceni: Byzantium obsedêre: ac Italiæ non modo oram maritimam, sed & mediterranea evastarunt. En? cur regna Occidentis se in tuto locata, & extra aleam posita confidant: cum orbis terrarum arces in periculo fuerint? Quid sibi spondebit reliquum nomen Christianũ: cum sedes Christi, religionis specula Hierosolyma oppugnata, capta, triumphata, edomita, servata, elocata sit? cum ex Christiana professione tenues exsanguesq; ac paruæ reliquiæ supersint, siquidem veteri corpori suo conferantur? Terra hæc, quæ quotidie sanguine nostro perfunditur, sanguis ipse fusus vindicem quærit. Vestram opem,

opem, misericordiam, fidem, religionem imploramus supplices, Beatissime Pater, Reges, ac Duces proceresq; , non nomine tantum professionisque voce, sed armis Christiani, Antequam tempestas in vos tonet: antequã fulminet: auertite à vobis liberisque vestris procellam imminentem: defẽdite supplices vestros: vindicate religionẽ ab impia nefaraq; : særuitute Terras beneficio vestro demerebimini: nomen & cœlesti in sempiternitatem, & in præsentia terrestribus regnis virtutẽ vestram remunerabitur, cuius sacrum solum ab interna rabie defenderitis.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, ROGERIO Comiti Calabriæ & Siciliæ, Christianorum adiutori.

QVia propter prudentiam tuam, supernæ Maiestatis dignatio te multis triumphis & honoribus exaltavit: & probitas tua in Saracenorum finibus ecclesiam Dei plurimum dilatauit: & sanctæ sedi Apostolicæ deuotam multis modis semper exhibuit: nos in specialem atq; charissimum filium eiusdem vniversalis matris Ecclesiæ te assumpsimus, Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes: Sicut verbis promisimus: ita literarum auctoritate firmamus: quod omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tuus hæres exstiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimò quæ per Legatum acturi sumus: per vestram industriam Legati vice cohiberi volumus: quando ad vos ex latere nostro mittemus ad salutem sanctarum Ecclesiarum: quæ sub vestra potestate consistunt: & ad honorem beati Petri, sanctæque eius sedis Apostolicæ, cui devotè hactenus obedisti: quamque in necessitatibus suis strenuè & fideliter adiuuisti. Si verò celebrabitur concilium: & tibi mandavero, quatenus Episcopus & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot & quos volueris mihi mittas: alios vero ad seruitutẽ Ecclesiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat: & teà peccatis absolutum, in vitam æternam dirigat. Datum Salerni, per manus Ioannis S. Rom. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, III. Non. Iulij. indict. VII. anno Pontificatus nostri vndecimo.

VRBANVS II. ROM. PONT. ALEXIO Constantinop. Imp.

CVm statutum fuisset ad Clarum Montem Alverniæ: vt communibus auspicijs bellum aduersus Saracenos gereretur; tanta hominũ multitudo cruce signata est: vt ad trecenta hominum millia censita fuerint: Ducum autem fortissimorum tantus ardor; vt de recuperanda Hierosolyma multum sperare debeamus. Primus omnium Petrus Eremita innumerabilibus se Ducem præbuit: cui Gottfredus, Eustachius, & Balduinus fra-

tres Bullionij Comites te addiderunt: maiores etiam copias paraverunt. Hinc Podiensis Episcopus belli Dux, & Raymundus Sancti Egidij Comes: inde Vgo magnus, Philippi Francorum Regis frater, & Robertus Nortmanniæ, ac alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Cornelij Comites. Quid dicam de Boemundo ipso, qui ingenti animi magnitudine ijs se Comitem adiunxit cum septem millibus delectæ iuventutis Italicæ: relicta fratri rerum omnium cura, quo cum diu bello contenderat? Ad hos belli maximos apparatus vnum illud est inprimis necessarium vt tuo præsidio commeatuque tantæ copiæ iuventus. Quare abs te peto maiorem in modum: vt quibuscunque rebus poteris, iustissimo bello gloriosoque faveas. Illud autem tametsi non dubitem abs te curatum iri, volui tamen te per literas nostras scire: id mihi & vniversæ Christianæ Reipub. iucundissimum fore. Vale. Romæ.

GODEFRIDVS DVX LOTHARINGORVM & cæteri comprimores Galliæ, Calomeno Regi Vngarorum,

MIrantur Domini & Principes nostri: cùm Christianæ professionis sitis: cur tam crudeli martyrio exercitum Dei viventis interemistis: terram verò & regnum pertransire interdixistis & varijs calumnijs eos affecistis. Quapropter nunc timore & dubitatione concussi Tollenburgi moram facere decreverunt: donec ex ore Regis intelligant: cur tam crudele facinus à Christianis, persecutoribus Christianorum commissum sit.

CALOMANVS REX GODEFRIDO DVCI & omnibus Christianis.

SAlutem & dilectionem sine simulatione. Audivimus de te: quia vir potens & princeps tua sis in terra: & fidelis inventus ab vniversis, qui te noverunt. Idcirco te semper diligens, ex sola bona fama, nunc te videre & agnoscere optavi: & exinde consilium accepi: vt descendas ad nos in castellum Cyperũ, sine opinione alicuius periculi: & vtraq; ripa paludis residentes; totum colloquium teneamus de omnibus; quæ à nobis requiris: & quorum nos reos arbitraris.

ALEXIVS IMP. CONSTANTINOP. REGNI GRÆCOrum Godfrido Duci.

ROgo te, Dux Christianissime, quatenus regnum & terras meas, quas ingressus es, gentem tuam vastare & deprædari non patiaris: sed emẽdi licentiam obtineas: & sic omnia sufficienter ex nostro imperio emenda & vendenda tui reperiant.

BOEMVNDVS ROGERIO NORTMANNO FRATRI.

POsteaquam Nicæam vrbem per deditionem accepimus: copiæ commeatus

meat' inopia in duo divisæ sunt. Erat inde nobis iter per inculta & deserta loca: demum cum ad flumen quoddam devenissemus; opportunitate loci aquari & instaurari exercitus cœpit. Vix datum fuerat momentum temporis quieti: cúm Saraceni vnà cum Solymano principe innumerabilibus copijs castra invadunt. Pugnatum est aliquantisper nostro aliquo incommodo: cùm Godofredus & Vdo Bullionij fratres quadraginta millibus equitum opem tulerunt. Magna cædes edita est hostium: videre erat strues & montes Saracenorum; qui maxima ex parte deleti sunt. Fuere in castris hostium Medi, Syri, Chaldæi, Turcæ, Saraceni, Arabes: quorum spiritus cōpressi sunt. Nos hac satis insigni victoria futurum speramus: vt Christianorum armis omnia cedant. Tancredus filius tibi plurimam salutem dicit. Vale. in castris.

PRINCEPS HASART, GODEFREDO MAGNO Princip i ac Duci Christianorum.

SAlutem & omne quod melius optari potest. Consilio nostrorum ad te direximus, pacem & concordiam inter nos componere: fidem & amicitiam statuere: atq; ad omnem bellicam necessitatem arma nostra esse cōmunia. Comperimus enim, quomodo vir & princeps poteris es viribus: & quod auxilium ferre vales tibi confœderatis & nulla levitate à fidei tuæ vinculo poteris resolui. Vnde præ omnibus te elegimus: te convenimus opem à te quærimus: fœdus percutimus: fiducia hac, quæ certus fidei nostræ semper habearis. Brodoan nobis factus inimicus, Turcorum vndiq; contraxit auxilia: brevi ad præsidium nostrum Hasart cum magna virtute & copioso exercitu perventurus. Cui non in alio auxilio Turcorum principum occurrere & resistere: sed in manu tua; si credere mihi & succurrere non recuses. Vale.

Eidem.

NOn decet vos, qui estis columnæ & ductores Christiani exercitus; vt vos fratres con Christianos auxilij vestri immunes relinquatis: occasionem falsam adversum nos sumentis: cum adhuc in nulla angustia vel necessitate vobis defuerimus: sed semper in via hac etiam pro vobis mori parati fuerimus. Credite procul dubiò, quod, si hodie remanseritis: nec opem nobis ad id negotium tuleritis: hostes vestri erimus: nec ad vllam causam, ad vos pertinentem, vltrà pes nobis movebitur. Vale.

SOLYMANVS DONIMANO PRINcipi Mixandræ.

DOnimane, frater & fili de gente Turcorum: nunc vsque vir & illustris & acceptus Regi & omni regno Turcorum fuisti in bellis & victoriis, quas gessisti.

Sed (ecce.) nomen tuum vehementer imminutum est: & nunc apud Regem Corozan, & vniversam gẽtem tuam, plurimam viluisti, exosus omnibus factus: eò quòd Bœmundum tam leviter redimi permisisti: & consilium nostrum in hac conventione & redemptione pro nihilo habuisti. Verùm si id flagitium commutare volueris; Regisque iram & maiorum Corozan placare eundem Bœmundum, quem præ omnibus Christianis magis spectum habemus, in locum, quem signavero, quasi ad auxilium inuitabis: & tunc positis insidijs nostris subitò circumventus capietur. Alioqui scias, te nunquam Regis gratiam recuperare, & effugere manus, adq; indignationem Turcarum posse.

TANCREDVS BOEMVNDO PRINCIPI ANTIOCHIAE à Deo Constituto, avunculo.

EX quo à nobis recessisti: & me tutorem ac defensorem ciuitatis Rohas, loco fidelis fratris nostri Baldvini, præfecisti: Geigremich & Sochomanus, readunatis viribus & copijs suis, repẽtina obsidione civitatem Rohas & muros eius occuparunt: vt expugnatis turribus & mœnibus, cives trucidantes, vrbem exspolient: me, sicut Baldvinum, captum tenentes, in barbaras nationes abducant. Quapropter charitatem tuam, quam semper erga fideles Christi habuisti, considerantes: tribulationes nostras & pericula, in quibus sumus, tibi nota facere decrevimus: quatenus mala & angustias nostras intelligens, citius accitis socijs & amicis ab Antiochia & cæteris locis, festinatò ad subveniendum nobis obsessis & oppressis viam insistas: Turcarum minas & iactantiam minuas: & in nomine Christi à præsenti obsidione repellas. Considerare.n. te oportet; quod in hac terra peregrinationis pauci sumus: & ideo nullius consilij causa est: vt facilè vllo tædio laborum aut bellorum aduersus hostes deficiamus: qui omni cura & studio invigilant: vt nos expugnent & deleant: sed opportunè & importunè, alter alterius onera semper portantes, vnum sustineamus: in vno proficiamus: adversa & prospera toleranda. Si autem nos pigritia ceperit; aut aliquid indignationis tardaverit; vel negligentes ad confratrum auxilium effecerit: nihil vtilius, super hoc prospicio: quam vt à terra exeamus: & hostibus sine intermissione insurgentibus cedamus. Nam liquidò patet. cum pauci simus: si divisi & tædio affecti defecerimus: vivere & stare ante virtutem inimicorum nequeamus. Vale.

BOEMVNDVS ROBERIO NORTmano Fratri.

QVæ à militibus nostris præclare ad murasim gesta sunt intellexisti: verum vbi locorum nunc simus, quæque à nobis gerantur, te certiorem facere optimum duximus proximis diebus, ad vrbem Antiochiam castra

castra posuimus, obsidionemq; cœpimus. Ea vrbs omnium opulentissima à Castrano Rege detinetur; egregieque à ciuibus defenditur Duplici muro circundatur: interiori lateritio: exteriori quadrati lapidis. Quadringenta & Sexaginta turres insunt: colles quatuor includuntur: in quorum celsioris cacumine ad Orientem vergentis, arx natura loci àdeo munita est: vt omnis conatus & omnia oppugnantium opera ingentia facile frustrentur. Fluminibus fontibusque irrigua; & agro fertili, vicinoque lacu dives. Recedit à mari Cilicio passuum XII. millibus. Fanfar fluvius partum efficit satis amplum: Ad Septentrionem mons est excelsus, qui Græca significatione fontium amænitate Hero dicitur. Ad Orientalem plagam campestris latissima regio; quam Fanfar prope mænia irrigat. Hæc Vrbs mille annis sub Christiano imperio iam pridem floruerat; centum quinquaginta tres Episcopi sub Antiocheno patriarcha fuerunt: in ipsa autem vrbe trecentæ sexaginta sex Ecclesiæ. Quibus quanta qualisque vrbs sit; quantæque accessiones Christiano nomini huius oppugnatione fient; facile pro tua prudentia iudicabis: Tametsi verò vrbs munitissima videtur; tanta tamen militum nostrorum virtus pertinaciaque tanta est; vt propediem de victoria certum numerũ expectare te velim. Tenacredus filius bene Valet. Vale, Ex castris ad Antiochiam anno Christi 1197. primo Nouembris: quo cæpta est obsideri Antiochia.

BOEMVNDVS ROGERIO NORTmanno.

ARbitror, te Tancredi filij literis cognouisse & quorundam trepidationem & prælia, quæ maxima cum gloria paulò ante gessimus. At de inducijs, deque toto negotio confecto, malo te ex meis, quàm ex aliorum literis certiorem fieri. Petierat inducias cassianus Rex; quibus militibus absque vllo metu tutissimus in vrbem aditus erat: quousque vollo Gallico milite ab hostibus cæso fædera rupta fuerunt. Dum autem oppugnandæ vrbis negotium difficile satis videretur; Pyrchus quidem Antiochenus ciuis potens, mihi apprimè propensus de dedenda vrbe mecum sermonẽ habuit: ea tamen ratione, vt penes me, cui plurimum fidebat, Imperium vrbis esset. Egi totum negotium cum ducibus & proceribus; facileq; communi omnium consilio mihi adiudicari vrbem obtinui. Exercitus per apertam à Pyrcho portam ingressus, vrbem capit: Per eos etiam dies Aretũ oppidum aliquo nostro incommodo, salutisq; periculo, ob vulnus acceptum, oppugnatum est. Multa tibi de Tancredi filij virtute polliceor: quẽ tanti ipse facio; tanti exercitus totus; quanti fortissimus Dux & optimus imperator fieri solet. Vale.

TANCERTVS NORTMANNVS
Rogerio patri.

POst captam Antiochiam, cum primum Sensadolus regis filius cum maximis persarum copijs accurrit, & per arcem quæ adhuc hostium erat, vrbem invasit, pugnatum est in vrbe varia fortuna. Deinde legiones nostræ in latos campos egressę sunt; ibique contentione, ardoreque prælium gestum est: vt centum millia hominum cæsa fuerint; quindecim millia camelorum capta: spolia ditissima recepta, & annonæ maxima vis eadem ipsa die arx deditione fecit, & Bœmundo tradita fuit. Hac insigni victoria perculsi hostes, remotissima loca accesserunt, tandem egregia militum virtute vno eodemque tempore fauces, hostes, arx, omniaque devicta sunt. De reliquis nihil est, quod non optimè speremus. Bœmundus plurimam tibi salutem dicit. Vale.

GOTFREDVS BVLIONIVS, BOEMVNDO
Antiochiæ Regi.

MAximis itineribus, captis primum aliquot oppidis, Hierosolymam venimus; quæ vrbs arduis montibus circundatur; fluminibus caret & fontibus; excepto vnico Solemanni, eoque tenui, multæ insunt cisternæ, vbi asseruantur aquæ, & in vrbe, & in agro. Hinc Arabes, Moabitæ, & Amonitæ Orientales sunt: Idumæi, Ægyptij & philistæi, meridionales: maritimæ civitates Ptolomais, Tyrus & Tripolis, Occidentales: Tiberias, cæsarea Philippi, regio Decapoleos & Damascus septentrionales. Ego in oppugnatione vrbis, partem muri, quæ mihi obtigerat, primus ascendi, & Balduinum in vrbem descendere iussi, qui cæsis aliquot hostium cohortibus, portas perfregit, & Christianos admisit. Raimundus Turrim Davidis cum preciosissima gaza per deditionem accepit. Ad Solomonis templum ventum est, ibi parata fuit pugna: tantaque hostium cædes; vt cæsorum cruor nostrorum talos superaret: nocte adventare superiora templi expugnare non potuimus. At altera die ciuibus miserabili voce pacem acclamantibus data; atque ita vrbs Hierosolyma à nobis idibus Iulij capta est, anno salutis nostræ 1099. Die 39. post cuptam obsidionem; quæ annis fuit 499. post quam sub Heraclio Saracenis cesserat, Ad hæc me etiam reluctantem summo omnium consensu Hierosolymæ regem acclamauere; qui tametsi tantum regnum horrescam, veruntamen dabo operam; vt me Christianum Regem, deque fide publica optimè meritum facile agnoscant. Tu autem me, quod facis, ama;
Vale.

Tan-

TANCREDVS NORTMANVS ROgerio Patri.

CVm plane sciam de te nobis magnopere laborare, cursuque rerũ nostrarum felicissimo lætari: nihil mihi potius vnquam duxi, quàm te de omnibus primum certiorem facere. Capta vrbe Hierosolyma, nunciatur nobis; Solymannum Babyloniæ regem cum magnis copijs Ascalone consedisse; quæ vrbs viginti quinque millibus passuum ab Hierosolymis distat. Gotfredus hostibus occurrere statuit; quem ego duabus legionibus, Eustachiusque secuti sumus primum ex captiuis didicimus; Clementem Solimanni ducem quingentis millibus hominum nobis imminere.

Nos tametsi numero impares, præsenti animo ad Ascalonem Babylonias aggressi: vniversos fudimus ac fugavimus: ad centum hominum millia cæsa sunt. Hac insigni victoria Hierosolymæ salus & quies parta est. Quod autem ad res Italicas pertinet; gratissimum, mihi feceris, si quæ isthic gerantur, a me quam diligentissimè perscripseris. Vale. Ascalone.

BALDVINVS II. REX HIEROSOLYMÆ, CALISTO Romano Pontifici

VEnetorum ducentæ naves maximo nobis adiumento fuerunt, tantumque addiderunt virium, vt Ioppæ quingentis nauibus obsessæ opem tulerimus, ac soluta obsidione Barbaros innumerabiles cæsos captosque perdiderimus. His prospere actis paribus auspicijs in Tyrum ductum est, quam iam pridem tentatam nunquam milites nostri oppugnare poterant: Sed tum demum opulentissima munitissimaque vrbs multo venetorum sanguine capta; Hierosolimæ imperio adiecta est etiam tertia pars Tyri, & Ascalonis, si caperetur, multis immunitatibus, honorificis, decretis Imperio venetorum assignata est. At Emanuel Græcorum Impetator tantam nobis victoriam invidens, sedulo operam dat, vt venetorum auxilia à nobis seiungat.

Quare abs te majorem in modum peto, vt eundem Imperatorem à perditissimo consilio auoces, ipsosque venetos quam maxime in fide contineas. Nihil est, quod literis & nuncijs à senatu illo, non facilè impetres. Tanto autem nobis vsui classis Veneta futura est, vt ex præsidio munitissima quæq; oppugnandi mariaq; latissima olim tuto percurrere possimus.
Vale.

Baldui-

BALDVINVS REX HIEROSOLYMVS TANCREDO Principi fratri.

NOn iustam rem exigis, Frater mi Tancrede: nec adversus Baldvinum iustam habes molestiam de aliquo loqui debes tributo: quod Antiochiæ hactenus reddebant civitates: cum nihil inter nos de iure gentilium simus habituri in omnibus, quæ Deus nostræ subijciet ditioni: nosti, & vniuersis notum est Christianis: qualiter, cum à terra & cognatione exivimus, pro nomine Iesu exilia quęrentes: patrimonia deserentes, decreverimus: vt quicquid in terra hac peregrinationis nostrę quisque de regnis & terris gentilium expugnatis apprehenderet, pacificè & liberè obtineret: nullus ad iniuriam in eum manum mitteret: nisi vt subveniret: & animam pro fratribus singuli ponerent. Et ideo scias, quia non iustam adversus Baldvinum habes querelam: cum gentilium decreta & nostra non conveniant: & stabili consilio de hoc in vnum consenserimus: si res Christianorum adeo sublime procederent: vt Regem constitueremus: eum, ceu caput, rectorem ac defensorem ad nostra retinenda ac propaganda subiecti sequeremur. Vnd ex timore Dei & iusto iudicio omnium, qui nunc adsunt. Christianorum oportet te in concordiam redire: & ab omni molestia, quā habes aduersus Baldvinum, animum revocare. Alioqui si gentilibus vis sociari; & nostris moliri insidias: nequaquam frater Christianorum poteris remanere. Nos quoque confratri Christiano iuxta decretum nostrum coadiutores & defensores ad omnia parati sumus. Vale.

SALADINVS ISACO CONSTANTINOPOL: Imperatori.

POsteaquam Ascalonem valido præsidio, commeatibus, rebusque omnibus communivi opias ad oppugnandum Hierosolymam deduxi, decem totos dies ad plagam Occidentalem oppugnavi; vigintiq; alijs diebus obsedi hostes desperatis auxilijs potius, quam oppugnationis metu ea conditione deditionem fecerunt; vt cum suppellectile, quæ singuli humeris ferre possent, abire permitterentur. Facta est deditio secundo Octobris, anno XCIX. postquam Christianis cesserat, decedentes pars Antiochiam, pars Tyrum aut Alexandriam petijt. Veruntamen qui Asia oriundi erant, paucissimi Hierosolymæ constiterunt. Reliquum est vt Tyri oppugnationem tentemus; quæ si nobis ex sententia evenerit, vide ores nostras in tutissimum locum positas, ri, Vale. Hierosolymæ.

CLEMENS III. ROM. PONT. ISACO CONstantinop. Imperatori.

IAm omnia Saladini virtuti cesserant; cum edicto nostro ad instaurandam gloriam Christiani nominis, principes nostri excitati sunt: Præcipui

pui fuêre, Fridericus alter Imperator: Philippus Francorum Rex, Richardus Angliæ, & Otho Burgundiæ: Veneti quoque Pisani paratissimas classes eduxere Venetæ præfuit Rauennas Archiepiscopus: Pisanę, præsul Pisamus. Guilielmus Rex Siciliæ pacato á piratis mari, annonã ex Sicilia & Apulia proue&turis ministrauit. Frisones quoque & Dani triremes quinquaginta, & duodecim Frandenses armauêre: qui transeuntes in Mauritaniam, & ad Africæ littora flectentes, Saracenos magnis incommodis afflixerunt, & Syluinam vrbem vi captam diripuere. Rex Vngarus habita ratione rei Christiauæ, Venetis pacem dedit, Quæ cum ita sint; oro te maiorem in modum; vt hoc bellum instauratum, ac Christiano nomini gloriosum, quibuscunque rebus poteris (poteris autem pluribus) iuues; nequando Saraceni validiores effecti, regnum etiam tuum clade aliqua afficiant. Vale.

RICHARDVS ANGLIÆ REX CÆLESTINO III. Romano Pontifici.

ERat meæ erga sanctitatem tuam obseruantiæ, vt de belli rationibus, feliciique rerum eventu certiorem te facerem; ac inprimis de Ptotolomaidæ diuturna obsidione aliquid significarem. Ea vrbs biennio post quàm obsideri cæpta est tandem in deditionem venit. Quod autem ad captiuos pertinet, quos toto hoc bello innumerabiles cepimus, illos cum Christianis superiori bello captis commutavimus. Ad hæc Porphyriam, Cæsaream, Ascalonem, Gazam & Dan occupavimus: cùm Saladinus multis maximisque cladibus affectus, eas tueri prorsus diffideret; Is etiam Hierosolymã nobis sponte reddidisset; nisi diffidijs nostris cognitis, consilium mutasset. Veruntamen Dei Opt. Max. beneficio reliqua omnia felicissimo cursu eventura speramus; multumque spei in pijs precibus vestris, nobis repositum, est, Vale. Ptolomaid.

HENRICVS COMES NIVERNENSIS Regi Franciæ.

DIu obsidebatur Damiata: cùm Cayri Sultanus medio itinere inter vtramque vrbem castra posuit à prælio maxime ab horrebat; cum Galli parua admodum manu illum irritaverunt, ac erumpere coegerunt: Ea pugna Guatterius, Camerarius tuus, Hilo Nantoliensis, & Vice comes Sanct. Susannæ intercepti sunt, Ioannes verò Rex Hierosolymæ ignibus aliquantisper læsus: sed nec propterea obsidio intermissa est. Nam & exacto anno cum dimidio: Damiata tandem capta est, quòd militum præsidium, & magna pars ciuium contagione interijssent. Neque. n. plus quàm tria iam millita hominũ reperta sunt: cum ab obsidionis principio septuaginta millia fuissent. Ea ciuitas ab Aelio Pertinace conditore Neapolis dicta est:

& triplici muro cincta, quam Nili rivus, ad Romani Tyberis magnitudinem ambit, vt insulam oblongam arctamque faciat Turris pharea suburbia à prædonibus custodit, cuius ager Nili incremento sæpenumero longe lateque operiri solet, quod & aliquando copijs nostris maximam intulit cladem. Exercitus vrbis opulentissimæ oppugnando ditissimus incommodi, quod iam pridem passus fuerat, non meminit, maioraquè pericula adire vltro appetit. Nos ingentia quædam animo voluimus, quod cuius modi sint, propediem intelliges. Vale.

PONTIFICIS LEGATVS *Genuensibus.*

NON vt vos læti eventus Damiatæ expugnatæ participes facerem, Genuenses: quam rem multorum &| literis, & nunciis ac fama ipsa ad vos perlatam puto: has ad vos literas dedi: sed vt gratias, quantas maximas animus meus capere potest, vobis cum pontificis tum totius exercitus; qui in Syria Christo Domino militat, nomine agerem: ob prævalidum à vobis nobis rebusque Christianis laborantibus submissum hominum & navium subsidium: quod cum per se ipsum gratum fuit, tum vero opportunitate ipsa inprimis acceptum. Eo enim tempore appulit: cum Christianus exercitus labore ac tædio diuturnæ obsidionis, cum parva fructus spe, despondere animos cæperat: classis vestræ tanquam cœlo demissæ adventu refectus est: atque ad institutos labores vrgendos renovtaur. Summum igitur hoc beneficium Damiatæ expugnatæ Christianum nomen vobis ac virtuti & pietati vestræ debet: qui hoc paternum & avitum dedistis. Quæ merita cum in hac vita homines remunerari obstricti sunt: tum vero longe ampliora præmia in sempiterna illa ac beata á DEO constituta vos manent.

BOEMVNDVS ET TANCREDVS, BALDVINO REGI *Christianissimo Hierusalem.*

LIbenter per omnia tuis parere mandatis de redéptione Baldvini, amici & consocij nostri, decrevimus: & hæc solicitudo nostra semper fuit, & est. Sed hoc tempore de hac re dissimulare, & silentio supprimere, necesse est: si forte aliquid pecuniæ cum ipso fratre Baldvino pro hac matrona restituenda extorquere possimus: qua nimium anxiè indigemus, ad remunerandos milites, assiduis laboribus nobiscum insudantes. Vale.

PISANVS ARCHIEPISCOPVS ET GOTFRIDVS DVX, ECCLESIÆ *sancti Sepulchri nunc aduocatus, & Raymundus Comes Sancti Aegidij & vniuersus Dei exercitus in terra Israel, Paschali Papæ Rom. Ecclesia, omnibus Episcopis, & vniuersis Christianæ fidei cultoribus.*

Multi-

MVltiplicate preces & orationes cum iucunditate & exultatione in conspectu Domini: quoniam DEVS magnificauit suam misericordiam, complendo in nobis: ea, quæ antiquis temporibus promiserat. etenim cum capta Nicæa cunctus exercitus inde discesserat: plusquam CCC. millia ibi fuerunt.

Et licet hæc tanta multitudo, quæ vniversam Romaniam occupare poterat, atque epotare flumina omnia, & pascere omnes segetes vna die posset: tamen cum plenitudine tanta conduxit eos Dominus: vt aries vno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur. Præterea etsi Principes & reges Saracenorum contra nos surrexerint: tamen Deo volente facilé victi & conculcati sunt. Ob hæc quidem feliciter acta quia aliqui intumuerant opposuit nobis DEVS Antiochiam humanis viribus inexpugnabilem: ibique per novem menses nos detinuit: atque in obsidione extrà ita humiliavit: vt in toto exercitu nostro vix centum boni equi reperirentur. Tandem aperuit nobis Deus copiam suæ benedictionis: & nunc etiam nos induxit in ciuitatem ad Turcas: & omnia eorum bona potestati nostræ tribuit. Cum hæc quasi viribus nostris acquisita teneremus: nec Dominum, qui hæc obtulerat, digne magnificaremus: á tanta multitudine Saracenorum obsessi sumus: vt de tanta civitate nullus egredi auderet.

Præterea fames ita convaluerat: vt vix ab humanis dapibus se aliqui abstinerent longum esset enarrare miserias, quæ in ciuitae fuerunt, respiciens autem Dominus populum, quam ita diu flagelleverat, benigne nos consolatus est. Itaque primo quasi pro satisfactione tribulationis lanceam suam, munus invisum â tempore Apostolorum, pignus victoriæ nobis contulit: deinde corda hominum adeo animavit: vt illis, quibus ægritudo, vel fames, ambulandi vires negaverat, arma sumendi, & viriliter contra hostes dimicandi virtutem infunderet: denique cum triumphantibus hostibus fame & tædio deficeret exercitus Antiochiæ: & maxime propter discordias principum: in Syriam profecti, Varram & Marram, vrbes Saracenorum, expugnavimus: & castella regionis obtinuimus. Cumque ibi moram disposuissemus: tanta fames in exercitu fuit: vt corpora Saracenorum iam fœtentium â populo Christiano comesta sint. Tandem cum divino monitu in interiora Hispaniæ ingrederemur: largissimam atque misericordem & victoriosissimam manum omnipotentis patris nobiscum habuimus.

Etenim cives & castellani regionis, per quã procedebam', ad nos cũ multis donarijs Legatos præmittebant parati seruire nob. & oppida sua reddere

D 2 Sed

Sed quia exercitus noster non multus erat: & in Hierusalem vnanimiter venire festinabant: acceptis securitatibus, tributarias eas fecimus: quippe cum de multis vnà ciuitatibus, quæ de maritimis sunt, plures homines haberet: quàm in exercitu nostro fuissent. Cumque auditum esset Antiochiæ, & Loadiceæ, & Rohas, quòd manus Domini nobiscum esset, plures de exercitu qui ibi remanserant, consecuti sunt nos apud Tyrum. Sic itaque, cooperante, vsque ad Hierusalē peruenimus. Cumque in obsidione multum exercitus laboraret: maximè propter inopiam aquæ; habito concilio Episcopi & principes circumeundam esse ciuitatem nudis pedibus prædicauerunt: vt ille, qui pro nobis humiliter eam ingressus est, per humilitatem nostram pro se judicium de suis hostibus faciendum nobis eam aperiret. Placatus itaque Dominus hac humilitate precum, octavo die pòst cum suis hostibus ciuitatem nobis tribuit: eo videlicet die, quo primitiva Ecclesia inde abiecta fuit: cùm festum de dispersione Apostolorum celebratur in portu Salomonis, & in templo eius, equitabant nostri in sanguine Saracenorum vsque ad equorum genua. Deinde cùm ordinatum esset, qui ciuitatem retinere deberent: & alij amore patriæ, & pietate parentum suorum redire voluissent: nunciatum est nobis, regem Babyloniæ Ascalonem venisse cum innumerabili multitudine militum ducturum Francos, qui Hierosolymis erant, in captiuitatem, & expugnaturum Antiochiam, sed aliter Dominus de nobis statuerat. jtaque conscendimus obviam illis: relictis sartinis & infirmis in Hierusalem cum præsidio. Cumque exercitus noster & hostium se conspexissent genibus flexis adiutorem Deum invocavimus: vt qui in alijs nostris necessitatibus legem Christianam confirmauerat, in præsenti bello confractis viribus Saracenorum & Diaboli regnum Christi & Ecclesiæ à mari vsque ad mare vsquequaque dilataret. Sic Dominus adfuit, atque tantas tribuit vires, vt in hostem currere videns, fontem aquæ viuæ sitientem ceruum adiudicaret, miro videlicet modo: cùm in exercitu nostro non vltro quinque millia militum & quindecim millia peditum fuissent: & in exercitu hostium centum millia equitum & quadringenta millia peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in seruis suis Dominus apparuit: cum, antequam confligeremus pro solo impetu nostro, hanc multitudinem in fugam vertit: & omnia eorum arma diripuit: vt si deinceps nobis vellent repugnare, non citò arma haberent. Spolia inaudita, & thesaurum regis Babyloniæ obtinuimus, ceciderunt ibi Maurorum vltra centum millia gladio: Timor autem eorum tantus erat vt in porta ciuitatis ad duo millia suffocati sint. De his verò, qui in mari interierunt, non est certus numerus. Spineta etiam ex ipsis occiderunt, pugnabat certè pro nobis Dominus. Pridie, quàm pugna fieret multa millia camelorum & boum & ovium cepit exercitus Principum iussu populus

hæc

hæc divisit. Ad pugnam progredientes multæ turmæ istorum animalium comitabantur miraculosè, & stabant cum stantibus: & currebant cum currentibus: nubes ab æstu solis nos defendebant & refrigerabant. Celebrata itaque victoria, reversus est exercitus Hierusalem: relictoque ibi Gotfredo duce, Comes S. Aegidij & Rupertus Comes Flandriæ, & Rupertus Comes Normanniæ, Laodiceani reuersi sunt, ibi classem Pisanorum & Bœmundi invenerunt cumq; Archiepiscopus Pisanus Bœmundum & dominos nostros concordare fecisset, regredi Hierusalem pro Deo & fratribus suis Raymundus disposuit. Ad tam admirabilem igitur fratrum vestrorum fortitudinis devotionem: ad tam gloriosam omnipotentis Dei retributionem, ad tam exoptandam omnium peccatorum nostrorum per Dei gratiam remissionem, & Catholicæ Christi ecclesiæ, & totius Latinæ exultationem vos invitamus, & omnes Episcopos, & bonæ vitæ Clericos ac Monachos, & omnes Laicos, vt ille vos ad dexteram Dei consedere faciat, rogamus & obsecramus vos per Dominum Iesum: qui nobiscum semper fuit, & collaborauit, & ex omnibus tribulationibus nos eripuit, vt fratrum sitis memores vestrorum, qui ad vos reuertuntur, benefaciendo eis, & soluendo debita eorum: vt vobis Deus benefaciat, & vos absoluat ab omnibus peccatis: vt in omnibus, quæ vel nos vel illi apud Deum meruimus, partem vobis concedat. Valete.

BALDVINVS FLANDRENSIS, LVDOVICVS BLEZENSIS, ET Henricus S. Pauli comites, cæterique Barones & milites exercitus cruce signatorum, Othoni Rom. Regi & semper Augusto.

QVanta fecerit nobis Dominus: imò non nobis sed nomini suo: quantam gloriam dederit ijs diebus: quanta possumus breuitate perstringamus: ipso prænotantes initio, quod ex quo vrbem transgressionis exiuimus (Sic enim Iaderam nominamus, cuius excidium vidimus dolentes quidem, & necessitate compulsi) nihil inter nos ordinatum esse meminimus; quod communiter ad vtilitatem pertineret exercitus, quin illud in melius prouidentia diuina mutauerit, sibique totum vindicās, stultam fecit sapientiam nostram: hinc est, quod eorum, quæ facta sunt apud nos gloriosè, omnem à nobis gloriam iure repellimus, quippe qui operis adhibuimus parum, consilij nihil. Vnde necesse est, vt si quis ex nobis voluerit gloriari, in Domino glorietur, non in se vel altero. fœdere igitur Iaderæ confirmato cum illustri Constantinopolitano quandam Imp. Isaaci filio Alexio: cum victualibus omnibus & rebus egentes. Terræ sanctæ videremur grauamen potius allaturi: sicut alij ex nobis, qui nos præcesserant, quem leuamen aliquod allaturi, nec terræ Saracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare posse, verisimilibus omninò rumoribus & argu-

 mentis

mentis inducti, quod dicti Alexij suspiraret adventum, regiæ ciuitatis pars potior & pondus Imperij, quem electione concordi, cum solennitate debita Imperiali diademate sublimasset, contra consuetum ordinem temporis aura fauente, obedientibus Domino ventis & mari, ad vrbem regiam præter omnem spem prospere applicuimus. Sed nec adventavimus improvisi, qui vsque ad sexaginta millia equitum, præter pedites in vrbe reperimus. Et transilientes loca tutissima, pontes, turres, & flumina sine damno nostrorum, terræ marique obedimus ciuitatem; & Tyrannum pariter, qui commisso in fratrem parricidio, fasces imperij diutina incubatione polluerat. Contra omnium ergo opinionem, vniversorum ciuium mentes contra nos invenimus obfirmatas, nec aliter contra Dominum suum civitatem muris & machinis obseratam, quam si ad ventasset populus infidelis, qui loca sancta polluere, & religionem Christianam inexorabiliter evellere proponeret. Imperij siquidem crudelissimus maculator, Domini & fratris sui proditor & orbator, quique eundem carcere perpetuo sine crimine condemnasset, idem filio eius illustri Alexio facturus, si non eundem è manibus eius felix surripuisset exilium, præhabita in populo detestabili concione potẽtes simul ac plebẽ sermonib⁹ adeo infecerat venenatis, vt ad subversionem libertatis antiquæ Latinos assereret adventare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere, & Latinorũ regibus Imperiũ subiugare properarẽt. Hæc profectò res sic omnes contra nos animauit pariter & armauit, vt contra nos & exulem nostrum viderentur omnes pariter coniurasse. Sæpi⁹ ergo per nuncios, imo per exulẽ nostrum & Barones nostros, seu etiã nosmetipsos: à ciuibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam, nec petitionis modum explicare potuimus, sed quoties terra vel mari stantibus in muro sermones obtulimus: toties retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quod præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, vt statim necesse haberemus, aut perire, aut vincere cũ obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualiũ omniũ incredibilis vrgeret angustia, nõ ex desperatione quidẽ, sed inspirata quadã securitate: diuinitus suspirare cæpimus ad bella promtissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnib. obtinere ad conflictũ etiam campestrẽ sæpius ordinati, inæstimabilem multitudinẽ fuga ignominiosa in vrbẽ conclusimus. Aptatis igitur interim terra mariq; bellicis instrumẽtis, die obsidionis octaua violẽter ciuitas introitur, grassatur incendiũ, disponit cõtra nos in campo aciẽ Imperator, & paritis nob. excipere venientes, constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiose frena reflectit, & in vrbem retrogressus ardentem, ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in vrbe reliquit vxorem & paruulam prolem. Ea re comperta Græcorum proceres in palatio congregantur:

tur: & exulis nostri solemnis celebratur electio seu potius restitutio declaratur, insperatamque læticiam copiosa in palatio luminaria protestantur. Manefacto procedit inermis in castra Græcorum procerum multitudo, suumque cum gaudio quærit electum, restitutam ciuitati asserit libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperij, cum gaudio inæstimabili subleuatum de carcere caput patris Isaaci quondam Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque, quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam S. Sophiæ nonus Imperator cum solenni processione deducitur, & exuli nostro sine contradictione restituitur imperiale diadema cum plenitudine potestatis. His peractis ad solutionem promissorum prosilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia servitio domini profutura nobis omnibus præbet in annum, ducenta marcarum millia nobis soluere pergit, & Venetis suisque sumptibus stolium nobis in annum seque iuramento obstringit, quod extre nobiscum debeat regale vexillum, & in passagio Martij nobiscum ad seruitium Domini proficisci, cum quantis potuerit millibus armatorum: & sub eadem promissione concludit, quod eam reverentiam præbeat Romano Pontifici, quam antecessores sui Imperatores Chatolici præ decessoribus suis Pontificibus quidem impendisse noscuntur, & Ecclesiam Orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare.

Tantis igitur vtilitatibus provocati, ne salutem, quam dederat Dominus in manibus nostris spernere videremur: & vertere in opprobrium sempiternum: quod ad honorem nobis incomparabilem cessisse videbatur, prompta deuotione cno sensimus, & ibidem hyemem, DEO dante, facturi, ad partes Ægypti proximo passagio transmeare, tam certo proposito, quam irrevocabili, quantum in nobis, est pronota voluntate sumus astricti. Et nunc siquid ex his, quæ acta sunt vel agenda meriti vel gratiæ, vel etiam gloriæ præstolamur, serenitatem vestram in Domino desideramus esse parricipem, imo & principem.

Nos interim Soldano Babyloniæ, terræ sanctæ impio Detentori, præmisimus nuncios nostros, qui ex parte Regis summi IESV CHRISTI Nazareni, & servorum eius, dicti videlicet Imperatoris, & nostra regaliter debeant intimare, quod deuotionem populi Christiani, in credulæ genti suæ, DEO donante, in proximo proponamus ostendere: & ad contritionem infidelitatis de cœlo nos expectare virtutem.

Hæc autem fecimus de vestra potius sub Domino, & aliorum Christiani nominis Zelatorum, quam de nostra virtute, confisi, qui conseruos

servnos nostros eò devotius ac vehementius nobis desideramus adiungi, quo meliores & plures Regis nostri ministros vobiscum viderimus decertare, ne Iudæis pridē traditus, sed iam assumptus in gloria illudendus de cæteris gentibus relinquatur. Valete.

BALDVINVS DEI GRATIA FIDELISSIMVS IMPERATOR CONstantinopolitanus, à Deo coronatus, Romanus moderator & semper Augustus, Fladrensis & Hennegauiensis Comes vniuersis Christi fidelibus Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, Prælatis. Baronibus, militibus Sarzantis, omnique populo Christiano.

AVdite, qui longe estis, & qui prope, admiramini, & laudate Dominum, qui magnificè fecit, qui antiqua miracula nostris dignatus est recouare temporibus, & non nobis quidem, sed nomini suo dedit gloriam, omnibus seculis admirandam. Nam mirabilibus eius circa nos semper mirabiliora succedunt, vt etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cum nihil à nobis provisum aut speratum ante contigerit, sed tunc demum novæ nobis Dominus procurauit auxilia; cum nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem, si bene meminimus, per literas vniuersitati nostræ transmissas nostri progressus & status narrationem eo vsque deduximus, vt vrbe populosa capta; violenter à paucis Tyranno fugato & Alexio coronato, mora nostra promissa fuerit, & ordinata per, regnum , vt potenter obtinerentur si qui resistere valerent Alexio. Sed nos, ne discordiæ inter nos, & Græcos fomitem ministraret moribus nostris adversa barbaries, de ciuitate exeuntes; ex adversis ciuitatis, interiacente Pōto, ad preces Imperatoris castra posuim⁹. Verū sicut non hominum opera fuerunt, sed Dei, quæ Græcis intulimus: ita non hominum, sed dęmonum; quæ cum Imperatore nouo Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Imperator enim ex insperato, Græcorum seductus perfidia à nobis recessit animo; cui tanta beneficia contuleramus, & in omnibus cum Patre , Patriarcha & mole nobilium nobis promissis periurus & mendax; tot incurrit periuria , quod nobis præstitit sacramenta. Vnde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incassum; & navigij, quod ipsum adduxerat, & sublimauerat, ad coronam procurat incendia. Sed voto tam crudeli fraudatur, Domino nos protegente. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cędes, incendia & rapinæ. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur. Æmulum ei elevant Græci Imperatorem, ea occasione captata: quia ad auxilium nostrum tunc nullum sanguine sibi propinquum possit habere refugium. Cumque euadendi spes vnica restaret in nobis, iuratum sibi quendam Murzuflum nomine in quo super alios omnes de impensis ei beneficijs confidebat, mittit ad exercitum nostrum, Imperiale palatium Blachernæ

chernæ dictum, nobis sub Imperatoris & suo iuramento promittit in obsidium: donec cuncta nobis promissa reddantur. Accedit ad accipiendum Palatium nobis Marchio Montisferati, cum militibus nostris. Sed Græci nostris illudunt; & quos super hoc promisso iam nobis dederant; sumtis obsidibus, consueta periuria non verentur. Nocte insecuta Murzuflus Domino suo & nobis periurus; reddendi nobis Palatij revelat arcana; & ex hoc perpetuam ipsis eripi libertatem; & contra hoc veniendum modis omnibus esse, declarat, si deijciatur Alexius. Huius itaque proditionis meritò Imperator à Græcis acclamatur. In Dominum ergo suum dormientem, & rei nescium sacrilegas mittit manus, & in carcerem vnà cum Nicolao quodam, quem inscium proditione Imperatorem traditum, vi populus apud S. Sophiam simul deiecit, sibique coronam imperialem vsurpavit: modicumque post hæc Isaacius pater Alexij, diem clausit extremum; qui animum filij sui à nobis præ omnibus (vt dicebatur) averterat. Græcis autem sanguinem nostrum tantum sitientibus; acclamante præcipuè clero & populo vniverso; vt de terra brevi toleremur; prælia contra nos proditor iam dictus instaurat: vrbē machinis in propugnaculis munit: quorum similia nemo videt vnquam.

Cūq; murus miræ latitudinis in altum valde cōsurgens, turres haberet amplissimas; nūq; pedib. circiter quinquagenis Paulo minusue distantes, inter quaslibet duas ex parte maris, qua noster timebat. assultus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor multitudinem continens armatorum. Nec minus inter duas turres qualibet seu paterca, seu magnellus erigitur. Turribus autem superceriguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex; superque supremam stationem adversum nos porriguntur scalæ, appoditiones ex vtraque parte & propugnacula continentes; paulò minus excelsis scalarum capitibus: quantum iacere possit in altum arcus à terra.

Murum etiam ipsum Murus circumcingit inferior: duxitque fossatum ne muris vlla applicare possent ingenia; sub quibus possint latitare fossores. Interim terra marique nos tantat perfidus Imperator; semper nos Domino protegente; suosque frustrante conatus.

Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul adeuntibus nostris vsque ad mille animas pugnatorum Imperator occurrit in multitudine gravi. Sed primo congressu dissipatur omnino; cæsis captisque non paucis, sine damno nostrorum; & fuga ignominiosa consulens sibi; clypeum abijcit; arma deponit; & vexillum Imperiale dimittit; simulque nobilem, quàm sibi præferri faciebat iconem, quam Cisterciensium ordini dedicavere victores.

Post hæc naves nostras flammis aggreditur: intempestæque noctis

silentio quindecim naves suas incensis velis suis in altum colligatis; & inferius ad proram flante fortiter Austro, nostras mittit naves. Sed Domino faciente, cum multo labore nostrorum custodimur indemnes; & ardentibus navibus clavis infixis, catenas habentibus nostrorum remigio trahuntur in pelagus; & sic ab imminentis mortis periculo à Domino liberamur. Nos quoque terrestrem eum provocamus ad pugnam; & ponte atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis, ante portam diu stetimus regiæ ciuitatis; præcedente cruce vivifica; in nomine Domini agminum Israel parati ad prælium Græcos excipere: si eis placuisset exire.

Sed vnus tantum Nobilis quispiam pro militiæ exercitio egressus est; quem nostri pedites membratim dilaniverunt; sicque in castra reversi sunt. Terra marique sæpius provocamur: sed dante Domino semper triumphaliter obtinemus. Mittit ergo ad nos pacis fictæ Legatos perfidus Occupator Imperij postulat & obtinet cum Duce Venetorum colloquium. Cumque eidem Dux obiecisset; quod nulla cum eo possit esse securitas, qui Dominum suum carcere conclusisset; postposita iuris iurandi religione, & fidei, ac fœderis; & ipsi prærripuisset Imperium: & bona fide consuleret vt Dominum suum restitueret; & humiliter veniam postularet; nostras etiã pro se mittens preces: & quod cum eodẽ Domino suo misericordiam agere, si vellet, deberemus; & quicquid egerat contra nos venenosè, si rediret ad animũ, imputare vellemus ætati lapsuvè consilij: Ille vana verba subintulit: quia quæ responderet, rationabiliter non habuit: Obedientiam Romam Pontificis, & subuentionem terræ sanctæ; quam iuramẽto & scripto confirmarat Alexius Imperiali; adeo refutat, vt vitam amittere præeligeret, Græciamque subverti; quàm quod Latinis Pontificibus Orientalis Ecclesia subsederetur. Nocte igitur insequente Dominum suum latenter suffocat in carcere; cum quo ipso die prandium sumpserat. Inde & clava ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit; casuque vitam, quam laqueo extorserat, confingit exemtam. Propalatũ omnibus scelus, funeris honore dissimulat. Sic nobis hyems tota perficitur; donec manibus nostris stabiliter aptatis; & instrumentis bellicis præparatis: nos & nostra recipientes in navibus: V. Aprilis, hoc est sexta feria ante passionem Domini, vnanimiter pro honore S. Romanæ Ecclesiæ, & sub veneratione terræ sanctæ, navali prælio invadimus civitatem. Et eo die sine multo tamen nostrorum sanguine sumus tanta perpessi; vt inimicis nostris in opprobrium verteremur; quorum eo die pars fuit per cuncta deterior; adeo vt tracta in terram bellica nostra machinamenta, Græcis compelleremur relinquere; & infecto negotio ad ripam redire cogeremur adversam eadie, vt videbatur, inutiliter fatigati:

tigati:

rigati: Conturbati ergo plurimum & contriti; & demum in Domino corroborati; definito consilio rursum instauramur ad pugnam: & quarto die Idus Aprilis, hoc est, secunda feria post passionem Domini; flante Borea rursum applicamur ad muros: scalis navium trium applicatis; cum multo labore nostrorum: & permultum in resistentibus Græcis.

Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum; belli deerat anceps eventus. Duæ siquidem naves colligatæ, quæ pariter noster Episcopus Suessionensem & Trecensem deferebant; quarum erant insignia Paradisus & peregrina: primæ scalę scalas turrium attigerunt; & felici auspicio peregrinos pro paradiso certantes hostibus admoverunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum; ministrisque secretorum cœlestium prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur nostris, Domino iubente cedit multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum cum Imperator, qui non procul á muris stabat armatus, conspicaretur ingressum: statim tentoria dereliquit, & fugit.

Nostri cædibus occupantur, capitur ciuitas populosa, recipiuntur in Palatijs Imperialibus, qui nostrorum enses aufugerunt multaque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt, aduesperascente iam die, arma fessi deponunt. De assultu crastino tractaturus suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens; quod nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa cõclusos, sed noctu latentem dat terga deuictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita de substituendo Imperatore pertractat. Et dum mane facto ad denominationem cuiusdam Constantini procedunt, pedites nostri, nõ expectata deliberatione maiorum, ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima relinquuntur palatia, totaque in momento ciuitas obtinetur: diripitur equorum innumera multitudo, auri argenti, sericarum preciosarumque vestium ac gemmarum, & omnium eorum, quæ ab hominibus inter diuitias computantur tã inæstimabilis abundantia reperitur, vt tantum tutolatitans non videretur possidere: & qui pauca ante negauerant, cuncta nobis diuino iudicio reliquerunt, vt secure dicamus quod maiora in his mirabilia circa bellorum casus nulla vnquam narret historia, vt impleta prophetia manifeste videatur in nobis, quæ dicit. Quia si inter singulos victoriam partiamur, qui libet ex nostris non pauciores quam centum, obsedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam vsurpamus, quia super omnia mirabilia saluati sumus dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est in nobis: à Domino factum etiam illud: & est mirabile in oculis nostris.

Ordinatis igitur diligenter quæ disponendarum rerum pascebat e-

ventus; ad electionem Imperatoris vnanimiter & devotè procedimus, & omnia ambitione seclusa, cum sex Baronibus Venetorum venerabiles viros, Episcopos nostros, Suessionensem & Halberstadensem, Dominum quoque Bethlemitanum, qui à partibus transmarinis auctoritate Apostolica nobis fuerat delegatus, Aconensem electum, Abbatemque Lucedij, Imperatoris nostri sub Domino constituimus electores. Qui oratione præmissa vt decuit, Dominica Misericordias Domini, per con am nostram quod à nostris meritis erat procul, vnanimiter ac solenniter elegerunt: divis laudibus clero ac populo acclamante. Sequentique Dominica, qua Iubilate cantatur; præcipiente Petro Apostolo, Regem honorificari, eique obedire; & Evangelio nunciante, quod gaudium vestrum nemo tollet à vobis; cum etiam suo applaudentibus Græcis: ad honorem Dei sanctæque Rom. Ecclesiæ gloriosè ad Imperij fastigia & coronam Deo & hominibus amabiles Patres memorati Pontifices cum vniversorum applausu & pijs lacrymis nos sublimaverunt. Aderant incolæ terræ, Sanctæ Ecclesiasticæ, militaresque personæ; quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda lætitia: Exhibitumque Deo gratius officium asserebant; quam si civitas sancta Christianis cultibus esset restituta, cum ad confusionem perpetuam inimicorum crucis, S. Roman. Ecclesiæ, terræque sanctæ, sese regia civitas devoveret; quædam diu tam potenter adversaria stetit, & contradixit vtrique.

Hæc est spurcissima gentilium, pro fraterna societate alternis ebibitis, cum infidelibus sępius est ausa amicitias confirmare ferales, & easdē mamma diu lactauit vberrima; & extulit in superbiam seculorum arma, naves, & victualia ministrando; Quæ è contrario fecerunt peregrinis magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla, quam verba. Hæc est enim, quæ in odium summi Pontificis Apostolorum principis, nomen audire vix poterat; nec vnam eidem inter tot Græcas Ecclesiam concedebat; qui omnium Ecclesiarũ accepit ab ipso Domino principatum: & (sicut eorum memoria recens recolit qui viderunt) Legatum Apostolicum morte tam turpissima condemnavit; vt nec inter Martyres tegatur vlla consimilis; licet pœnas eorum incrediles invenerit ingeniosa crudelitas. Hæc est, quæ Christum didicerat solis honorare picturis; & inter nefandos, quos sibi spreta scripturarum auctoritate, confixerat, etiam lauacri salutaris plerunque facere præsumebat iterando iacturam. Hæc est, quæ Latinos omnes nō hominum nomine dignabatur sed canum: quornm sangniuem effundere penè inter merita reputabatur: nec vlla pœnitentiæ satisfactione satisfaciebant Laici Monachi; penes quos sacerdotibus summotis, tota ligandi atque solvendi consistebat auctoritas. Hæc & huiuscemodi deliramenta; quæ epistolaris non valet explicare angustiæ imple-

impletis iniquitatibus eorum, qui Christum Dominum ad nauseam prouocabant diuina iusticia nostro ministerio digna vltione percussit; & expulsis hominibus Deum odientibus, nobis se amantibus terram dedit; omnium bonorum copijs affluentem; frumento, vino & oleo stabilitam fructibus opulentam, nemoribus, aquis & pascuis spaciosam, ad manendum speciosam, & cui similem non continet orbis, aëre temperatam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt: nec ab humeris sustinebimus vexillum regale deponi, donec terra incolatu stabilita nostrorum, partes inviserimus transmarinas: & Deo donante propositum peregrinationis expleamus, speramus enim in Domino IESV, qui, quod incepit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum videlicet crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit, solidabitque. Vniuersitatem igitur vestram propensius oramus in Domino; vt gloriæ huius atq; victoriæ & spei, cuius ostium nobis magnum apertum est, dignemini esse participes. Quia absque vlla dubitatione vobis contigent, si nobiles, cuius libet conditionis aut sexus, eisdem desiderijs accensi ad veras immensasque diuitias capessendas, temporales pariter & æternas vnanimiter acquiratis. Vniuersis enim, DEO donante, sufficimus; quod nobis Christianæ religionis Zelus adduxerit; vniversos volumus simul & possumus secundum status suos, varietatemque natalium, & augere diuitijs, & honoribus ampliare. Spiritualiter autem Deo amabiles Ecclesiasticos viros cuiusque religionis aut ritus in Domino postulamus, vt ad idem populum suum potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, cateruatimque & ipsi venire festinent, in locis amænissimis & vberrimis non iam in sanguine, sed cum multa libertate & pace, omniumque bonorum affluentia, Ecclesiam plantaturi, salua semper, vt decet, obedientia Prælatorum.

CONRADVS ROM. IMP. AVGVSTVS, IOANNI Imp. Constantinopolitano.

SAlutem & dilectionem fraternam, amicitiam, honorem & gloriam. Vt parentes & antecessores nostri ad antecessores vestros constituerunt: ista ego constituo: & sicut servarunt, conseruabo. Non est gens, regnum, aut populus: qui non noverit nostræ Romanæ Reipub. vestram novam Romam & dici, & fore filiam: ex huius radice ramos & fructus eius processisse. Propter quod hæreditatem, quæ à matre, debetur filiæ, constituimus, æternamque volumus: & eò amplius, quod quæ matri debentur, filiam velle cernimus: scilicet vt auctoritas materna præcinat consilio & auxilio: respondeat autem gloria & honore filialis dilectio. Sint ergo res vtriusque communes: vtriusque amicus idem: idem inimicus: siue in terra, sive in mari: cognoscat ac timeat matris virtutem & valentiam: qui non honora-

E 3 verit

verit filiam: sive Nortmannus, siue Siculus, sive quis alter quicunque & vbicunque. Conservamus igitur, quæ iusta & amicabilia sunt, ad vos: eadem vos, ad nos: & tanto studiosius, quanto per coniugium sororis dilectissimæ coniugis nostræ, & filij tui confœderati sumus propinquius. Verum quia de nostris hilarescere successibus, dilectionis & nobilitatis tuæ credimus experientiam: quid post discessum prudentissimorum Apocrisiariorũ tuorum, in generali & solenni curia cum vniuersis imperij nostri Principibus, cui eos interesse voluimus DEO auxiliante actum sit: tibi ceu vnico fratri nostro & amico dilectissimo dignum duximus significare. Noveris igitur, quod omnes, qui Imperium nostrum offendisse videbantur cooperante Deo, potenter in nostro Imperiali iure inclinavimus: (sed ad expeditionem Hierosolymitana suspiciendam) eosque in plenitudinem gratiæ nostræ suscipiẽtes, vniuersas Imperij nostri partes abundanti pace ditavimus.

Ad hoc Francia, Hispania, Anglia, Dania cæteraq; regna, Imperio nostro adiacentia, quotidiana legatione, sua cũ debita reverentia & obsequio nos frequentant ad ea quæ imperij nostri mandata sunt, se prompta esse tã obsidibus, quam sacramentis affirmantes. Etiã Dominus Papa totaq; Apulia Italia & Longobardia de die in diem, aduentum nostrũ desiderant: & vt nostra eis imperialij subueniatur potentia, cum omni deuotione expostulant. Huius rei gratia dilectissimum & præcordialem Imperij nostri Principem Embriconem venerabilem Herbipolensem Episcopum, amicum tuum, ad exquirendam Domini Papæ voluntatem, Romã direximus: qua cognita, & communicato Principum nostrorum Consilio, ea quæ ad vtriusq; imperij nostri honorem spectat per charissimos & prudentissimos nuncios nostros Robertum principem Capuanum, & Albertum Capellanũ nostrũ & in fide Constantem tuæ significabimus nobilitati. Hos igitur tanquam nos audias & quæ tibi dixerint, sicut decet Excellentiã tuam & sicut de te speramus ac credimus, ad effectum perducas: & cum eis honestos Apocrisiarios tuos sine dilatione ad nos remittas. Militibus quoque nostris (Alemannis) qui apud te sunt, sicut decet Excellentiam tuam, benignus, existas. Rogamus etiam te, vt hominibus Imperij nostri. Teutonicis videlicet, qui Constantinopoli morantur, locum, in quo ad honorem DEI Ecclesiam ædificent, concedas tum respectu divinæ remunerationis: tum & interventu ac petitione nostræ dilectionis.

Quid ipsum quoque iam antea nos in literis prioribus à te pro DEI amore, & honore petivimus: quia si ipse qui dat salutem regibus, fuerit in medio nostri, certum est quod non gaudebunt inimici nostri. Datum Ratisponæ in CHRISTO feliciter, XVIII. April. M. CXLII.

Ioan-

IOANNES IN CHRISTO DEO FIDELIS REX PORPHYROGENITUS, sublimis, fortis, Augustus. Comnenus & Imperator Romanorum, nobilissimo fratri & amico Imperij Conrado Regi.

NObilissime & dilecte amice Imperij mei Rex, literæ tuæ Nobilitatis, fraterni affectus signum, ad nostram delatę Mansuetudinem, per prudentissimũ Apocrisiariũ Nobilitatis tuæ, sunt ac multa nos lætitia replevit. Nam bona tuæ nobilitatis, voluntas, & cognationis & amicabilis affectio & dilectio, quam demonstrasti, & per literas, & per verba, & per opera ipsa erga imperium nostrum, nostram consequenter pietatem totam toto animo ad tuum amorem pertraxit.

Quare etiam diuersos fidelissimorum & familiarissimorum hominum suorum, Imperium nostrum ad tuam Nobilitatem emisit: recommunicare volens per eos Nobilitati tuæ totis de causis: propter quas & mandasti, & scripsisti: vult enim in Deo in omnibus amice sapere, & cognationabiliter, & fraterne ad tuam voluntatem: & omnia agere, secundum quod videtur ei, quæ ad honorem sunt nobilitatis tuæ (Quia) verò prudentissimus Dux Venetiæ Petrus Polanus mediator à Nobilitate tua in his causis assumptus est; sicut vir bonus, & fidelis ambabus partibus: & hoc nobis placere dignum visum est.

De causa Apuliæ & Longobardiæ prudentissimis Apocrisiarijs nostris, quæ à nobis visa sunt, mandavimus. Nam etsi quidam horum, ad susceptionem magis Nobilissimæ cum Deo futuræ nurus Imperij mei, missi sunt: tamen etiam communiter eis notum Imperij mei velle. Vale Nobilissime amice Imperij mei Rex.

CONRADVS DEI GRATIA ROM. IMP. AVG. CLARISSIMO fratri suo Manueli Porphyrogenito Comneno, Illustri & Glorioso Regi Græcorum.

NObilitatis tuæ literas, vt à tanto & tam charo amico nostro, Serenitati nostræ transmissas, gratanter excepimus, & viso eorum tenore de incolumitate & sublimitate tua ad modum gavisi sumus. Sed auditis à Nicephoro, tuæ dilectionis prudenti Apocrisiario, præter illa quæ in literis continebantur, quibusdam verbis duris, & (vt verum fateamur) ab omni retrò tempore inauditis, & nostræ Maiestatis, vltra quam lingua explere valeat, perturbata est mansuetudo, & est admirata vniuersi imperij nostri latitudo.

Vnde vel à quo hoc tam amarum verbum processerit, miramur, præsertim cum inter cætera huius mundi regna, Græcorũ. n. regnũ omni sapientia &

tia & discretione hactenus floruerit. Si enim, idem nuncius tuus Nicephorus vnicum filium nostrum Henricum in præsentia nostra morti dedisset, ad maiorem iram Maiestatis nostræ animum prouocare non poterat; Cumque iam per triduum in hoc acerbo dolore laborasset, & rigorem nostri animi nullo ingenio multaque sapientia ad suam voluntatem inflectere potuisset, vix tandem quarto die alijs verbis mitioribus Excellentiam nostram exhilarauit, nostræque furore indignationis mitigato, nobilitatis tuæ voluntatem nobis aperuit. Et quoniam ita nunc est & esse debet, quod tu, amicorũ amicissime, vxorem accipias dilectissimam filiam nostram, sororem videlicet nobilissimæ conthoralis nostræ, volumus, vt in sit æternum fœdus perennis amicitiæ, quam videlicet amicitiam præsenti Apocrisiario tuo ore & manuscripto firmari iussimus, ita videlicet, vt & amici amicorum & inimici simus inimicorum tuorum. Pronide certa sit prudentia tua, quod si tuæ nobilitati vndecunque aliqua molestia vel iniuria fuerit illata, non hanc tibi tantum sed etiam nobis factam iure dilectionis reputamus: quoniam virtutis tuæ nobilitas, & maxime generosi sanguinis, quo in pignus perpetuæ dilectionis cõfœderati sumus, propinquitas nos inuitat, vt te tanquam filium clarissimum totis vlnis charitatis amplectamur, & cuncta, quæ tibi placita sunt, libenti animo faciamus. In qua re istum arbitramur, vt eandem amicitiam nobis & Imperio nostro firmari facias, vt completis omnibus honorificè, vtrique Imperio debitus honor exinde deferatur, & pax & nomen Christi per vniuersum mundum inde glorificetur. Porrò de quingentis militibus, quos nobilitas tua petit, hoc tibi respondemus, quod non solum quingentos, sed etiam duo vel tria millia si necesse habueris, tibi mittemus, & quod maius est, antequam detrimentum aliquod honoris tui pati videremus, elaborata totius Imperij nostri fortitudine, in propria persona tibi, sicut præcordiati filio & fratri charissimo, deficere & deesse nõ possemus. Præterea scripsit nobis tua nobilitas, quod magnos & charos nuncios Sinceritate tuæ mitteremus; in quo voluntati tuæ acquieuimus quoniam quos chariores habuimus, Excellentiæ tuæ transmisimus: scilicet, charissimum præcordialem nostrum Embriconem, venerabilem VVirtzburgensem Episcopum, illustrem & magnum Imperij principem, qui est cor nostrum & anima nostra: nec non dilectissimum nostrum Robertum, illustrem & nobilem Principem Capuanum. Misimus etiam, quasi vtrasque manus nostras, Germanos duos fratres, scilicet fratem Bernonem virum capientem & religiosum, & fratrem ipsius Rivvinum, qui nobis valde charus est, & familiaris & nobilis: & honorandum Principem Imperij nostri Rogerium, illustrem Comitem de Adriano, cuius fidem & constantiam sæpius experti sumus, & Gualterum fidelem nostrum. Itaq; ea quæ in literis non continentur industriæ tuæ referenda commisimus,

quo-

quorum verbis fidem adhibeas, & quę tibi dixerint, tanquam à nobis dicta credas. De Pruthenis vero pro quibus patri tuo diuę recordationis, Ioanni Imperatori per fidelissimum Capellanum nostrum ad Albertum & per Comitem Alexandrum de Grauina scripsimus, de loco in quo nostris Teutoni eis ad honorem Dei Ecclesiam ædificari volumus, & de nobilibus, Baronibus Apuliæ, Alexandro videlicet Clarimontis, philippo de Surre, & Heinrico Cornite & Senne Pustel ille noster præcordialis VVirzburgensis Episcopus & cæteri familiares nostri voluntatem nostram tibi referent quibus tanquam nobis credas. Super his omnibus fidelem apocrysiarium tuum Nicephorum, licet in principio legationis suæ nos conturbauerit, tibi attentius commendamus & quia constanter perdurauit, vt eum remuneres rogamus. Vale.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS CONRADO Imperatori Augusto.

REgali Excellentiæ per plurima iam scripta, nostra facta & negotia diligenter opposuimus, quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra Imperiali corona exaltanda, & omni modo augenda quotidie decertamus. At que quia regentis industria; vt postulavimus, rescribere non dignata fuit plane tanquam filij & fideles de patre & Domino satis miramur. Nos enim quicquid agimus pro vestra fidelitate & honore facimus. Et quidem regnum & imperium Romanorum, vestro à DEO reregimini consessum, exaltare atque amplificare cupientes in eum statum, quo fuit tempore Constantini & Iustiniani qui totum orbem vigore senatus & populi Romani suis tenuere manibus, reducere: Senatu pro his omnibus Dei gratia restituto & eis qui vestro Imperio semper rebelles erunt quique tantum honorem Rom. Imperio subripuerant, magna exparte conculcatis, quatenus ea quæ Cæsari & Imperio deberentur per omnia & in omnibus obtineatis: vehementer atq; vnanimiter satagimus atq; studemus. Et ad huius rei effectum bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & iusticiam omnibus eam volentibus obseruamus, fortitudines, id est, domos potentum vrbis, qui vestro imperio vna cum siculo & Papa resistere parabant, cepimus; & quasdam in vestra fidelitate tenemus; quasdam vero subvertentes, solo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus Papa frangij panes & filij Petri Leonis homines & amici Siculi(ex cepto jordano nostro, fidelitate in vestra vexili foro, & adiutore) Tolomeus quoque & alij plures vndique nos impugnant; ne libere, vt decet, imperialem regio capiti imponere coronam liceat. At nos, quoniam amanti nullus labor grauis est, licet inde plurima damnā sustineamus, pro vestro amore & honore gratanter patimur.

mur. Scimus namq;, nos à vobis proinde præmium, ficut à patre, accepturos, vosque in eos, sicuti in Imperij hostes, vindictam daturos. Cum tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur, ne spes ista nobis deficiat, ne regia dignitas vos vestros fideles & filios despiciat. Neq; si in regalibus auribus aura sinistra de senatu & nobis flauerit, in eam intendat aut respiciat, quia qui de nobis vestræ Altitudini mala suggerunt, de vestra & nostra (quod absit) dissensione lætari volunt, & vtrosque, vt soliti sunt, callide opprimere moliuntur. Sed circa hæc ne fiant, Regalis prudentia, vt decet, sollicita sit & prouida, reminiscaturque vestra solertia, quot & quanta mala Papalis curia, & dicti quondam cives nostri Imperatorib', qui fuerunt ante vos, se fecerint, & nunc deteriora vobis cum siculo facere tentauerunt. Sed nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis ab vrbe, sicut pessimos hostes Imperij, vt sunt pepulimus. Appropinquet igitur nobis Imperialis celeriter vigor, quoniam quicquid vultis in vrbe obtinere, poteritis, & (vt breuiter succincteque loquamur) potenter in vrbe, quæ mundi caput est, vt optamus habitare, toti Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius & melius quam omnes ferè antecessores vestri dominari valebitis. Sine mora ergo precamur, vt veniatis, & interim de statu vestro, quem semper desideramus salubrem & prosperum, de his regalibus literis ac nuncijs nos lætificare dignemini: Sumus enim per omnia vestræ voluntati semper obtemperare parati. Sciatis præterea, quia Pontem Milvium extra vrbem, parum longe per tempora multa pro Impetatorum contrario destructum, nos (vt exercitus vester per eum transire queat, ne petrileones per castellum sancti Angeli vobis nocere possint, vt statuerant cum Papa & Siculo) magno conamine restauramus, & in parui temporis spatio muro fortissimo & silicibus, iuuante DEO, complebitur. Concordiam autem inter Siculum & Papam huiusmodi esse accepimus. Papa concessit siculo virgam & annulum, Dalmaticam & mitram atque sandalia, & ne vllum mittat in terrã suã Legatũ, nisi quẽ Sicullus petierit. Et Siculsu dedit ei multam pecuniam pro detrimento vestro, & Romani Imperij, quod DEI gratia vestrum existit. Hæc omnia solicitè vestra animadvertat, optime Rex, prudentia:

Rex valeat; quicquid cupit, obtineat, super hostes
Imperium teneat, Roma sedeat, regat orbem:
Princeps terrarum, vum fecit Iustinianus:
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua, Præsul,
Vt Christus iussit, Petro soluente tributum.

NOs de cætero legatos nostros precamur vt benigne recipiatis, & quod vobis dixerint credatis: quia scribere cuncta nequiuimus: Sunt enim nobiles viri Guido Senator, Iacobus filius Sixti Procuratoris, & Nicolaus eorum socius. Roma.

CONRADVS IMP. AVG. MILITIBVS SVIS AD Meandrum fluuium.

PRopter Christi gloriam, Milites, non nostram, hanc longinquam & periculosam expeditionem suscepimus: qui domi manere, & magni ac beati esse poteramus, cum nostris charissimis. Nunc vero frigora, æstum, famem, quævis pericula subiuimus: terram pro lecto, coelum pro recto habentes: quantumvis nobiles, illustres, divites, inclyt: Quare, si scitis, quam crudelia isti corde incircumcisi in nostros populares patrent: pugnate, fortissimi milites nunc in eos animose. Si Christus pro nobis mortuus est: quanto magis nos pro illo mortem oppetamus? Iam quia fluuius iste non nisi nova ratione transiri potest: cum acie condensata, simul vno impetu, ceu vno corpore, perrumpamus. Dictum ac factum.

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Conrado Rom. Regi illustr.

SAlutem & Apostolicam benedictionem. Exhortamur te in Domino quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter supportes: & in eo spem tuam constituas: qui, quem vult, permittit affligi: & confidentes in se misericorditer liberare consuevit. Si enim patientiam & humilitatem in adversis perfecte tenueris: per desertum huius vitæ, sub protectione columnæ nubis & ignis, id est, patientiæ solatio, & charitatis ardore intrepide perduceris.

EIDEM.

NObilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino: quatenus nobis statum tuum & regnũ studeas intimare: & hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam sanctam Rom. Ecclesiam geris, ostendas: vt nostro respondere affectui congrue videaris: & beati Petri, Apostolorum principis intercessionibus (cui te totum debes exponere) Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tusculano. 8. Kal. Iulij. M. C. XLIIX.

BERNHARDVS ABBAS CLARAVALLENSIS, ARCHIEPISCOPIS, Episcopis & vniuerso clero & popvlo Orientalis Franciæ & Baiarnæ. S.

SErmo mihi ad vos de negocio Christi, in quo est vtique salus vestra. Nec dico, vt excuset indignitatem personæ loquentis auctoritas Domini; excuset & consideratio propriæ vtilitatis.

Medicus quidem sum: sed non modice vos cupio visceribus Christi IESV. Ea mihi nunc ratio scribendi ad vos, ea caussa, vt vniversitatem vestram literis audeam convenire. Agerem id libentius viva voce, si vt voluntas nō deesset, suppeteret & facultas. Ecce nunc fratres tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis, copiosæ salutis. Commota est siquidem & contremuit terra, quia cæpit DEVS cœli perdere terram suam: Suam, in qua visus est, & annis plus quam triginta homo cum hominibus conuersatus est. Suam vtique quam illustrauit miraculis, quam dedicauit sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt. Et nunc peccatis nostris exigentibus crucis adversarij caput extulere sacrilegium, depopulantes in ore gladij terram benedictam, terram promissionis. Prope est si non fuerit, qui resistat, vt in ipsam DEI viventis irruant ciuitatem, vt officinas nostræ redemptionis euertant, vt polluant loca sancta, agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum, (proh dolor.) religionis Christianæ sacrarium inhiant ore sacrilego; lectumque ipsum invadere & conculcare conantur; in quo propter nos vita nostra obdormivit in morte.

Quid facitis viri fortes? Quid facitis serui crucis? Itane dabitis sanctum canibus, & margaritas porcis? Quam multi illic peccatores, confitentes peccata cum lacrymis, veniam obtinuere, postquam patrum gladijs eliminata est spurcitia paganorum, Videt hoc malignus, & invidet: dentibus frendet & tabescit. Excitat vasa iniquitatis suæ: ne vlla quidem iam pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando forte (quod DEVS auertat) obtinere valuerit. Verum id quidem omnibus seculis deinceps inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum: Specialiter autem generationi huic pessimæ infinita confusio, & opprobrium sempiternum. Quid tamen arbitramur, fratres? Nuncquid abbreviata est manus Domini, aut impotens facta est ad saluandum, quod ad tuendam & restituendam sibi hæreditatem suam exiguos vermiculos vocat? Nunquid non potest mittere angelorum plus quam duodecim legiones: aut certe tantum dicere verbo, & liberabitur terra. Omnino? subest ei, cum voluerit, posse. Sed dico vobis, tentat vos Dominus DEVS vester. respicit super filios hominum, vt forte sit, qui intelligat & requirat, & doleat vicem eius. Miseratur enim populum suum DEVS, & lapsis grauiter providet remedium salutis. Considerate quanto ad solvendos vos artificio vtitur, & obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, & confidite peccatores: Non vult mortem vestram: sed vt convertamini, & vivatis, quia sic quærit occasionem non aduersum vos, sed pro vobis.

EVGENIVS PAPA CONRADO ROMAnorum Regi. S.

Cum

CVm in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat; sicut nec prosperis elevari, nec frangi adversis, confidentes de diuina miseratione, debemus: qui Dei & hominum mediator admiranda dispensatione consuevit omnem filium, quem recipit adversitatibus flagellare; vt, dum ipsum per amorem ad æterna præmia vocat, præsens mundus eius animum per varias turbationes, quas ingerit, à se ipso repellat; tantoque facilius ab huius seculi amore recedat; quantò magis impellitur, dum vocatur. Quod Moyse vocante & Pharaone signatur in Israelitico populo.

Moyses namque tunc ad vocandum missus est, cum Pharao duris eum operibus perurgebat; quatenus alter vocando pertraheret; alter impelleret sæviendo; vt plebs in servitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel impulsa molestijs, moveretur. Hoc itaque rationis debito incitati discretionem tuã commovemus & exhortamur in Domino; quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotẽs Deus irrogavit, patienter supportes; & in eo spem tuam constituas; qui quem vult, permittit affligi; & confidentes in se misericorditer liberare consuevit. Si enim patientiam & humilitatem in adversis perfectè tenueris; per desertum huius vitæ, sub protectione nubis & ignis, id est, patientiæ solatio, & charitatis ardore intrepidus perduceris.

Quia igitur personam tuam vera charitate diligimus: & de te valde confidimus; si post tuum reditum sine dilatione de his, quæ ad honorem sanctæ Ecclesiæ & regni spectare noscuntur, tecum mutuis potuissemus tractare colloquijs, nobis vtique gratum fuisset. Verum quia id nobis temporis qualitas denegavit; & de tua salute sumus soliciti; quosdam de patribus nostris, postquam te ad Longobardiæ partes, auctore Domino, incolumem pervenisse accepimus; sicut pervenerabiles fratres nostros Artuvicum Bremensem Archiepiscopum, & Anshelmum Havelburgensem Episcopum, tibi significavimus: ad tuam serenitatem duximus destinandos; vt affectum & benevolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent; & quod de te audire cupimus, ipsorum relatione noscerem'. Quibus dedim' in mandatis, vt tibi tanquã charissimo filio nostro, & Catholico Principi, atque speciali Romanæ sanctæ Ecclesiæ defensori, ipsius Ecclesiæ statum & nostrum exponerent. Qui siquidem in Tusciam vsque progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse noverunt, longitudinem viæ & difficultatem itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiam redierunt. Cæterum quia statum tuum, & dilecti filij nostri Henrici Iunioris regis (quem post discessum tuum paterno affectu dileximus, & imposterum actiones eius prosperari in Domino præoptamus) cognoscere cupimus; cum fratres nostri, propter æstatis fervorem, laborem tanti itineris perficere non valerent; per fidelem nostrum Franconem latorem

præsentium,& Apostolica scripta tuam excellentiam visitantes; nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino; quatenus ea quæ circa te & ipsum geruntur,& statum regni per eundem Franconem nobis studeas intimare; & hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam geris,ostendas; vt nostro respondere affectui congrué videaris; B.Petri Apostolorum in Principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tuscalano 8. Calend. Iulij.

EVGENIVS PAPA LVDOVICO Regi Francorum.

QVantum prædecessores nostri pro recuperanda Orientali Ecclesia laboraverint: omnibus esse cognitum arbitramur. Quis enim nescit, Vrbanum proximè universo Occidenti propè classicum cecinisse: atque omnes provincias ad hoc æmulandum decus incitavisse? Ex omnibus autem, qui huic laudi atque officio studuerunt, Franci sine dubio, & Itali virtutis, diligentiæ, pietatisque primas tulere. Itaque non minore felicitate,quàm fortitudine Hierosolyma recepere: regnumq; novum in Syria condidêre. Nunc verò (proh dolor) capta est Ecclesia: quæ cæteris vrbibus quondam oppressis, sola in studio pietatis Christianæ perstiterat. Iugulatus est vnà cũ clero Archiepiscopus:& vniversus Christianorũ popul' fœdissimè trucidatus: Sanctorumque relliquiæ ab infidelibus conculcatæ sunt. Qua ex re quantũ periculi Ecclesia Orientalis cõtraxerit: vos ꝓ vestra prudentia perspicere opinamur. Vos igitur hortamur atque oramus: vt ad ea conservanda, quæ patrum vestrorum labore ac sanguine parta sunt, ac curatis & Christianos, qui captivi facti sunt, misera ac tristi servo tute solvatis. Nos autem omnia dona vobis pollicemur: quæ vobis ab VRBANO Pontifice concessa sunt: quæ bona, vxores, filios eorum, qui Crucem susceperint, in sanctæ Ecclesiæ nostrorũ, Archiepiscoporum, episcoporum & aliorum procerum Ecclesiæ tutela manere decernimus. Præterea ne quis de bonis, quæ in crucis susceptione habuerit, vllam, donec domum rederit, subire controversiam possit: nec si ære, mersus alieno fuerit, vsuras solvere teneatur, cavemus; Qui pecunias mutuas à dominis feudi impetrare nequiverint; eos possessiones hominibus Ecclesiasticis oppignorare posse concedimus; Ne verò vestibus induti preciosis nec culto corpore, nec cum canibus & accipitribus, aut alijs rebus luxuriem indicantibus eatis, monemus.

Demum ex Vrbani instituto, omnipotẽtis DEI,& Sancti Petri Apostolorum principis auctoritate nobis à DEO concessa freti, peccatorum remissionem ita concedimus: vt qui tam sanctum iter susceperint, sive in

ne in eo operierint, omnium delictorum suorum quæ ritè confessi fuerint absolutionem obtineant. Vetrallæ. X. Kal. Decemb. M. C. XLV.

ADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei Friderico Romano Imperatori.

LEx divina sicut parentes honorantibus longævitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis ostendit. Veritatis autem voce docemur: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro & Sanctæ Rom. Ecclesiæ non, quantâ debes, exhibere reverentiam videris. In literis enim ad nos missis nomen tuum nostro proponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis â te promissa & iurata, quomodo eam observes; cum ab ijs, qui dij sunt, & filij excelsi omnes, episcopis scilicet, homagium requiris: fidelitatem exigis: & manus eorum sacratas manibus tuis infectis: & manifeste nobis factus contrarius, Cardinalibus à latere nostro directis, non solum Ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis? Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum à nobis con secrationem & coronam merueris: dum inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus.

FRIDERICVS ROM. IMP. SEMPER AVGVST. ADRIAno Ecclesiæ Catholicæ Pontifici.

LEx iustitiæ vnicuique, quod suum est, restituit. Non .n. parentibus nostris derogamus: quibus in hoc regno debitum honorem exhibemus: à quibus in hoc regno debitum honorem exhibemus: à quibus videlicet primogenitoribus nostris & regni dignitatem suscepimus, & coronam. Nnnquid tempore CONSTANTINI Sylvester Regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed eius pietatis concessione, libertas restituta est Ecclesiæ: pax restituta est: & quicquid Papatus vester regalis habere dignoscitur, largitionem Principum obtinet. Vnde cùm Rom. Pontifici scribimus: iure antiquo & nomen præponimus: & ad iustitiæ norman eidem nobis scribendi concedimus. Revolvite Annales: & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenitur. Ab ijs autem, qui Dei sunt, per adoptionem & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia Sacramenta non exigiamus? Cùm ille noster & vester institutor, ab homine rege nihil accipiens: sed omnia bona omnibus conferens: qui pro se & Petro censum Cæsari solvit: & exemplum vobis dedit, vt ita faciatis; doceat vos, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Aut igitur regalia nostra nobis dimittant: aut, si hæc vtilia iudicaverint, quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari persolvant.

Cardinalibus vtique vestris clausæ sunt Ecclesiæ: & non patent ciyitates.

tates: quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cum autem viderimus eos, quales requirit ecclesia, portantes pacem illuminantes patriam: assistentes causæ humilium in æquitate: necessarijs stipendijs & commeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam inutilis: cùm huiusmodi quæstiones, religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Provideat itaque paternitas vestra: ne, dum talia movet, quæ in digna ducimus, offendiculum ponat, illis; qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. Non enim non possumns respondere auditis: cum superbiæ detestabilem bestiam vsque ad sedem Petri reptasse videmus. Pacem Ecclesiæ benè semper providentes, benè semper valete.

HENRICVS REX ANGLIÆ DVX NORMANNIÆ ET Aquitaniæ, & Comes Andegavensis, Friderico Roman. Imperatori.

EXcellentiæ vestræ, quantas possumus, referimus gratias, dominantium optimi: quod nos nuncijs vestris visitare, salutare literis; muneribus prævenire: &, quòd his charius amplectimur, pacis & amoris invicem dignata sit fœdera inchoare. Exultavimus: & quodammodo animum nobis crescere, & in maius sensimus evchi: dum vestra promissio, in qua nobis spem dedistis, in disponendis regni nostri negocijs, alacriores nos reddidit, atque promptiores.

Exaltavimus inquam, & tota mente Magnificentiæ vestræ assurreximus: id vobis sincero cordis affectu respondentes: quòd quicquid ad honorem vestrum spectare noverimus, prò posse nostro, effectui mancipare parati sumus. Regnum nostrum, & quicquid vbique nostræ subijcitur ditioni vobis exponimus: & vestræ committimus potestati: vt ad vestrum nutum omnia disponantur: & in omnibus vestri fiat voluntas imperij. Sit igitur inter nos & populos nostros dilectionis & pacis vnitas indivisa: cõmercia tuta: ita tamen vt vobis, qui dignitate præeminetis, imperandi cedat auctoritas: nobis non deerit voluntas obsequendi. Et sicut vestræ serenitatis memoriam vestrorum excitat in nos munerum largitio: sic vos nostri quoque reminisci præoptamus: mittentes quæ pulchriora penes nos erant; & vobis magis placitura. Attendite itaq; dantis affectum non data: & eo animo, quo dantur, excipiti. Valete.

EBERHARDVS BABENBERGENSIS ECCLESIÆ EPIscopus, Adriano Pontifici Romano.

CVm & tacendi, & loquendi tempus sit: quando commune instat periculum

culum, desperationis potius, quam religionis est, servare silentium: omnium est conclamare, in vnam concurrere, ac ferre præsidium. Quando autem impetus hostilis aut incendium ingruerit ciuitati, interest præsertim eorum, qui vigiles ciuitatis sunt: eos, qui in arce sunt, ipsum quoque patrẽ familias expergefacere ad subveniendum in necessitatis articnlo. Hac officij mei consideratione, & specialis debiti, quo teneor multis rationibus S. Rom. Ecclesiæ: ego licet minimus episcoporum, qui nec sum dignus vocari episcopus: tam impudenter, quam imprudenter, exclamo ad vos, Reuerendissime Pater & Domine, hoc in tempore, quo nobis infirmioribus videtur imminere, quod multũ pertimescimus, periculũ. Et quidẽ ab illa olla, quã succensam ab Aquilone vidit olim Propheta Ieremias, ignis quidã per scintillas occultas cœpit erumpere: sed adhuc in fumo est, & Dei gratia, nondũ in flammas eluxit. Inter vos, Domine & filium vestrum Dominum nostrũ Imperatorẽ verbotenus ad huc aliquid perturbationis est. Timendũ valdè & metuendum: ne verba verbis obvιantia, sua collisione flammam tandem excutiant: quæ se latius diffundat in sacerdotio & regno: quod Deus avertat. Ipse filius vester, sicut nostis, dominus noster est: vos autem, quomodo Christus, Magister & dominus. Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde: cur hoc facitis aut dicitis? Optamus tantum, & rogamus ea quæ ad pacẽ sunt. Quod si liceret salua reuerentia verba singula trutinare, & rationem singulorum exigere: in insipientia dico: non, vt arbitror, expediret: quia potius ignis sine mora discutiendus est: quam de igne, qua de parte venerit, disceptandum. Supra me esse scio, quæ loquor: sed in simplicitate cordis mei coram eo, qui super omnes, & secretorũ est conscius, hęc loquor: & ex quo cępi semel, loquar adhuc vobis confidenter, tanquam patri & domino. Omissis illis, quæ aliter & aliter secundum varias auditorum & interpretum mentes possunt accipi, dignetur deintegrò scribere vestra paternitas placide ac benigne filio vestro, domino nostro Imperatori: & ad se paterno affectu eũ revocare, promptum ad exhibendam vobis omnem reverentiam. Samuel Dauidem tuum amplectatur: nec dimittat à se separari: vt nulla scissura chlamydis fiat: quatenus Deus honoretur: & Ecclesia Catholica tranquilla devotione lætetur.

CLEMENTI III PONT. MAX.

Anonymus.

CRedentes Sanctitatẽ vestrã esse cupidam circa noticiam rerum ab Impetarore gestarum, ea quæ vidimus & manibus tractavimus, sine adulterinę facilitatis admixtioem, sucincta brevitate vobis scribere curavimus. Cognoscat itaque vestræ sanctitatis discretio quod ab amantissimo rege Vngariæ Bela honorifice recepti: & benigne ab ipso humaniterq; tractati: statim cum regnum Græciæ intravimus: in manus furum & latronum inci-

dimus: nulla in Græcis fide reperta. Nã cõtra cõmunem nõ violandorũ legatorum legem, Episcopum Monasteriensem & Comitem Robertum ceperant: vnde cũ magno labore per partes Bulgariæ procedentes: post longã viæ nostræ morã: capta prius ciuitate Philippoli, & destructa, & famoso castro Vermio diruto: & tota circumiacente regione gladio devastata: capta etiam vrbe Adrianopoli, vna cum circumiacentibus civitatibus: captaq; inexpugnabili ciuitate Timotico à Duce Sueviæ: & infinitis habitatorib. villę occisis: destructo etiam quodã castro Manicęta à militibus nostris, & paucis de exercitu: vbi circiter sex millia Græcorũ perierunt igne & gladio: captis quoque compluribus castris, & facta magna strage Græcorum: cum etiam fame perirent: acceptis pręterea à Constantinopolitano Imperatore idoneis obsidibus: redditisque nobis nuncijs Soldani, & filijs eius: quos ad nos missos ante ceperant: in festo Paschæ cum omni prosperitate rerum & personarum, brachium S. Georgij transivimus. Sed postmodum, quæ à prædicto Imperatore nobis iurata & promissa sunt, nequaquam sunt observata. Deinde procedentes per partes Philadelphiæ, vsq; Laodiceam pervenimus in manu forti, omni die armata militia exercit' Christi. Inde proficiscentes feria sexta ante diem Rogationum, propter graminis & aquæ defectum, & propter diætam solito lõgiorem, inæstimabile damnum in equis passi: eò venimus, vbi fluuius Mandra oritur. Et cum adhuc essent circa nos nuncij Soldani, & filij eius: qui magna domino Imperatori munera attulerant: & sub fidei certa pollicitatione pacem nobis firmissimam promiserant: invenimus tamen ibi in magna copia Turcarum acies contra nos ordinatas: qui ad mortem nostram missi fuerant. Sed Deo auctore & duce, sub sanctæ Crucis vexillo, diluculo feria secunda, quæ prima erat rogationum dies: in ore gladij eos vicimus magna eorum facta strage: transeuntes eadem die fauces & angustissima montium versus Susopolim: in quibus partibus sub angusto quodam transitu, ipsa vigilia Ascensionis Domini magnam Turcorum multitudinem occidimus. Et quia iam equorum defectũ sensimus: qui vulnerati fuerãt & occisi: & propter frigiditatem, segetem & herbam nõ invenimus: cũ iam fame arctari inciperemus: nec à nuncijs Soldani aliquod inveniremus consilium: à via regia, quam Imperator Emanuel ire solebat: eo quod esset deserta & congissima versus Iconiũ, & tota montibus clausa: necessitate coacti ad sinistram declinavimus. Die Ascẽsionis sumitates montiũ per quos nobis erat transitus occupantes: per montes asperrimos & viã angustissimã contra spem omnium, cũ summa difficultate, magnaq; rerum & personarũ iactura: eadẽ die in planitiẽ Firminini descendimus. Turci .n. ex omni parte quasi corona totum cinxerant & impugnabant exercitũ, & Dux Sueviæ cum Duce de Mair & Marchione de Baden, & alijs nobilibus ac sagittarijs à tergo remanserant, ad tuendum præcedentes: Qui cũ præmissis

eorum

eorum equis, pedites descendere deberent: tanta fuit Turcorũ instantia cũ sagittis & fundis & lapidib⁹: quod nostri ab invicẽ divisi, in magno necessitatis articulo positi sunt: Tunc Dux Sueviæ vulnerat⁹ est: vno superiori dente penit⁹ excusso, & læsa medietate inferioris: multi etiã milites ex nostris vulnerati sunt: vn⁹ solus occisus est. Saumarij quoq; multi cũ pecunia, vestibus, vasis ꝑditi sunt, sed de Turcis plurimi occisi. Turcorũ vero vires supra quã dici potest quotidie augebãtur. Nã statim Ducẽ Sueviæ & Ducẽ Finimini & Ducẽ Fernæ cũ suo exercitu in occursum habuimus, cũ infinito aliorum numero. Quibus omnibus coadunatis, à mane vsq; ad vesperã per omnes sequentes dies conflictum habuimus: & Deus semꝑ posuit victoriã in manib⁹ nostris: multis tamẽ vulneratis ex nostris, & multis equis occisis. Post diẽ vero Ascensionis proxima Dominica, Fridericus de Hunlitra eos insequẽdo, de equo cecidit & fracta cervice obijt. Sequẽti autẽ die apud Finiminũ castra metati sumus: vbi cũ circa vesperã castra nostra Turci aggrederentur: ita vt de quibusdã hospitijs spolia iã raperent armatis: nos in fugã eos cõvertim⁹: & ex eis ceciderunt plus quã sex millia Turcorũ, inter quos CCCLXXXIV. de melioribus totius Turciæ occisi, & nullus de nostris interijt, sed & equi multi occisi: & resonabant montes ex clangore plangẽtiũ: & nox divisit nos ab invicem. Incœpit autẽ inter nos fames valida regnare, vinũ & farina ex toto defecerat: & ego cũ alijs equinas carnes comedi. Defecerãt & equi fame: & nec annonã, nec segetẽ invenim⁹, & Turci die ac nocte cũ tãto nos arctabãt exercitu, vt nulli extra castra liceret exire. Post feria quarta ante diẽ Pentecostes magnã rursus eorũ multitudinẽ occidimus. Post sanctũ vero diem Pentecostes, invenimus Melichum magni Soldani filium, & acies contra nos dispositas, & Turcorum multitudinẽ circa CCCC. millia equitum: qui totã, vt locustæ, repleverant terrã: cõtra quos victrices aquilas in nomine Christi à fronte ereximus: nec famẽ, nec vulneratorũ defectũ sentiẽtes. Et cũ vix sexcenti equites essemus, sub signo vivificę Crucis eos vicimus, & cõvertimus in fugã: vbi Melich filius Soldani ab equo deiectus est, & quatuor nominatissimi Principes eius occisi, & alij quamplurimi: vbi etiam quiddam accidit dignum memoria: S. Georgius eadem die, sicut & prius, quasdam acies nostras Ludouico de Helffenstein præcedere visus: impendens auxilium exercitui nostro. ipse enim Ludovicus sub iureiurando confessus est, & sub religione suæ peregrinationis, coram domino Imperatore & exercitu. Sed & ipsi Turci postmodum nobis retulerunt: se quasdam acies vidisse, candidis amictas vestibus, & equis albis. Eadem die sequentes Meliochum, qui fugerat versus Iconium: post tãtam victoriæ gloriam, vix circa noctem venimus ad hospitium, nullumq; reperimus: fueruntque homines & pecora sine cibo & potu: & quodammodo incidimus in vitę desperationem. Nam equi, qui prius remanserant, fame & ob viæ longitudinem fere

omnes mortui sunt. Inde proficiscentes summo diluculo: cum iam essemus prope iconium ad miliare: accessimus vicinius: invenimus aquam, vbi mãsimus tota feria quarta. Sequenti vero die recepimus nos iuxta quendã hortum amœnissimum, clausum muris, apud ipsam ciuitatem Iconij: vbi etiam duo nobilissima palatia Soldani destruximus. Et quoniam vltima vitæ necessitas imminebat: eò quod fames nos maxima invasisset: & vix haberem' iam circa quingentos milites in equis: nullumque superesset procedendi vel redeundi consilium: ipsa cogente necessitate & docente, militiam nostram in duas diuisimus partes: feria sexta post Pentecosten directa via procedentes, ad capiendam ciuitatem: vbi (quod mirabile & incredibile dictu videtur) Dux Sueviæ cum sex sibi adiunctis occupauit ciuitatem, in ore gladij habitatoribus eius occisis. Et dominus Imperator interim manẽs à tergo, contra alios Turcos in campo pugnauit, & cum esset circa C C. millia equitum, virtute altissimi eos expugnans, fugæ reddidit. Nec indignum memoria. Ciuitas.n. Iconiũ in magnitudine æquatur Coloniæ: vbi captis spolijs mansimus à feria sexta vsque ad feriã quartam, donec Soldanus, qui se & suos in castra receperat, timore mortis arctatus: viginti obsides ad electionẽ nostram dedit: quos adhuc captivos teneremus: quia fidem promissam non tenuit. Inde moventes castra proximo Sabbatho, directa via versus Iarandinum iuimus: vbi Calendis junij hospitati sumus.

Tunc intempestæ noctis silentio tantus factus est terrę motus: quod putaremus super nos Turcorum acies irruisse: idque credidimus fuisse præsagium mutationis circa dominum Imperatorem. Nam cum inde procederemus: iuimus Calephum: vbi tantam asperitatem & difficultatem viæ in trãsitu montium invenimus: & summa cum iactura vix Calephum pervenimus in Dominica die, quæ fuit vigilia Barnabæ Apostoli. Eodem die cum dominus Imperator Fridericus per quoddam compendium transiret in convallibus mõtium, accessit aquam quandam rapidissimam: saluumque eum recepit in alium partem. Facto autem ibi prandio, post infinitos & intolerabiles labores, quos per mensem iam erat passus, cum vellet lavare in eadem aqua, & refrigerare se ita natando. Dei iudicio, casu lachrymabili inopinatoq;, submersus est. Cuius reliquias debita veneratione nobiscũ portamus: & vsque ad Tursoch famosissimam civitatem pervenimus, inde Antiochiam versus procedentes: maximam rerum nostrarum spoliationem passi sumus: & continuo per sex hebdomadas laboravimus victualium penuria: eo quod venalia non invenirentur. Hæc de multis periculis nostris licet pauca, vobis scribere voluimus: de cætero exspectantes solatium à misericordia Dei. Anno Christi. M C X C.

GREGORIVS VIII. PONT. MAX. OMNIBVS Principibus, populisque Christianis.

NVncio cladis Hierosolymitanæ accepto: nos cum fratribus nostris tanto-

tãto dolore oppressi sum': vt nec qd dictu necqd factu op'esset, suppeteret. Quid .n. atrocius audiri, aut quid miserius potuit: quàm dissensioné nostrorum exercitum esse concisum: crucem Domini captam: Templarios, Hospitalarios atque Episcopos trucidatos: vrbem regiam cum ipso Rege Guidone in potestatem hostium concessisse? Hæc verò quamvis gravissima sint: nòn tamen adeò despondendi animi sunt: vt credatur, Deũ, qꝑ ira percitus ob communia peccata evenire permisit, non eundem placatũ per misericordiam pœnitentiæ correcturum: & post lacrymas lætitiam inducturum. Potuit ille quidem sola eam terram voluntate servare: sed nos consilij eius rationem non debemus exquirere: voluit is forsitan experiri; num quis sit, qui oblatum tempus pœnitentiæ complectatur. Quamobrem hortor omnes, vt se & sua custodienda dent ei à quo se & sua omnia receperunt: nec dimittant. sed præmittant in cœleste horreum, quæ habent; & reponant apud eum, apud quem erugo aut tinea non demolitur: nec fures suffodiunt ac furantur: laborantes pro recuperatione terræ illius; in qua pro salute nostra veritas de terra est orta: & sustinere pro nobis crucis patibulum non despexit. Nos eis, qui corde contrito & humiliato spiritu laborem itineris huius susceperint; & in pœnitentia peccatorum & fide recta decesserint; plenam suorum criminum indulgentiam & vitam æternã pollicemur. Bona quoque, ex quo crucem assumpserint sub S. R. Ecclesiæ protectione erunt, Episcoporum atque Abbatum in sua cuiusque civitate fidei commendata: neque ipsi vllam interim de ijs, quæ in susceptione crucis possederint, donec redierint, controversiam patientur. Moneo autem, ne eant in vestibus preciosis, cum canibus atque avibus, aut alijs, quæ ostentationi potiùs aut lasciviæ, quàm necessarijs videantur vsibus inservire: sed modesto apparatu & habitu; in quo pœnitentiam potiùs agere, quàm inanem affectare gloriam videantur. Calendis Novembris. M C XXCVII.

INNOCENTIVS III. PONT. MAX. ABBAti Locedensi.

QVod ex dissensione, quæ super Burgo S. Domini vertitur, inter Placentinos & Parmenses mala contigerint, nemo non videt. Nam invicem sanguinem suum sitiunt: nec proprijs damnis cladibusq; contenti sunt. Quin etiam totam Lombardiam ad arma sollicitarunt: atque inter se in vniversi prælij aleam certamen improbum indixerunt. Quamobrem vt & clades imminens arceatur; & si ventum ad conflictum fuerit, immortales civitatum inimicitiæ amoveantur: mandamus vobis, vt cum Archiepiscopo Mediolanensi, Episcopis Vercellensi Bergomati, Laudensi, Brixiano, Cremonensi, Regiensi, Placentino, & Parmensi, ad quos nos hac quoque de re scribimus, per te & eos, quos ad hoc officium idoneos ac necessa-

rios esse duxeris, hos populos ad pacem & concordiam redigas. Quod si illi in auctoritate vestra non fuerint: per sacrorum interdictionem in Prætores, Consules, consiliarios & fautóres intentam, tam Placentinos, quàm Parmenses, ad subeundem iudicium nostrum astringas: curesque, vt Burgum in manibus tuis nomine nostro assignent tenendum: donec eis à nobis restituatur: quibus visum iure fuerit convenire. V. Kalendar. Maij, M. C. XCIX.

EPISTOLARVM TVRCICARVM

LIBER II.

EPISTOLAS MAGNI TVRCI MAHVMETIS EX VERSIONE LAVDINI EQVITIS HIEROSOLYMITANI AD FRANCINUM BELTRANDUM COMITEM, CONTINENS.

TVRCVS ZANCASSANO REGI PERSARVM.



AVDIO te ad Lepram, Euphrate superato, copias ingentes traiecisse: quibus mox Parthorum fines ingressus, omnia belli incendio late vastaveris: ac tuorum impetu facto, exercitum in Armeniam traduxisse: vtque post vrbium direptiones, vicos, oppida & agros in prædam militum diviseris. Te quidem miror non victoris animum, sed prædonis ostendere. Nos tamen ex omni Græcia delectu habito adversum te confligere paramus: vt æquis viribus cum hoste contendas. Turpissimum quippe ducimus: maximos atque opulentissimos reges latronum bella imitari.

VSVNCASSANVS TVRCO.

CVm sub radicibus Tauri castra posuissem: mox ad Ctesiphontem oppugnandam cum exercitu magna celeritate contendi: fines præterea Armeniorum late depopulatus: vt metu nobis omnia parerent. Quo magis miror ipse: ex quo iure belli tot ac tanta gessimus: abs te factum meum accusari. non enim ex hoste laudem, sed victoriam quærimus.

TVRCVS VSVNCASSANO.

AD Ciliciæ angustias cum exercitu perveni: quo in loco Darium Alexander maximus memorabili clade superavit. Nec aliam nobis fortunam belli pollicemur: qui Alexandrum felicitate ac rerum gestarum gloria æquamus. Non enim multitudine imperita res magnæ geruntur: sed virtute paucorum victoria sita est.

VSVNCASSANVS TVRCO.

CVm ad vires ipse meas respicio, ac magnitudinem rerum gestarum: quibus deos immortales felicitate æquavi: temerarios quidem tuos apparatus minimi duco: qui eo semper vsus sim invictissimo exercitu: cuius virtute regum fortunatissimus appellarer: Bactrianosque omnes, Persas, Medos, Armenios, Parthos, ac vniversum pene orientem armis subegerim: solusque post Alexandrum bella gentibus indixerim. Tu verò superiore loci fortuna ad Ciliciæ angustias gloriari desine. Indus elephas culicem non timet. Nec verò tam difficile quicquam est, vel arduum, quod non pertinax militum opera expugnet, virtus profecto nihil invium habet.

TVRCVS SEXVARI.

QVæ nobis de apparatu Zancassani per legatos significasti, militum quidem nostrorum animos auxere: quibus ad diripienda hostium castra spes longè melior, ac belli fiducia maior accesserit. Pellices verò, gemas atque exercitus ornamenta nihil ad victoriam conferre existimo: quæ cum hostibus impedimento sint: vtpote lasciviæ Veneris facilia arma, vanæque divitiarum ostentationes: nostrorum potiùs animos ad prædam accendere videntur. Nec tamen de apparatu regio, nec delitijs contendimus: sed de victoria ac militum virtute: quibus regna parari solent. Copias insuper, quas adeo innumerabiles recensuisti, facile contemnimus, exemplo Alexandri magni: qui militum suorum acerba paucitate, promiscuam Darij multitudinem strenuè superavit. Nimirum ideo: quoniam imperita multitudo ad fugam promptior est, quàm ad victoriam. *Hac Epistola per incuriam transposita, sequentem subsequi debet.*

SEXVARES REX ARMENIAE TVRCO.

ORatores nostros ad Zancassanum in Ctesiphontem misimus: qui apparatu incredibili Mesopotamiam ingressus, Babylonem & Carras magna vi oppugnare contendit. Syriam præterea omnem & Ægyptum in prædam sibi destinavit. Nusquam adeo innumerabiles copias tamque ingentes exercitus in vnum coactos esse memoria proditum est: vt Xerxem, Darium, Pyrrhum, Alexandrum magnitudine virium facile superarit.

Accedunt

Accedunt his millia equitum sexcenta, ac etiam totidem peditum. Apparatus verò belli magnificus & locuples: Tentoria ipsa gemmis ac etiam vario lapillorum genere distincta. regiam suppellectilem ostendunt. Pellices in contubernijs, totidemq; pueros vltra septingentos adesse memorant. Eunuchi præterea cum metatoribus impedimenta secuti ad 6. millia referuntur. Arma etiam cuiusque generis ad vsus castrorum affirmāt: Gallicos thoraces: Numantina Hispanorum scuta; Latinas ocleas: sagittas Cydonũ Cretenses: arcus Parthicos: & Ægyptiorum sarissas. Hæc tibi omnia per speculatores nostros quàm diligentissimè cognita nunciamus. Quis enim adversus eum temere quicquam audeat, qui cum dijs ipsis de imperio certare videatur? Aut quisnam rebus suis consulere non curet sedulo ob incuriam faciliter perituris?

SOLDANVS TVRCO.

CVm tot vsque victorias, rerum gestarum magnitudinem ipse de te audiam: nulla quidem ratione satis adduci possum: hæc vel tua, vel militum virtute geri: sed fortuna profecto, quæ in omni re dominatur. Neq; tamen ipse tuis laudibus invideo. Quis enim virtutem etiam in hoste non probet? sed ea quippe est rerum humanarum imbecillitas: vt nisi cuncta fati necessitate regantur, fortunæ potiùs omnia ludibrio exposita sint: quā vel prudentia hominum, aut consilio rectè gubernari queant.

TVRCVS SOLDANO.

LOngè quidem aberras: si eos, qui res consulto agunt, satis omnia credere existimas. Virtus profecto nunquam fortuna regitur: sed ratio ipsa animi est, quæ in cunctis dominatur: & qui cęteris animantibus ad eos propius accedamus. Tu verò tantum eorum quæ tot ac tanta gessimus, rationem accipe. Si nobis speculatores & vigiles non desunt: si nobis etiam miles veteranus adest: si tyro quis ex omni numero delectus: si præterea exercitus ingens vincere assuetus, vinci verò nunquam: & qui longas hyemes sub pellibus durissimè agat: ac maximis sæpe itineribus, periculis, laboribus & vigilijs, terra marique expositus sit: nullaq; bellandi intermissione fatigatus: & cuius acies nunquā loco cesserit: ac nemo pedem referre audeat: & qui frigoris, æstus ac inediæ patientissimus sit: nec fractus in adversis, nec in secundis elatus: & qui mala postremo omnia virtute superavit: & longinqua domo militia tot innumeras orbis gentes & incredibiles sæpe hostium exercitus fuderit: cuius gratia & ipse vniversi penè orientis Imperator constitutus sum: si hæc igitur omnia fortunam vocas, & casu evenire: fateor cuncta quidem fortunæ ludibrio agi.

TVR-

TVRCVS PONTIFICI ROMANO.

COrinthum Achaiæ nobilissimam vrbem, Etolos, Acarnanes, Macedoniam atque omnem Peloponessum armis inuasimus: vicos præterea, agros & oppida late incendio depopulati: vt mox in Italiam bellum transferamus. Hæc tibi omnia cum summo Christianorum metu ac detrimento nunciamus.

PONTIFEX ROMANVS TVRCO.

QVod Græciam omnem ferro inique vastaueris: non tam crudelitatem in hac re tuam, quam tot vrbium direptiones vlcisci paramus. Neque etenim victor hostibus ignoscere poteras; qui tuis etiam immanitate, scelere ac libidine nunquam pepercisti. Nec enim pium fasve quicquam apud homines esse potest, cui neglecta religione Deus in contemptu sit. Nos tamen vero nullum à te bellum in Italia meruimus. Facile enim scelerata hominum arma contemnit, qui Dei numine ac præsidio tutus est.

TVRCVS PONTIFICI ROMANO.

FRustra per deos immortales nobiscum agis: qui nec tecum de pietate, nec de religione, nec iusticia, sed de imperio contendimus: vter armis victor extiterit, eidem belli causa debebitur. Crudelitatem vero ac etiam scelera (quæ nobis duo grauissima obiecisti) ideo in captiuos exercemus: vt eum esse vere quidem experiantur, quem verbis homines prędicant.

PONTIFEX ROMANVS TVRCO.

EEtsi tecum nobis iustissima belli causa est: non pari tamen scelere, vel etiam ipsa libidine regnandi, sed pro tuenda hominum libertate arma sumpsimus. Quis enim mores Tyranni perditissimos æquo animo ferat? Namque quod plerumque in cæteris vsu euenit: vt vel metu vel odio, nonnunquã etiam ira in subditos acerbiores reddantur: ipse omnibus sponte immaniores: qui crudelitate potius quam victoria gloriaris: ac ea tãquã parum sit admisisse, captiuis etiam semper calamitates exprobrasti. Meritas igitur pœnas exolues. Vltor enim scelerum Deus, vindictæ tarditatem supplicij grauitate compensat.

TVRCVS VENETIS.

AD Patras ingenti cum exercitu veni. Vidi: & vici. Hæc vobis cum maximo reipub. detrimento nunciamus.

VENETI TVRCO.

NEc belli vsu, nec virtute militum, sed nos fortuna ad Patras superasti: quæ cum minime sit in potestate hominum sita: eandem ipse rerum vicissitudinem, qua nunc leuissime omnium stolidissimus gloriaris, expe-

cta. Parum enim laudis victoria habet, in qua plus fortunæ ludibrio actum est: quam hominum virtute & consilio prouisum.

TVRCVS GRÆCIÆ MAGISTRATIBVS.

NOn pigebit vos tandem ab armis discedere: quos totiens à me victor acie, bellum adhuc reparare audio. Victores enim arma decet inferre. Victos quidem obtemperare legimus. Tutius igitur esse vobis ducimus: æquas pacis conditiones accipere: quam si rursum à me bello superati, pacem simul & arma amiseritis. Nam sera nimis est post cladem deliberatio.

GRÆCIÆ MAGISTRATVS TVRCO.

NEc prius ab armis discedemus, quam tecũ bello cõgressi, propulsemus iniurias quibus nos abs te victos fuisse totiens tua ex dementia gloriaris. Dubios enim rerum euentus & communem belli fortunam non ignoras, pacem vero, quam vt victis obtulisti, recusamus. Minime quidem rei gerendæ consilia apud hostes quærenda sunt.

TVRCVS VENETIS.

CLasse vestra, quam ad belli naualis vsum maximam comparastis, Lyciæ maritima infestari audio: ac vos latè regni mei fines depopulatos, Athaliam Pamphiliæ vrbem armis circumsedisse. Videte obsecrò quos tandem exitus hæc habitura sint. Aliena temere oppugnat, qui ægre sua bello tueatur. Vos namque post amissam Chalcidem seruare potius rempublicam ac nominis dignitatem retinere oportet, quam armis imperium quærere.

VENETI TVRCO.

NEc Peloponessus, nec Chalcis equidem, ipsæ iampridem bello amissæ nos ab oppugnatione perterrent: quas non ipsa virtute militum nec viribus expugnatas, sed facta nostrorum deditione in potestatem redegisti. Nos tamen, qui non armis perfidiam, sed victoriam quærimus, omnia tuis infesta mari ac terra classe reddidimus. Nec enim ad generosi principis animos virtute accedit: qui non iure belli captas vrbes, sed insidijs proditas in deditionem accepit.

TVRCVS GENVENSIBVS.

AVdio Menedorum vestros apud ciues graui mei nominis contumelia sæpe concionari: tanquam nos iniuria aliqua maledicendo afficiat. Erratis vehementer. Non enim maledictis vobiscum, sed armis contendimus. Atque is de se facile rumores in hoste contemnit: qui regnãdi libidinẽ nullam iampridem apud homines infamiam declinauit.

Nec

GENVENSES TVRCO.

NEc patrum auctoritate Menedorus, nec vrbis decreto ciues te nostri probris omnibus insectantur: sed priuato quodam & inexpiabili odio: quo tibi omnes ad iniuriam prouocasti. Nos verò non maledictis iniurias, sed armis propulsamus. Parum tamen nostra sententia rei cõducit, qui de te ferantur in conditionibus rumores. Nullam quidem honesti rationem exigit vitæ male actæ turpitudo.

TVRCVS NARICIIS.

DEmentiam vestram, non belli metum accusamus, Naricij: quià me vobis arma inferri vltro persuasi estis: tanquam nunc sibi in mures prędam leo meditetur. Non pudet vos igitur culices in elephantẽ cõfligere.

NARICII TVRCO.

VTinam vilis prædę Naricios contemneres: ipsi equidem ad vires parum tuas respiceremus. Sed nobis ignosce tot mala in hoste perpessis. Nos quidem præterita futurorum rationem habere compellunt.

TVRCVS CORCYRENSIBVS.

FAssi mihi estis iniuriam, Corcyrenses: qui Ambraciæ fines, & late Acarnanum agros depopulati, omnem prædam diripuistis: cum tamen ipse vobis totiens antea ignouissem. Sed qui prius iniurias intulere, grauiores ipsi expectent necesse est.

CORCYRENSES TVRCO.

ERras vehementer, si nos tibi fassos iniuriam tantum existimas: nec tuorum clades & belli detrimenta intulisse. Nos ideo aduersum te prius arma sumpsimus: vt grauiora in hostem moliamur. Neque enim Tyranni crudelitatem ferre æquo animo possumus: qui nullo immanitatis scelere ac libidinis genere omisso, vim omnibus attulerit.

TVRCVS REGI CYPRIORVM.

AD kalendas Sextiles cum exercitu in Ciliciam perueni: vt Tarsum vrbem opulentissimam expugnarem. Lupum vero classis tuæ legatum non longe à Phœatris captum occidimus. Tu igitur, qui paternum regnum adeptus es, nunc fortunæ leuitatem metue. Nihil in hominis rebus diuturnum atque idem felix esse potest.

REX CYPRIORVM TVRCO.

CVm bello Cyprum repeterem: nullis paterni regni viribus hostem ad Ceraunia vici: qui tũc meorum ope destitutus, apud Carras exulabat. Mox tamen insulam parua manu ingressus, incredibiles hostium copias superaui: vt me quidem omnes Euagoram anteisse prędicarint. Nos igitur omnia cõsilio gerimus, ac militũ virtute: nec tam bene gestis gloriamur, quã futura prouidemus. Tibi vero præsertim fortuna longe metuenda est: qui tot rerum successibus ac nimia vsus felicitate videaris. Nam omnia fatis

committere, non tam homini incertum est, quam sæpe temerarium.

TVRCVS METHONENSIBVS.

NEc vrbem vestram, Methonenses, oppugnare: nec tamen ab exercitu nostro tutam esse volumus: donec belli diuturnitate ciues in odium arma verterint. Sic enim valetudine semper adversa laborantibus, mors nempe languoris tædio optatior est, quam vitæ longitudo.

METHONENSES TVRCO.

PArui equidē semper arma fecimus: quod ignauis terrorem, fortibus vim nullam afferant. Tu tamen esse de nobis sollicitus desine: qui sine hostium consilijs adversa perferre didicimus. Scito præterea nunquam arma in odium verti, quibus adversus Tyrannum patriam, libertatem, parentes ac liberos egregij ciues tueantur.

TVRCVS CORONENSIBVS.

NOn pudet vos, Coronenses, ter ad Mantineam acie superatos, vires reparare? Anne ideo bellum semper geritis, vt vinci totiens sero pæniteat? Si vero pacis obtinēdę gratia in nos arma sumpsistis: timori vestro ignoscimus: sin rebus afflictis, vincendi spe: insaniam accusamus.

CORONENSES TVRCO.

QVi bellum totiens in hostes moliuntur: hi se quidem pacis studiosissimos longe omnium declarant. Pax vero nulla ciuibus, aut securitas reddi potest: nisi pugna cum hostibus commissa. Nam belli semper & pacis arbitria in victoria posita sunt.

TVRCVS PONTICIS.

NAues onerarias quibus veluti propugnaculis maria infestabantur, captas in Ægeis ad vos remisimus: Neque tamen, per deos immortales, vt aliquid ad gratiam contulisse videamur. Nobis multo quippe gloriosius est, liberaliter in omnes plura conferre, quam accipere.

PONTICI TVRCO.

LIberalitate in omnes vti, quid hercule aliud est quam hominum gratiam promereri? Tu vero nauibus ad nos remissis, ex hostibus iampridem nunc belli socios reddidisti. Adeo pulchrum est iniurias in gratiam commutare.

TVRCVS MACEDONIBVS.

LEgati ad me vestra mandata pertulere: quibus nos ad odium potius, quam ad gratiam prouocastis. Vos enim totiens iam pridem victos & supplices decere magis videbatur, pacis conditiones recipere, quam auferre impudentius. Turpe quidem est, calamitatibus affectos superbe cum victoribus agere.

MACEDONES TVRCO.

NVlla tecum nobis ex æquo pax esse potest: qui tueri patriam libertatem studeamus: tu vero armis imperium quærere. nec tamen, nisi constanter & ingenuè, de republica loqui possumus: qui pulchrius libertate nihil apud homines esse ducimus. Hoc tamen commune tyrannis vitium est: vt gravi semper odio liberas civitates insequantur.

TVRCVS ASIATICIS.

ORatores vestri apud Zizicum legationem exposuere: quibus re nobis hostes, verbis quidem socios ad arma ostenditis. Aut igitur naves longas quamprimum nobis subsidio mittite: aut bellum eligite. Neque enim verbis semper amicorum voluntates, sed cùm facto opus sit, tamen maxime rebus declaranda est.

ASIATICI TVRCO.

QVod multa coram per legatos pollicemur: tibi autem perpauca exhibemus: alterum grati quippe animi est: alterum inopiæ ascribendũ. Munera vero ad te per Mearthum misimus: quæ si tuis animis fortasse minora videbuntur: nostris tamen viribus maiora fuisse existimabis.

TVRCVS BYTHINIIS.

NEc ad belli vsum naves, nec pecunias in tempore misistis. Tarditatem igitur vestram accusamus. Videte obsecro, ne vobis infensi reddantur quos per negligentiam contemnere videmini. Præstat enim voluntarie semper in hostes arma sumere: quam post multas iniurias ad bellũ cogi.

BYTHINII TVRCO.

NAves ex omni numero secundo nuper incendio consumptas misimus: reliquæ vero ad Maleam partim illisę scopulis partim etiam absorptæ in profundum, hostium conflictu periere. Pecunias vero omnes belli diuturnitate exhausimus. Ignosce igitur tot fortunæ calamitatibus affectis. Nulla enim libertate vti possunt, qui extrema rerum inopia laborant.

TVRCVS DELPHICIS.

NEc Apollinis vestri oracula, nec medicinæ auctor Æsculapius vos omnino ab insania liberarent: qui rem adeo inconsultè gessistis: vt ne Minerua quidem ipsa consilium vobis in tanta dementia afferre queat. Nam corporis sæpe languores opè adhibita curantur: morbo quidem animi vis nulla mederi potest.

DELPHICI TVRCO.

SApientia quidem à rebus gerendis plurimum distare videmur. Nobis tamen, quod & medicis, plærumque evenit: qui aliorum morbos ad sanitatem perducunt: sibi vero nequaquam medentur.

TVRCVS PERGAMENIS.

EXpeditionem aduersum Euboicos, Pergameni, suscepimus. Vos autē ideo nobis ad Marathonas occurrere iussimus: vt qui vestram semper erga me fidē opportune declarastis: Nunc etiam, cū opus sit, celeritate ostēdatis. Duplex profecto illis gratia debetur: qui in dando non solum beneficio liberales, sed etiam promptissimi in exhibendo videantur.

PERGAMENI TVRCO.

CLasse ingenti ad bellum proficiscimur: vt vires tuas non solum augeamus, sed & Calcidenses fortius oppugnentur. Illis tamen gratiæ nequaquam habēdę sunt: qui cū possint, ꝙ iure debent, illiberaliter exhibeāt.

TVRCVS MITYLENIS.

FIdes vestra, Mityleni, etsi omni tempore nobis perspecta est, nunc eā tamen maximā omniū declarastis: quos quidē vrbis portas hostibus occlusisse audio. Non enim aliorum perfidiam libenter imitamini, qui nouis semper rebus student. Adeo pulchrum vobis est: amicitiæ iura simul tueri, atque armis patriam defendere.

MITYLENI TVRCO.

BIthynei, quibus extincta omnino republica sub Tyrannide perpetuo agendum est: satius in potestate vnius esse duxerunt, quam multorum regna experiri. Fidem igitur nostram in hac re non tam probare debes, quā admirari prudentiam. Non enim eos libenter imitamur: qui morbo incurabili laborantes, multos sibi medicos adhibent: nullam tamen ad crebra remedia corporis valetudinem recipiunt.

TVRCVS AMAZONIIS.

SI pro tuenda ciuium libertate, Amazonij, bellum aduersus me susciperetis: non tam vos ipse hostes iudicarem, quam egregios ciues pro patria, liberis ac parentibus arma sumpsisse. Sed nulla quidem ratione persuaderi valemus: eos nunc virorum imperia recusare quos olim regna fœminarum tandiu pertulisse audio.

AMAZONII TVRCO.

AMazonidum regna, quæ nobis, ad contumeliam obijcere videris, nos minime quidē alijs parere hortātur. Turpissimū enim ducimus viros fœminarū virtutibus superari. Eos igitur inuictos armis & principatu dignissimos arbitrare: apud quos etiam mulieres imperare didicerint.

TVRCVS ILLYRICIS.

NEc vrbem vestram armis tueri, nec diutius obsidione premi sustinetis.

Aut

Aut igitur victis leges accipiendæ sunt: aut arma Tyranni propulsanda. Dementium sane est: omnibus sociorum auxilijs atque ope destitutis, cum reipub. detrimento bellum protrahere.

ILLYRICI TVRCO.

CVm nobis semper animos ad retinendã libertatem affuisse nõ ignores: spes adhuc nostras libenter amplectimur. Neque vero in deterius labi fortuna potest, vbi afflictis rebus opem afferre nequeas.

TVRCVS RHODIIS.

SI vobis eadem, Rhodij, quæ animi est, virium quoque magnitudo par esset: vos longe quidem omnium inuictissimos ducerem. Sed cum viris, equis, armis, pecunijs & commeatu bella parentur: vestram magis fortunã respicere oportet: quam nos temere in pugnam lacessere. Minime enim par ratio videtur: hostem posse animis, atque eundem viribus superare.

RHODII TVRCO.

ET vires nobis atque animos semper affuisse, multis ac maximis tuorum cladibus non ignoras: omniaq; in primis ad necessarios rerum vsus abunde comparauimus: vt non minus domi Rhodiorum prudentiam: quam foris in bello magnitudinem animi admirere. Nos vero etsi armis inferiores sumus: à te profecto fortuna, non virtute superamur.

TVRCVS RHODIIS.

AVdio vos, Rhodij, nunc fossas vrbis ingentes, ac triplici vallo muros circumduxisse: portus vero geminos ad Mandrachium Collosi ferreis arctasse catenis: vt ciuitas ab incursu hostium libera sit: & nos ab oppugnatione vestra deterreamur. Res profecto memoratu dignissima. Quid enim pulchrius, quam libertatem, patriam, liberos ac parentes, seruata republica, armis defendere? Sed qui tamen vobis animus est, per deos immortales, tam ingenti apparatu nostris viribus terra ac mari obsistere? Nã post Bizantium, Lesbon, Peloponessum & Chalcidem expugnatas: vos aliarum potius vrbium fatum decet imitari: quam exemplum cladis præbere. nam qui viribus maiora audent, temeritatis quidem pœnas sæpe dederunt.

RHODII TVRCO.

GRæcorum nobis captiuitatem non tam commemorare debes: quam nos alijs in exemplum virtutis referre: qui iustiore belli causa, meliorem quoque rerum fiduciam gerimus. Te vero semel ad Coum his etiam armis ad Calymnum vrbem vicimus: Soldani quoque Babyloniorum regis vires & arma obsessi profligauimus: Aegyptijs vero, Syrijs & Phœnicibus nauarchæ RHODII bellum sæpe intulerunt.

Nolito

Nolito igitur adversum innumeras orbis gentes victoribus nobis fiduciam exprobrare: qui aliorū potius adversum te animos virtute nostra augemus quam ex captiuorum commemoratione terreamur.

TVRCVS EPIRIS.

DIrachium, Apolloniam, atque omne Illyricum latus ab exercitu nostro infestari nuper ex legatis Mollossorum cognovimus: atquē viarum angustias latronibus obsideri: nihilque vicum intra Macedoniam esse retulerunt. Nos verò, Epiri, iampridem fatis omnia credidimus: ac ius marinum experimur. Quam ob rem pristinæ virtutis memores, decere vos magis arbitror: acceptas vlcisci iniurias: quàm de his frustra per legatos verba facere. Non enim oratione, sed bello vis hostium propulsanda est.

EPIRI TVRCO.

SI nobis id quidem armis licuisset: acceptas ab hoste iniurias vlcisci mallemus: quam te his tecum per legatos agere, sed cum nullis viribus id assequi valeamus: satius quidem esse duximus pacem ab hostibus petere, quàm bellum frustra moliri. Nam recte omnia consilijs providisse, non tam prudentiæ debet, quàm fortitudinis videri.

TVRCVS DALMATIS.

TRibuta vobis imperavimus: quæ cum serò nimis exhibeantur, id facere inviti ostenditis. Aut igitur fidem vestram, cum opus sit, re nobis comprobate: aut bello vos hostes declarabimus. Minimè quidem decere videtur in amicitia dissimulatio.

DALMATAE TVRCO.

TArditatem minimè nostram accusare debes. Nullo enim pacto exhibere tributa possunt, qui nullam colligendi pecunias facultatem habent. Quam ob rem minimè hostes iudicandi sunt: qui fide tantum in amicos, liberalitate verò nulla ob inopiam vtantur.

TVRCVS APVLIS.

BRutiorum vrbes atque omnem late Apuliam iure belli repetimus: qui vt Græcos armis subactos nostro adiecimus imperio: nunc etiam Italiæ quoque oram armis invadere paramus: quæ magna quondam Græcia vocitata est. Vos igitur aborigines vestros pulcerrime imitati, deditionē facite. Turpe quidem videtur egregijs civibus, ab instituto maiorum ac patriæ legibus desciscere.

APVLI TVRCO.

QVi omnia ex libidine agunt, vis sibi quæ sit in armis, declarant. Tu verò

verò etsi nos Græcorum calamitates sequi iubeas: non tam nobis eorum leges, quam regnum, persuadere niteris. Sed nullo pacto fieri potest: vt tibi cæteris ad gratiam promptiores reddamur: qui captivos omnibus à te supplicijs affectos, inter varios cruciatus crudelissime enecasti. Facile enim clementia, liberalitate & iustitia regna parari solent: difficillime vero sub Tyrannide armis retineri.

TVRCVS BRVNDVSINIS.

POrtus nobilissimi ad nauium receptacula atque vrbis vestræ situm ex legatis Messapiorum cognouimus. vos idcirco cum Hydruntinis belli socios nobis ad arma pollicemur. Copias namque in Italiam traijcere paramus: quibus ingenti comparato exercitu victoriam consequamur. Minime igitur eum vos decet aspernari: quem ob iusticiam sui diligere possint: atque hostes ob arma formidare.

BRVNDVSINI TVRCO.

NOn pudet eos te belli nefarij socios in arma revocare: quos semper hostes omnium acerrimos habuisti. Detestanda quidem arma Tyranni sunt: cui post victoriam, inter crudelitatem, scelera & libidines, captiuis mox serviendum est.

TVRCVS SYRACVSANIS.

AVdio vos, Syracusani, cum Agrigentinis, Messanis & Catanæis adversum nos pro restituẽda Græcorum libertate conspirasse. Nos idcirco ex Peloponesso copias ingentes Syracusas traijcere paramus, vt eos nunc hostes experiamini, quos prius socios nullo iure contempsistis.

STRACVSANI TVRCO.

CVm gerendi belli fiducia adversum te arma sumpserimus: nil temere profecto aggredi in hostẽ videmur. Nam qui iustius de imperio certant, promptiores ad victoriam redduntur.

TVRCVS ITALIÆ MAGISTRATIBVS.

GErmaniam, Gallias, & Hispaniam adversum nos conspirasse audio: vosque illis ad bellum duces exhibuisse. Parum sibi quidem consulere videntur: qui temere hostem in pugnam nulla causa lacessunt.

ITALIÆ MAGISTRATVS TVRCO.

IVstissima nobis tecum belli causa est: qui sæuissimi Tyranni crudelitatem ac scelera detestantes, arma aduersum te, velut publicum naturæ hostem, sumpsimus. Nec solum cum Germanis, Gallis, Hispanis & vni-

uerso Occidente conspirauimus: sed liberas ciuitates etiam per legatos aduersus Turcorum gentem vndique sollicitauimus. Idcirco persuasi à nobis Christianorum opulentissimi reges: coactis ad bellum viribus, populos in arma concitarunt: vt tot crudelitates tuas, furorem, cædes, libidinem, incendia & vrbium direptiones vlciscantur: ac defensa hominum libertate, tuis ab iniurijs orbem vindicemus. Iustissima quidem arma sunt quibus publica omnium salus continetur.

TVRCVS FLORENTINIS.

MErcatores vestri qui Galatis & in Ponto negociantur, ad nos Thessalonicæ oratum misere: vt illis vectigalia à publicanis & commeatus omnes liberi essent. Nos igitur, quibus nihil pulchrius est, quam in amicos liberalitatem ostendere: vestros ciues libertate donavimus. Nam qui benemeritis de se beneficium contulit: is non tam aliquid exhibere, quam gratiam referre videtur.

FLORENTINI TVRCO.

BEneficiorum magnitudine à te profecto superamur: gratitudine vero animi nequaquam. Nam dignum te aliquid in ciues nostros contulisse, id quidem multi fecimus semper. At nos vero maiora tibi viribus referre pluris hoc esse ducimus. Non enim magnitudine rei beneficium sed voluntas animi officio pensanda est.

TVRCVS CRETENSIBVS.

TVrpe quidem nobis est, Cretenses, amicitiam colere: in qua bellum potius aduersum nos quam pacem, ostenditis. Sed videte quæso: ne vobis temerarium sit: eos mox vt hostes formidare, quos prius socios nullo iure contempsistis. Multos enim sæpe conatus sui pœnituit.

CRETENSES TVRCO.

ET vim vi repellere, ac dolum dolo nectere, nobis semper maiorum instituto licuit. Neque tamen amicitiam violamus, si inimicorum iniurias vlciscimur. Sed quonam pacto tu à nobis fidem exigis: quam ipse nemini vnquam antea præstitisti?

TVRCVS EPIDAVRIS.

ABydæos, Phryges & Dardanos, maris antea prædones, nunc classe ad Milas interceptos, ac varijs cruciatibus enecatos audio. Id quidem à vobis iure belli factum existimarim. Liburnicas tamen ac biremes incendio absumpsisse turpissimum ducimus. Non enim bellum vobis cum nauibus, quæ nihil sentiant: sed cum rectoribus suis gerendum est.

EPIDAV-

EPIDAVRI TVRCO.

ET Piratas iure belli captos, & Liburnicas incendio absumpsimus. Illos verò quod nos sæpe incursionibus infestarunt: has quidem, quod latrones finibus nostris invexerant. Par ergo duximus naues cum rectoribus suis incendere, quæ prædam nostrorum ac spolia in Asiam auexissent. Arma enim, quibus oppugnamur, pro hostibus habenda sunt.

TVRCVS NAVPLENSIBVS.

NOn cessabitis ab iniuria, Nauplenses: qui fines Acheorum ingressi, multos quidem mortales crebris excursionibus in prædam abduxistis? quo pacto enim fieri potest: vt qui metu clausi premantur obsidione victoris, agros & oppida late incendio vastauerint? Serò tamen patriæ consulere videntur, qui desperatis rebus conantur extrema.

NAVPLENSES TVRCO.

ET patriæ inprimis ac ciuium saluti (quibus omnia debentur) vitam obiecimus. Aut enim pro defensione reipublicæ, salua nobis libertate, honestissimè cadendum est: aut depulso Tyranni iugo, pristinam retinebimus libertatem. Nihil verò pulchrius esse ducimus, quam parentibus, liberis, ac rebus postremò omnibus patriæ libertatem anteponere.

TVRCVS PANNONIIS.

VIrtutem vestram, Pannonij, etsi bello maximam sæpe declarastis: plus tamen vobis incommodi attulisse, quam boni quicquam vsu didicistis. His vero, qui maiores viribus animos gerunt, semper affuit in bello temeritas.

PANNONII TVRCO.

NEc belli à te consilia, nec armorum, quibus oppugnamur, rationē ab hoste exigimus. Satis prudentię quidem gerendis rebus habere existimantur: qui virtute animi & constantia victoriam sibi cum laude pepererunt.

TVRCVS REGI FERDINANDO.

EGregias laudes tuas, & inuicti animi magnitudinem, ac rerum gestarum gloriam libentissimè accipio: qui cum totiens bello hostes profligaueris: ea ratione vicisti, vt victis posses ignoscere: nec vt iustissimam vltionis iram hostis publicus, verum animi clementiam quiuis in te experiretur: id quod summum in principe ducimus. Fortuna quippe aduersa te semper inuictum pręstitisti, nec in secundis rebus elatum. Hæc ideo de te libenter commemorauimus: quoniam sæpe etiam virtus in hoste laudatur.

REX FERDINANDVS TVRCO.

ETsi pulcherrimum esse ducimus: aliquo insigni merito ab hostibus laudari: eò quod eorum verius probamur testimonio: & amicorum sæpe iudicio fallimur: nos tamen verbis non tam gloriæ voluptatem quęrimus: quã propriã ex rebus gestis laudẽ assequimur. Hæc vero libentissime complector: cum tibi me videri, quem simul hostes ob virtutem admirari, & eius ob iustitiam colere possint.

TVRCVS CHIIS.

TRibuta vobis, Chij, remisimus. Nam cum vestrorum erga nos meritorum magnitudinem respiceremus: vos quidẽ esse iussimus immunes. Non enim ab amicis pecunia, sed fides exigenda est.

CHII TVRCO.

NOn quod pro tua erga nos liberalitate hoptauimus (id enim minimè assequeremur) sed quod valuim⁹, gratias tibi immortales habemus in posterùm. Hoc nobis tamẽ solatio èst: quod facultate ab amicis, non liberalitate vincimur.

TVRCVS SICVLIS.

CArthaginensium duces, quibus olim cum Romanis de imperio orbis diu certatum est, multis vos sæpe cladibus afflixere: quod partium studia secutos ægre in fide retinerent. Nunc verò subsidia Rhodijs ad Halicarnassum misisse audio: & commeatus omnes ad belli vsum nauibus onerarijs comportasse. Vos igitur hostes publicos bello declarabimus: vt qui frustra læserint, temeritatis pœnas luere cogantur. Non enim solum nobis tutum est ab aliorum iniurijs vindicare: sed hostibus etiam formidolosum.

SICVLI TVRCO.

NEc contra te arma sumpsimus nos, quos nunc Rhodijs subsidia in Halicarnasso misisse arguis: nec quempiam affecisse iniuria videmur: si crudelissimo Tyranno sociorum auxilia fidemque anteponimus. Noli igitur maiorum perfidiam Siculis obijcere, cum quidem omnibus ipse fidem datam ac iusiurandum semper violaueris: nec eos minis perterrere debes, quibus promptius est ad arma iniurias, quam ad verba referre.

TVRCVS ALEXANDRINIS.

MErcatoribus vestris, Alexandrini, Pontum omnem & Asiam interdiximus. Nam cum Bithyniorum vrbes ære alieno opprimerentur: legatos à me Catopolis quæstum misere: insuper negociatorum vsuras detestantes: quibus vndiquaque pecuniæ exhauriantur. Sanctius igitur nobis visum est: ad multorum potius quam ad paucorum vtilitatem respicere.

ALE-

ALEXANDRI TVRCO.

ETsi minime ad nos pertinere videatur, tecum de priuatis rebus cognoscere: si tamen eadem gesta fuerunt, aut tentata quæ scribis: nec gratiam nobis, nec odium in hac re promereris. Cuique enim pro arbitrio res sua agitur.

TVRCVS TARTARIS.

QVod multis sæpe vsu venit: vt vel metu aliquo, aut necessitate in alios plerumque deteriores fiant: vobis quippe natura loci tribuit omnium fore pessimos: qui veluti incondita vulgi barbaries nullis legibus tenemini. Cum tamen ad nos pecunias, nec in tempore legatos miseritis: illas quidem exhibere nobis per vim debere ostenditis.

TARTARI TVRCO.

STultum est perfecto te à nobis quicquam exigere, qui aliorum spolijs ac raptu viuamus. Atque ab his legationem frustra expectas: qui non orandi studium, sed belli gerendi curam foris suscipiunt. Mores præterea nostros iam admirari nequaquam debes: cum parum absint à ritu ferarum. Nā qui maiorum instituto ius ipsum marinis habent cædibus: præda ac rapinis pro legibus vtantur.

TVRCVS ATHENIENSIBVS.

GYmnasia vestra, Athenienses, quibus florentissimam rempub. eximiasque philosophiæ laudes assecuti estis: nos maxime hortari videntur: vt vrbi vestræ ignosceremus: cum propter maiorum sapientiam ac dignitatem: tum etiam ob studia bonarum artium: quas simul inuentas Athenis, ac perfectas accepimus. Sed cum vestrum semper in me odium ipse considero: beneficijs quidem vos potius irritare, quam ad gratiam propitiores mihi reddere videor. Idcirco agros Eleusinæ incēdio late depopulati: à Piero ad Megaras in prædam militum: mox vrbem etiam pari fato direpturum sciatis. Nostis enim clementiam sæpe vinci delicti magnitudine.

ATHENIENSES TVRCO.

NOn odio quidē adversum te nitimur. Quid enim salua nobis libertate esse potest? Sed pro patria, liberis ac parentibus, quibus omnia debentur, arma sumpsimus. Nec tecum hostiliter agere videmur, si nostra defendimus: cum tu aliena oppugnes. Sed quid te maxime deceat, respicere oportet: nunquid ipsi deliquerimus. Ignouit Sylla Athenis, bis etiam Alexāder venia dignatus est. Quæ verò tua victoria dici potest, si nos belli præmium perdideris? Debes nos igitur potius in exemplum pietatis servare, quo tibi facile omnium animos ad gratiam conciliabis; quam crudelita-

tem, libidinem & furorem in captivos ostendere, quibus Græcos aduersum te odio concitabis. Nos tamen, quibus nulla vlterius fiducia est, nisi venia dignaberis, extrema fortiter audebimus. Quid enim pulchrius, aut in humanis iucũdius esse potest: quam egregios ciues atq; domesticos pro salute omnium sese intrepidos morti exponere.

TVRCVS THEBANIS.

DIreptionem Athenarum vos ægre, Thebani, pertulisse audio: quos & belli socios, & consiliorum in me participes, extitisse iam pridem persuasi sumus. Vobis igitur, quibus ingens hostium metus incessit, iidem exitus rerum fato debentur, paresque Atheniensibus calamitates. Hæc ideo significavimus: vt metu prius & scelerum conscientia: mox vero gravioribus supplicijs torqueamini.

THEBANI TVRCO.

DEletis Atheniensibus, non solum Thebanis animos, verum & Græcis omnibus, quorum sępe libertatis auctores extitimus, vires ad bellum auxisti: qui armorum rabie versi in furorem: te quidem in tot scelerum pœnas vltro reposcant. Solet etenim plærunque afflictis rebus vltima fati necessitas cæcam quoque miseris salutem polliceri. Nec facilè Tyranno parère consuescunt, qui alijs imperare didicerint.

TVRCVS LACEDÆMONIIS.

EXercitum, Lacedæmonij, quem ad Spartam oppugnandam sub Cleandro misimus, formidare vos audio: in quo peditum viginti millia delecta comparauimus: equitum vero levis armaturæ octo: quorum etiam virtus in bello eximia: ac fides non tam sæpe nobis spectata est, quam formidolosa. Vos igitur tot fortunæ calamitatibus affectos ad rempublicam ac ciuium salutem respicere oportet: ne si pristina maiorum virtute bellum vobis supra vires aduersum nos gerendum sit: mox temeritatis pœnas luere cogamini. Pulchrum enim est gratiam in his ab hoste promereri: quæ si facere recusamus, ad eam mox tamen inuiti compellimur.

LACEDÆMONII TVRCO.

CLeandro apud Laconas cum vniuerso exercitu nostro deditionem nos smet spontè fecimus. Tutius enim Lacedæmonij esse duxerunt: hostium consilia admittere: cum salubria viderentur: quam arma experiri: Nec visa nobis potior victoria est: quam nullo reipublicæ detrimento patriam ab incendio belli seruasse.

Hactenus Laudini Epistola.

SVLTA-

SVLTANVS MVHAMETES INALOGLIO
Principi.

QVod nulla iusta legitimaque de causa, nullo nobis indicto bello, regnum nostrum ingressus es: colonos regni, credita nobis divinitus pignora, crudeliter vexas: eorumque res ægre ferre non desinis: quod Rempub. Musulmanam perturbas: nec vllum malitiæ atque iniuriarum finem facis: in eo sanè quam longissimè recedis ab illorum moribus & statutis: qui Musulmanos se profitentur. Quippe si non audire tantum, sed etiam esse Musulmanus velles: omnino cum copiis tuis hoc regno excederes: innocentes nullis grauares iniurijs: nemini damnum inferres. Nunc cum ita te gerere nolis: nec rectè monenti obtemperare: sed pertinaciter in proposito prorsus iniusto perseverare: dum falso tibi persuades, regnum hoc hærede legitimo destitui: cum veros denique Musulmanæ religionis conservatores grauibus tam contumelijs, quam detrimentis adficias: scire te volo: me supremi fretum numinis auxilio, cum toties victricibus copijs meis contra te venturum, & acri tecum prælio dimicaturum. Dum aliquis ergo pœnitentiæ locus est, pertinax esse desine: nimis sera nunquam vtilis est pœnitentia. Hæc tibi significanda duximus, vt quid nobis in animo sit, facere non ignorares: ac te tuasque res ex vsu tuo tanto rectius posses componere. Anno à migratione Prophetæ Mahumetis IↃCCCIV.

INALOGLIVS MVHAMETO.

CVr tu, Muhamethes, talibus me literis irritas? cur extra decori rationem huiusmodi me verbis compellas? Infans es, puer es: Sultani nomen vsurpando, nec regiones invadere nec manus extendere nimium debes. Nec est, quod dicas, me tuo capiti, tuo patrimonio, tuis rebus insidiari. Mihi regnum hoc vindico quo te profecto æquum erit excedere. Cæteroqui te protinus eijciam: ipsumque regnum cæteris regnis meis adiungam. Ni sponte tua cesseris: ni meo aduersari desieris instituto: equidem tibi denuncio: quam primum ad pugnam vti te compares: quando tecum mihi negocium esse volo. Anno Christi MCCCCIII.

SVLTANVS MVHAMETVS DVLGADIROglio Socero.

PRopositum mihi est in Europæam Rumiliam ducere exercitum: & repetito cum fratre Musa Bego pugnare prælio. Te tanto in negocio nec ipsum genero auxilijs tuis defore, nec benevolentia institutum hoc remorari velle confido. Vale, Anno Muhametano IↃCCCXIIII. Christi MCCCCXIV. Amasiæ.

DVL-

DVLGAMROGLIVS PRINCEPS SVLTANO
Muhameto.

EQuidem minime dubito, Rex mundi maxime, quo cunque te trahat expeditionis alicuius suscipiendæ desiderium: semper supremum illud cœli numen auxilio tibi esse: fortunam largiri prosperam: occasiones optatas præbere, felicem rerum susceptarum exitum, victoriamque certam tribuere. Quamobrem si, Deo res nostras ita disponente, fieri non poterit: vt ipsemet adductis ad te copijs meis veniam: & hoc bello fidam operam navem: nullo tamen committam modo, quin filium meum, mancipium tuum, vt hoc tibi bello nostris cum auxilijs adsit, expediam. Vale. Eodem anno.

EVRENOSVS BEGVS SVLTANO
Muhameti.

EQuidem te rogatum, ô Sultane, monitumque velim, tuis vt hoc nostrisque des rebus atque commodis, ne Musæ Bego, prælij causa nunc cogites occurrendum, antequam, vbi locorum agat, per exploratores tuos cognoveris. Adeoque præstiterit, vt ab ipso longius exercitum abducas, Lazoglij (Lazari Despotæ filij) regnum ingressus, vbi te velim angustis in locis & syluosis & montuosis habere castra, magnoque studio dare operam, vt illic tres Musæ Begos ac proceres, Baracum Begum, Iegidem Bassam & Sinanem Begum, regionis Trichalensis Dominum, tuas ad partes traducas: vt Musa deserto tibi parere velint. Vbi deinde cum Musa congredi volueris, etiam me mancipium tuum, tibi adfuturum, & fidelem navaturum operam scito. Vale.

BEGIS BASSA, BARACVS BEGVS, ET SINAN BEGVS
Brichalensis Sultano Muhameti.

NOs tres, ô mundi Rex, iuuenes sumus, & tria millia militum habemus selectorum, & insigni virtute præstantium, quibus orbis hic vix pares habet. Tu quanta celeritate poteris, ad nos te conferens, tuas cū nostris copias coniungito. Vale.

EPISTO-

EPISTOLARVM TVRCICARVM

LIBER III.

VLADISLAVS HVNGARIAE ET POLONIÆ REX, GEORGIO CASTRIOTO SCANderbego Albanorum Principi.

DISTVlit fortasse in hoc tempus fortuna seram istam gratulationem nostram, quo non tantum hodie tibi ob recuperatum feliciter imperium, sed pari etiã prudentia fortitudineque defensum, duplici rei prosperæ euentu gratularemur. Et gratulamur itaque, nec tibi tantum, verum etiam Christianis omnibus; quod tanta sit benignitate DEI, per virtutem tuam, rei Christianæ accessio facta. Quandoquidem non minima semper, inter cætera mala, nostra clades illa ducenda fuit, Epiroticæ gentis amissio: Cùm iniquis sublatus fatis Iohannes Castriotus, pater tuus, Princeps (vt audio) de omnium animis benè meritus, neque tibi in aliena degenti potestate, regnum auitum filio tradere: neque aliter ab Amurathe oppressus, imperio suo consulere potuerit. Et viueret vtinam nunc felix eo nato parens; qui omnium superasset fortunam; si te antè vidisset, quam è vita discederet. Ita vnus planè videris mihi (pace omnium dixerim) hac tempestate princeps: sicut omnibus animi corporisque bonis: ita diuino quodam fato præditus: cuius auspicijs, non solum tuta inposterum omnis Epiroticæ terræ ora futura sit: sed cuncti prætereà populi à corpore Macedonici imperij, nefario Ottomanorum latrocinio iam pridem direpti, in antiquam formam iuris ac ditionis suæ redituri. Quid enim (vt cætera taceam, quæ & apud barbaros, vel puero tibi olim tanta indies crescente invidia, maximum nomen prodiderunt) victoria illa speciosius? quam nuper Alybassa cum tot copijs cęso fugatoque, partam tibi ingenti admiratione ęquè audiuimus ac credidimus. Sed adest nunc, Scanderbege, dijs agentibus, qui te exacto quodam consilio in hæc difficilima tempora Christianæ Reipublicæ reseruarunt, maioris penitus tibi gloriæ materia: Subest occasio contra Amurathem, omnes veteres nouasque tuas ac tuorum iniurias vlciscendi: nec priuatas istas tantum, sed & publica id genus mala: atque tot

oppressæ, ne dicam extinctæ, iam fidei ludibria; si cum victore exercitu tuo isto, mundum desperatis rebus nostris adesse velis. Inuitant te ad hoc omnes Vngariæ & Poloniæ principes, ac viri fortissimi; invitat Iulianus sancti Angeli Cardinalis, cum pijs illis Christianæ salutis militibus, iam diu nobiscum in armis instructus: nihil præter tua signa expectamus. Quam si nunc oblatam vltrò à dijs immortalibus occasionem non reijcis; debellari posse penitus palam omnes affirmant, expellique Turcos, & à tam diutina Europæ possessione deturbari. Omittendum itaque hoc loco apud te omne adhortationis genus censeo, pro ea caussa; quæ defensa salutem, lucem, libertatem: Omissa, ominari horreo quæ ferat. Satis nos huc vsque tandem deservivimus Christiani: conflagrauimus iam omnes; dum nemo incendium ad se traiecturum putat. Quid de Græcorum cernimus, quantum de Triballorum imperio? Iacturas demum ipsas meas, totque exhausta ac exhaurienda indies mala, quis recenseat? Quis fortissimos principes Hungarici imperij, propugnacula per omnes ætates amissa & tot validissimos exercitus eodem funesto belli fato absumptos, ac occidione fermè occisos: ita vt nulla sit in Hungaria iam domus, nulla matrona luctus expers. Audiunt hæc Christiani Principes: nec movet vllum miserabilis sociorum fortuna: Sicut nos velut piacula quædam, luendis omnium periculis hosti passim obiectari patiuntur. Vnus Eugenius sanctissimus Rom. rei Præsul, & Philippus Burgundiæ Dux afflictæ fortunæ onus non detrectarũt. Alter Iulianum hunc cum præclaro nobis milite adiunxit: Alter classe instructa, & in Hellespontum vsque missa, Turcis transitum, quantum in ipso fuit, fortiter prohibuit. Alia nunc nobis spes propinqua subest, auxilij optandi: hinc vltrò nunc te ad tam necessarium bellum evocare, tum virtus tua inprimis cognita suasit: tum rerum omnium nostrarum periculum discrimenque coëgit. Cæterum cum ignoret nemo, quam id nunc sis incommodo acturus tuo, propter recentem adhuc domesticarum rerum tumultum, & vixdum pacatum noviter redempti imperij statum; id te movere non debet; cum & tibi præclarissimum nomen hac expeditione sis pariturus, & hoc præsens beneficium apud minime ingratos animos sis collocaturus. Quod prior tu hodie pro salute nostra dignitateque feceris: id nos pro tua laude, & imperij incremẽto semper faciemus. Vale ex Buda Regia nostra, 3. Non. Iul. An. MCCCCXLIII.

GEORGIVS CASTRIOTVS SCANDERBEGVS EPIRENSIVM Princeps, Vladislao Hungariæ & Poloniæ Regi.

ACcepi literas tuas, lætitia desiderioq; pari, Inuictissime Regum; quas cum in maxima ducum meorum frequentia legi vidissem: nemo omnium est auditus, qui tam iusti belli occasionem à te oblatam, non vltrò adeundam censeret. Ita & publice omnes & privatim singuli diceret. gratius quic-

quicquam hodie à dijs immortalibus sibi tribui non potuisse, quam vt & optimum regem aliquo sibi non ingratorum animorum officio deuincirẽt; & rei Christianæ simul tam oportunam operam præstarent. Gauisus sum maxime ipse in ea meorum voluntate; tum tua inprimis, tum communi caussa; cum ita animatos pro Christi fide & affectos tibi milites nostros & omnium generum ordines, vel sine vlla adhortatione mea, viderim. Quãquam quis, nisi dijs pariter & hominibus invisus, tam iustissimum bellum recusauerit; vt nullus sit religionis pudor; nulla communis periculi ratio pro eo rege, ad quem, quod regnamus Christiani, quod vivimus, quod spiramus, quod loquimur, vnice referre & possumus & debemus? Quis non arma libens sumpserit? & in apertum etiam ruat discrimen pro Hungariæ populis, quibus tãto malo sanguineq; per omnes ætates Christianæ salutis defensio stetit: qui vel ab ipsis prope incunabulis æterni hostium nostrorum hostes, Christianæ sese dignitati iam inde devoverunt. Vtinam vellet DEVS Optimus Maximus Vladislae, vt possem ipse ad hoc præclarum bellum tibi tantum afferre virium: quantum sum animi & cupiditatis allaturus, Non iaceret diutius fortasse in eo squalore Europa, ac impio oppressa Amurathe: non velut piaculo quodam aliorum fumarent toties Hũgarico cruore Basilienses ac Varnenses campi, & Epirotico sanguine omnis Macedonię angulus. Perijmus iam omnes, dum quisque sibi se tantum natum existimat.

Sed quid nunc ipse mecum has inutiles querelas iacto, & nequicquam conqueror? Profecto neque virium me mearum pænitet omnino: neque si secundis diis acies tecum mihi ad tam felix bellum coniungere licuerit, fortunæ nostræ Christianum nomen, vt arbitror, vnquam pœnitebit. Ad ea namque XV. millia militum, quæ in Macedoniæ finibus Alybassam fuderunt, totidem adijcere in animo est: cum quibus ad vos, cum primum fieri poterit, iter arripiam, signa tua in omnem eventum, secuturus. Vale. Ex Croja Prid. KL. sextil. MCCCCXLIII.

SCANDERBEGVS EPIRENSIVM PRINCEPS
Messitho legato Turcico.

NOn earatione toties, adversis etiam meis rebus, fædera à vobis petita contempsi, vt nunc secundis acciperem. Sed neque ita oblitum me conditionis humanæ ac inconstantiæ suæ, hæc qualiscunque est, prospera certe fortuna mea, eo provexit, ac inanes tanta spe inflavit spiritus: vt vel pepetuam eius possessionem spondere audeam mihi: vel tam insolentem amicitiæ vestræ contemptorem futurum semper confidam.

Mutare poterit hæc fallaces vultus: & petitores nos forsan sordidioris apud vos pacis efficere: tamen quicquid occulta rerum

ſemina, & abſtruſus fatorum ordo homini paret: non ideo quicquam hodie ex priſtina pertinacia animorum mutamus. Fædiſſimum omne amicitiæ genus vobiſcum reputamus: ſtantibus iam vndique Chriſtianorum iniurijs, tot cladibus, ac ſanguine adhuc recenti, quo Græcia iam omnis ac Vngaricum ſolum madet. Sicne Peloponneſiaci imperij iacturam hodierna pace compenſabimus? Sic & nouam Belgradenſem victoriam, ac Hungaricã gloriam ignauis vobiſcum inducijs dehoneſtabimus? Habeat, quæ poteſt, ipſe Mahumetes fœdera: nos armis ferroque captam ſemel pacem & ocium quæremus, [redacted] quod non ſolæ nos injuriæ, ac perfidia veſtra; ſed natura potius quædam hoſtes [redacted], ſempiternisque cõtra ſe invicem armavit odijs. Gentiles vobiſcum ipſe ac hæreditarias quaſi inimicitias exerceo: & domeſtici potius ſanguinis, & meæ ſimul & Epiroticæ ſeruitutis vltionem, quam novam gloriam vllam, de vobis quæro, nunquam ſatis finem laboribus hiſce & periculis facturus: donec vel priſtinum ciuibus meis ſtatum, vel invisum vobis ſpiritum tradam.

RAPHAEL DVX ET CONSILIVM IANVenſ. Rom. Pontifici.

NOn dubitamus, ſanctiſſime Pater, cognitam eſſe ſanctitati veſtræ veterem egeſtatem Ianuenſium ſacerdotum: de qua ſi quod eſſet operę precium, multa parvo labore afferri poſſent teſtimonia: quibus liqueret, quam ſibi etiam lege naturæ parce viventibus res anguſtæ ſint. Verum quoniam de hac ſacerdotum egeſtate quæ nota eſt, nunc minimè loquimur: eam tantummodo attingemus, quæ huius temporis eſt. Annonæ caritate, quæ multos annos hanc regionem vexauit, & item externis bellis terra marique circumtonantibus, diu fortunæ populorum noſtrorum attritæ ſunt: & effectum eſt, vt neque ab agreſtibus, neque à ciuibus tenuioribus exigi pecuniæ poſſint: & cum pars maxima redituum ſacerdotalium ex annuis penſionibus conſtet: egeſtate conducentium neceſſe eſt res anguſtiores locatoribus fieri. Accedunt & onera publicorum munerum: quorum partem haud levem iamdudum ſacerdotes pertulerunt. Nam cum infelicitas temporum coegerit nos pro ſalute patriæ ac libertatis noſtræ vndique pecunias corradere: pars propè quarta fructuum, quos ex locis communis noſtri percepturi fuiſſent, ſibi quotannis eripitur, & in ſumptus publicos erogatur. Quæ ſic, vt ſunt, ſi ſumma ſapientia veſtra cogitare voluerit: facilè cognoſcet horum ſacerdotum egeſtatem. Cum vero innotuerit literas Apoſtolicas perlatas eſſe: quæ iubent hos ſacerdotes contribuere in claſſem contra Turcas parandam: non potuimus non miſerari ærumnas eorum: qui cum naturæ deſideria ægrè poſſint explere, ad eiuſmodi ſumptus invitentur. Propter quæ Beat. veſtram oramus maiorem in modum: vt ad

ea, quæ

res, quæ diximus, animadvertens, dignetur id onus ijs sacerdotibus remittere: cui etiam si velint, obtemperare non possint. Quod quanquam per se ita æquum est, vt vix æquius quid haberi possit: nos tamen sumi loco beneficij accipiemus: qui nos nostraque omnia Sanct. vestræ deferimus. Ianuæ. XXVI. Octob. M. C. D XLIII.

RAPHAEL DVX ET CONSIL. IANVEN. INVICTISSIMO Principi Friderico Rom. Regi semper Augusto.

LIteras regias, invictissime Princeps, XXIV. Iunij superiori, die Viennæ datas, serò quidem, sed debita veneratione accepimus: vt quos sacrum Imperium in peculiares filios semper habuit: honoribusque ingentibus, sæpe beneficijs exornauit. Et quanquam exploratissimum haberemus animum Sublimitatis vestræ ad vniuersale bonum Ecclesiæ maximo studio & summa vi anhelare: iuuit tamen nos, vixdum lecto literarum initio, hoc ipsum etiam earum testimonio cognouisse. In quo quidem Maiestatis vestræ proposito digne collaudando, quanquam nullas vires, nulla hominum ingenia satis esse arbitremur: nos tamen quantum datur, illud laudamus & prædicamus, omnique genere laudum extollendum ducimus.

Neque enim videmus, quid sit aliud, quod æque possit nomen vestrũ æternitatis gloriæ consecrare: quam pro Dei sponsa Ecclesia, eiusque incrementis, ac vera tranquillitate, Excellentiam vestram nullas vigilias, nullos demum labores effugisse. Quod autem ipsis ijsdem literis Maiestas vestra nos hortatur, Prælatos legationemque die stata ad eam vrbem mittere: vbi novum haberi concilium decretum fuerit: dicimus nos non ignorare rem, de qua agitur, maximam & summam omnium esse: in cuius rationem omnes mortalium res paruæ tenuesque iudicandæ sunt: cum præsertim ipsius Dei causam directè aspiciat: cui & animorum simplicitas, & rectitudo consilij maximè debentur. Itaque ne quid ex properatione peccemus: curabimus, quid nos deceat, intelligere: ita vt cum statuta dies advenerit, ea quæ dignitatem, amplitudinem, veram tranquillitatem Ecclesiæ intueantur, nequaquam pro virili deseramus: qui nos nostraque omnia Benignitati vestræ semper commendamus ac dedimus. XVIII. Septembr. M C D X L I I I.

AMIRATHES OTTOMANVS TVRCARVM PRINceps Georgio Scanderbego alumno ingratissimo.

OFficia, quibus te ornarem omni tempore, dum apud me ageres, nunquam defuerunt mihi, Scanderbege hominum ingratissime. Verba nunc quibus alloquar desunt, ita multiplici tu scelere perfidiaque animũ

meum offendisti, læsisti dignitatem, vt quo sim genere orationis, apud te præsertim domesticum, vsurus, nec consilium, nec modus suppeditet. Neque enim vel atrocior sermo demoliturus est ferox suapte natura ingenium, vel mitiori tu dignus oratione, qui feritatem omnem longè superasti, & ne quam mei irritandi causam omitteres, eo es nuper amentiæ progressus, vt vel propria incommoda, & ciuium tuorum salutem, Hungaricis contra me sumtis armis posthabueris. Piget proloqui alia, & velut vilia quædam attingere, si modo obliuisci vnquam pateretur animus vel silentio tegendæ forent tot nefariæ tuæ fraudes, & ingratissimi animi exempla. Monendum tamen aliquando, licet sero fortassis duxi, ne ea te ferocia præpropere cum tuo isto funesto imperio præcipitem agat, & tunc diutini huius erroris confessionem exhibere velis: cum iam dudum nullam tibi opem, desperatis rebus omnibus, reliquã feceris. Satis tot tuas huc vsq; iniurias pertulimus: sat multis Ottomanum imperium contumelijs lacessisti; & tot ad mala patientem me satis præstiti. Impune tibi proditos illos in Hungaria exercitus cessisse existimas? Impune tot directa in Epiro à corpore imperij mei oppida, & cæsa præsidia? impunè & hæc (Recẽtiora loquor) cessura credis? deletũ scilicet Alybassæ exercitum, tot agrorum vastationes & incendia? noviterq; adiutos (quantum in te fuit) Hungarici belli tumultus, ac Georgij soceri, quod te abstinere ab imperij sui limitibus voluisset, late depopulatum agrum? Resipiscas tandẽ aliquando, improbe, nec expectes diutius, quorsum sit hæc indignatio mea eruptura. Ne leuiuscula hæc secundarum rerũ incrementa, eò stolidum desiderium provehant, & acuant libidinem, vt miserabilior postea fortuna tua, vel infenso cuiquã, atq; ipsi mihi miseratione commovere queat. Memineris aliquando (si quid iam residet in perdito ingenio humanitatis) meorũ officiorum: ne tam male in te locata longius deplorem. Quamuis non ciuilis sit animi commemorare ea, quæ in aliquem liberaliter cõtuleris; ingratissimi tamen est, præteritorum meritorum sic facile obliuisci posse. Quare non possum non dolere hoc loco sortem tuam, Scanderbege: & miseratione quadam affici rerum tuarum. Vt enim omittam animæ salutem (id quod tu ad extremum perditus homo pro nihilo habes) vt spretas Mahometi leges, & spretum à te diuinum prophetam, præ Christianis superstitionibus, taceam: quid eorum, quæ magis cæca hominum ingenia delectant, defuit vnquã à me tibi, hasce pauperis regni tui sordes tanti? an arma, an equi? an longus servorum ordo? an pecuniarum rerumque cæterarum superfluentia, quæ omnem ætatem solent allicere? an exercendæ virtutis & totius gloriæ materia tibi deerat, an domi militiæque negatæ dignitates? præfecturæ & cuiusvis generis pares tuæ ætati honores? In aula demum, quis te vnquam

quam clarior mihi? quæ acceptior indoles, non peregrina tantum, sed magis intima domesticaque fuit? Qua diligentia institutioneque infantem ferme ad me delatum, educare curaui: & bonis artibus, ac optimis moribus alui, auxique crescentem indies virtutem, tū præmijs tum omnimodis laudibus: & ita bellico decore (quo nihil pulchrius est in rebus humanis) omni tempore exornaui; vt nullo certaminis genere vel notior apud me miles, vel dux clarior haberetur. Pro hisce tu beneficijs hodie te eum exhibes, Scanderbege, vt non modo non quem putaram virum, sed pestem quandam intra parietes meos aluisse videar. Sed age patriæ te amor solicitabat, quam si à me petijsses, negaturus ne tibi eram, cum iam toties, si meminisse potes, vltro eam tibi promiserim? Maluisti tu tamen eam per maleficium ipse, quam à me beneficio habere. Habeas igitur Dijs approbantibus, neque me reprobante; & profecto, qua sum animi clementia, quoscunque mihi aliquo tempore familiares & cognitos, omnium nunc ipse tibi veniam trado; non tuo præsenti merito, quod nullum est; sed quia & in hoc publico odio, tum priuatim in te collati officij, tum præstitæ tuæ olim in rebus meis fidei, libet meminisse: quandoquidem multo diutius tempus fuit, in quo seruiuisti, quam in quo offendisti.

Croiam & regnum paternum tibi, licet nefaria fraude vendicaris, concedimus ea lege, vt cætera Epiri oppida, quæ nullo ad te iure pertinent, sed virtute ipse quondam mihi, ac belli fortuna quæsiui, vltro restituas: Mysorum res socero meo incorruptas, quoad magis fieri potest, quamprimum reddas, & cætera, quæ absunt, æstimata pecunia rependas: deincepsque in omne tempus, tam eum, quem nos amicum habuerimus, violari à te, quam hostes meos aliqua iuuare opera, nefarium censeas. Sic & Turcarum odia effugies in perpetuum: & idem erit apud me tibi amoris & benevolentiæ locus, qui antea fuit; nisi malueris, malo edoctus tuo, tum pœnitentiæ frustra locum quærere, cum audacia isthæc tua & ferocia me præsentem implacabilem vltorem habeat. Nosti iam vires meas: nosti exercitus robur. Habes ante oculos Hungaricæ fortunæ non leue documentum: longiori admonitione non indiges. Cæterum quicquid es ipse facturus, scribere te ad summum velim. Poteris etiam cum Ayradino nostro coràm agere, homine & certo & fideli, à quo & alia plura audies, quæ non sunt literis commissa. Vale, si sapis. Ex Adrianopoli. 17. Cal. Iul. Anno M. CCCCXLIIII.

ATHLE-

ATHLETA CHRISTI SCANDERBEGVS AMVRATHI Ottomano Turcarum Principi.

SVperasti olim tu me (vt scribis) multiplici genere officiorum, ego te hodie modestia, & linguæ temperamento vincam. Neque enim quicquam tam seruilis ingenij esse puto, quam vel apud infensissimum hostem ea fœditate sermonis & petulantia dicendi abstinere non potuisse. Quare & literas tuas & nuncium æquo animo accepi, & risum (vt vera fatear) excitarunt mihi literæ tuæ potius, quam moverunt stomachum: dum vel in ipso statim dicendi ingressu, tantæ ingratitudinis, & perfidiæ audes me insimulare, & rursum leniori quodam ingenio ductus, animæ meæ jacturam recenses: miserrimi fati tui ignarus, ac lõgi erroris studiosus defensor. Demumque nullo belli iure, ordineque rerum servato, imprudenter, ne dicam impudenter, tanquam victor victo multas pacis conditiones proponis: & eas præsertim, quas liberæ aures vix audire queant. Ego quidem, Amurathes, quamvis tot tua dicta possent vel patientissimum quenque ad maledicendum armare; concedo tamen aliqua ætati & liberiori senis ingenio; dolori reliqua: quem difficile etiam temperare, præsertim quod ipse non iurgijs tecum convitijsque, sed armis, & iusta belli ira certare institui. Quid tamen, quæso, Ottomane, ita DEOS hominesque accusas, quasi prior sis à me hostilia passus, non prior intuleris? Itane necessariam à te defectionem, perfidiam appellas? Scelus obijcis mihi, recuperatam ingenio & virtute patriam? Sed age obijcias: nihil enim recuso, vt horum me reum criminum in omnia secula efferas. Officia quoque in me tua, quæ longo ordine recenses commemorasque, recordarer & ipse libenter, ni ingentium omnium malorum memoriam hæc traheret secũ cognitio; quæ si forent invicem compensanda, obruueretur sanè maioribus vndecunque maleficijs tanta magnitudo tuorum meritorum, reputare tamen ea tecum te ipsum, quam me referente erubescere malo. Miretur sanè illud vnum vnusquisque; qui sciat quomodo aut ipse ad ea patienda suffecerim, aut te non aliquo tempore tantæ crudelitatis odiorumque satietas ceperit: Abstuleras regnum paternum mihi; necaveras fratres, meque ipsum nihil tale timentem iam pridem nefariæ morti deuoueras, & novum adeo nunc videtur. Amurathes, quod tunc non immemor libertatis animus, tantæ servitutis effugium aliquod conquisisset. Quousque tandem dominationem tuam superbam laturum me putasti? Pertuli tamen multa diutius; neque iugum apud te vllo tempore detrectaui. Pericula publica æque ac priuata, tum vltro ipse, tum iussu tuo adij per omnem ætatem. Serebantur colloquia de te quotidie, & frequens apud me erat de insidijs tuis sermo amicorum. Ego tamen & verbis & factis tuis, fraudem omnem abesse diutius credidi; donec improba sese consilia latè aperuerunt. Dissimulaui

mulaui

mulaui tunc & ipse totus in tuas artes conuersas quousq; aliqua vindicandæ libertatis occasio affulsisset. Nihi est igitur, quod doleas nunc, cum tuo (vt aiunt) perieris exemplo. Parua tamen hæc, Ottomane, sunt instar eorum, quæ spe ac animi cupiditate concepi: Omitte igitur imposterum acres istos minarum aculeos: & Hungaricæ fortunæ nobis toties subijcere desistas exemplum, Suum quisque animum habet, mi Princeps, suum genium, & nobis ea fortuna, quam dij dederint, patienter erit ferenda, interim tamen neque consilia rerum gerendarum petimus ab hoste, neque pacem ex te, sed victoriam Dijs propitijs quærimus. Vale, Ex castris nostris. Pridie Idus sextil. MCCCCXLIIII.

AMVRATHES OTTOMANVS TVRCORVM Imperator, Mustapha duci.

BEllum quod tantopere postulas, Mustapha, en dedimus tibi, laudem ex eo (si vera sunt, quæ ad nos de Venetorum armis afferuntur) tua tibi virtus ac dextera pariet. Caute tamen agendum est cum eo hoste, neq; sumenda credule arma; quæ vbi non credas, per summam fœditatem deponas. Fallacis forsan inter Christianos belli species, & inanes simultates te tantum capiunt, quippe cum (vt aiunt) nulla sit breuior contentio, quam inter patrem & filium. Nos neque monere absentes præsentem possumus, neque stolidam pugnæ libidinem laudamus. Obeunda sunt tibi omnia: & disquirenda singula inermi, quæ armato postea sunt agenda. Militem habes insignem numero viribusque integrum, hostem tum fessum tot prælijs, tum exhaustum. Reliqua ages pro arbitrio tuo. Nihil enim vt facias prohibemus, quod è dignitate nostra censeas futurum.

GEORGIVS CASTRIOTVS SCANDERBEGVS Alphonso Regi Apuliæ.

NOstri milites cum viris tantum pugnare & depugnare noverunt, cum muris nesciunt. Vos Itali (vt audio) id belli genus & calletis, & amatis summopere. Itaque opus est in præsentia mihi auxilio & industria vestra. Sunt oppida quædam hostium in Epiro, vel in ipsis prope visceribus imperij nostri; vetus est desiderium, tollere eam ignominiam ex oculis, si velint dij, sed assiduis bellorum incommodis detentus, non potui quippiã adhũc vsque diem feliciter attentare. Tempus istud, & propter anni accommodatum tempus, & ocium Mahometis cuius bis iam furorem repressimus, aptissimum ad eam cupiditatem absoluendam elegi: Paucis tenere potes, quid facto sit opus. Cætera omnia fermè in procinctu sunt, vos tantummodò expectamus, dabis milites (nihil enim recuso) qui eminus pugnare didicerunt, scorpionatos scilicet istos & Sclopigeros, nam

cæterorum nobis ad satietatem abundat copia. Sed ô felicem, te rege, Apuliam, mi Alphonse; ex qua ita liceat omne virtutis specimen, tanquam ex thesauro aliquo affatim depromere. Si pace, si bello vtiles viros optavimus, tu forum, tu militiam ornasti, tu legibus, tu armis Epiroticum fulcivisti imperium: te domi, te militiæ, omnis sexus, omnis ætas, omnis Epiri angulus celebrat. Ego vero ita beneuolentiam tuam amplector, & foueo memoriam tuorum erga me officiorum, vt interdum vel eam fortunam exoptem tibi (& si non satis æque agere videor) quæ amicos (vt viuat) probat, non parat: quo voluntatem in te meam certiore aliquo experimento cognoscere valeas.

FRIDERICVS III. ROM. IMPERATOR MATthiæ vtriusque Pannoniæ Regi.

LIcet multæ caussæ invicem concurrant: quæ me potius ad bellum tecum gerendum, quam ad pacem firmandam inducant: quas hic recitare mihi supervacuum videtur; tu etiam eas optimè nosti: vt tibi tamen tuisque omnibus ostendam, quantum potius mea in vos valeat liberalitas: quam vestra in me gratitudo: deliberaui penitus tecum pacem firmare: vt cum ab armis recesserimus, possint milites nostri, qui ex vtraq; parte summopere consumpti sunt, ad desideratam quietem redire: & dissipatas res suas aliquantulum instaurare. Tibi igitur præsertim tenore harum literarum significo: quod ab hoc die in posterum relicta omni penitus discordia ac simultate, quæ prius inter nos fuerat, volo tecum firmissimam pacem habere: cum his tamen pactis & conditionibus: quæ prius fuerant inter nos vnanimi voluntate conclusa. Te hortor, vt hanc à tuis toties desideratam pacem velis & libentissima fronte suscipere: & beneficiorum communicationem perpetuam servare. Nos .n. ex parte nostra hoc tibi volumus esse promissum, & constantissimè observatum: quod nulla vnquam causa à tua beneuolentia decedemus: quoad ipsam volueris nobis illæsam tenere. Vale.

MATTHIAS REX HVNGARIÆ FRIderico III. Cæsari.

CVm, Cæsar, præter æquum & fas initam toties nobiscum pacem solueris; & icta sæpe fœdera violaueris, nullaque promissa præstiteris: quin & malo sæpissimè dolo, læsa concordia, nostrum agrum, pagos & oppida hostiliter invaseris: nos Matthias Rex Vngariæ, cæterique Pontifices, Reguli, optimatesque, iustum tibi bellum indicimus: & Iesum Christum Opt. Max. Diuam genitricem, peculiare Vngariæ numen, cæterosque deos patrios, violatæ iustitiæ, ac læsæ pacis, & inexplebilis avaritiæ vindices precamur: vt propius victoria nostra arma respiciant: vires legionum obfirment: & vltoribus iniuriarum, ac violatæ quietis, & fidei assertoribus

bus debitam insignemque victoriam tribuant. Proinde aut Cæsaream mentem ad resipiscentiam revocent: aut suscepta nobis iustè vota auspiciaq; fortunent. Anno salutis septuagesimo septimo supra millesimum & quadringentesimum.

ANDREAS VENDRAMVS VENETORVM DVX,
Matthiæ Vngariæ Regi. S.

DIstulimus aliquantisper gratulationis officium, Serenissime Princeps: quoniam varius & incertus initæ pacis nuncius inter tuam regalem Augustalemque Maiestatem adhuc esse videbatur. Sed indies certiores facti, has breviter scribendas esse censuimus: quibus etsi non abunde gaudium & lætitiam promere; perbrevi tamen indicare videremur: itemque ingenti devotionis affectui aliqua ex parte satisfaceremus: vt sicuti bello grauiter angebamur: ita percusso nuper salutari fœdere mirificè lætaremur. Gratulamur igitur Maiestati vestræ: imò communi gentium saluti: quarum tutela ex vestra pendet concordia. Gratulamur amicis quibuscunque vestris: in quorum ordine nos sumus haud cum postremis numerandi. Gratulamur denique Reipub. Christianæ: cui posthac à Maiest. vestra hoc finitimo & intestino bello liberata, id auxilij sperare licet: quod vestrā amplitudinem, pietatem, religionem, ac ardentissimum in Christianam Rempub. studium planè addecet.

MATTHIAS VNGARIÆ REX ANDREÆ VENdramo, Veneti Senatus Principi. S.

QVod ob initam cū Serenissimo Imperatore pacē nobis ex animo gratulamini: quod amicitiæ officiū in re quaq; tā diligenter attēditis: nos hunc gratulationis affectū, & gratissimū habemus: & gratias agimus ingētes: quando ex fido & benevolenti corde profluxisse cognoscimus: Nec minus quidem vos nostris, quam proprijs, commodis lætari credimus: quandoquidem nihil nobis gratius accidere potest, quam cum optimū florentissimæ amplissimæque Reipub. vestræ successum audimus. Hæc vetus amicitia, fida societas, & explorata diu vtrinque fides, vtrosque facere iubet. Quod in calce subijcitis literarum vos Christianæ Reipub. gratulari: quod à nobis, vicino & intestino bello liberatis, id auxilij sperare possit: quod amplitudini & pietati nostræ conveniat: vos scire velim, quemadmodum etiā per Oratores sępe vestros superiori tempore significavimus: nobis ardentissimum defensandæ Reipub. Christianæ studium nunquam defuisse, neque in posterum esse defuturum: si tantam turbulentissimi hostis molem, cuius vires soli tolerare nequimus, humeris nostris sine adminiculo aliorum subire possimus.

ÆNEAS SYLVIVS LEONARDO ARETINO.

LIteræ ad me tuæ, amantisse Leonarde, duplicatæ & triplicatæ pvenerūt. In omnibus hortaris me magnopere ad rem bellicam instituendam

pro mea virili, quando apud Cęsarē servio, operam navem. Facis, vt Christianum decet, & hominem Senis natum, cuius est (nescio quare id fiat) quo minus potest, eo magis de communi bono anxium esse. Laudo tuum cogitatum; tuas curas probo. Vtinam tui similes rebus maximis præessent, credo, multo melius Christianitati esset consultum. Namque si verum dicere libet, nimia est inter orbis nostri rectores somnolentia, aut adversus officium, aut præter officium omnes intenti sunt. Arbitror te iam cognovisse, quæ sint apud Ratisponam gesta, & quam negligenter ad conventum ex Italia cōparuere. Nam Legati Venetorum prius solutum audivere concilium, quam Bauariam ingrederentur. Vnus mihi videtur præter omnes laudandus princeps Philippus Burgundiæ Dux, qui etsi esset Britannico bello implicatus, vocatus tamen ad conventum, qui pro salute populi Christiani erat indictus, noluit excusari, noluit Reip. deesse, Congregationem, quæ commune bonum tractare videbatur, sua præsentia noluit esse priuatam. Venit igitur Ratisponam: iturumque se contra Turcos in persona propria pollicitus est, si vel Cæsar vel Rex Vngariæ, vel alius magnus Princeps exercitum duceret: Si minus, misurum se, quas posset, copias, neque his in rebus excusatum se habere voluit, nisi tale sibi superveniret impedimentum, quod tota Christianitas legitimum reputaret. Quis hunc satis commendare Principem posset? Nemo est inter Christianos, cui minus timendi sunt Turci, & infideles cæteri: quam duci Burgundiæ: nemo tamen est, qui pro depulsandis atque comprimendis hostibus fidei magis solicitus eo reperiatur. Vnde obsecro ista mens homini? Non cupido rapiendi hunc trahit, cui sunt opes infinitæ: Non spes vlla voluptatum, quibus frui victores putant, qui est iam ævo provectior: & si delicias amet, nusquam majores, quam domi reperiat: Non augendi dominij ratio, qui se novit in Græcia & Asia nequaquam regnare posse. Sed est hic religiosus Princeps: amat ecclesiam, matrem suam: cupit fidei nostræ consultum esse, dolet, cum audit Christianum nomen blasphemari. Miseretur infelicibus animab', quæ diutius in captivitate à Barbaris rapiuntur: pudet eū ignominiæ, quam Turci nobis inferunt. Est enim nobilis in eo animus: non potest mens alto sanguine nata non alta meditari: nihil turpe ferre potest generosus spiritus: videt se dono DEI amplissimis & populosissimis regionibus præfectum, multisque beneficijs cumulatum: non vult ingratus videri: recognoscit munera in se diuina esse quam plurima, vult pro sua facultate vices reddere. Meminit Ioannis, patris sui, quem Turci pro fide Catholica pugnantem captivarunt. Cupit vlcisci paternum vulnus, imitarique majorum suorum vestigia, quos pro fide Orthodoxa constat fuisse ardentissimos. Huius igitur opera factum est, quod in conuentu Ratisponensi nonnulli articuli conciperentur, quorum ego copiam Re-
ctoribus

ctoribus nostræ vrbis feci. Nec me dubium tenet, quin tu illorum notitiam habeas. Nam & illustri dominio Venetorum, apud quos nunc moram trahis, articuli per suos Legatos huiuscemodi missi sunt: quorum si fiet executio, nihil erit nostræ religioni timendum. Cæsar huiusce rei cupidus novum apud Francfordiam concilium indixit. Id futurum est 3. Calend. Octobris. Cæsar aut eò se, curiamque suam transferet; aut præsidentes plena potestate suffultos mittet; neque negligetur, quantum in se erit, conventus.

Scripsisti vocandos esse multos ex Italia ad consilium Ratisponense, putasti id futurum Constantiensi simile, ne dicam Basiliensi; quod in annos viginti protensum est. At nostrum exacto mense finem accepit. Indictum est aliud, huc rursus vocantur ex Italia Rex Aragonum, Veneti, Ianuēses, Florentini, Senenses, Lucani. Comes quoque Franciscus, quamvis non est investitus de ducatu Mediolanensi, accersitur & Dux Mutinæ: Marchiones insuper Mantuæ, Montisferrati & Saluciarum: Videbimus quantus erit nostrorum feruor Italorum. Regibus quoque Franciæ, Angliæ, Bohemiæ, Vngariæ, Poloniæ, Daciæ, Sueciæ, Norvvegiæ, Scotiæ, literæ dantur, vt ad conventum mittant. Principes Alemaniæ adesse, communitates mittere Legatos iubentur. Si erit conventio grandis spem benè gerendæ rei, summam; si pauci convenerint, obiter gestam dices. Quid sentis? quid putas futurum? Mallem tacere: mallem opinionem meam esse falsissimam: ac mendacis, quam veri, prophetæ habere nomen: dicam tamen, quod meus præsagit animus, Non spero quod opto: nil boni menti meæ persuadere possum. Quare, inquis? Quare, inquam, ego bene sperem? Christianitas nullum habet caput, cui parere omnes velint. Neque summo sacerdoti, neque Imperatori, quæ sua sunt, dantur: nulla reverentia, nulla obedcientia est. Tanquam ficta nomina, picta capita sint; ita Papam Imperatoremque respicimus. Suum quæque ciuitas Regem habet: Tot sunt principes, quot domus. Quomodo tot capitibus, quot regunt Christianum orbē, arma sumere suadebis? Age dicito concurrere in bellū cunctos Reges: cui ducatum dabis? quis ordo in exercitu erit? quæ disciplina militaris? quæ obedientia? Quis pascet tantum populum? quis intelliget varias linguas? quis reget diversos mores? quis Anglicos amicabit Gallicis? quis Ianuenses coniunget Aragonensibus? quis Teutones Vngaris Bohemisque conciliabit? Si paucos contra Turcos ducis, facile succumbis: si multos, confunderis. Vndique sunt angustiæ. Perge vltra, atq; inspice Christianitatis vultum. Pacata (inquis) Italia est: facile adversus exteros arma sumet, domi quieta. Nescio mehercule, quam quieta. Inter Regem Aragonum & Ianuenses adhuc belli reliquiæ manent: nec Ianuenses hi sunt, qui contra Turcos pugnaturi credantur, quibus tribu-

ta pendere dicuntur. Veneti cũ Turcis fœdus percussere. Et quamvis aiunt se sumpturos arma pro nostra fide, si cæteri Christiani bellum Turcis indicant: quis hanc conditionem implebit? Vocare nunc, rogare atque excitare Venetos oportebit, qui cæteros imitati essent, si pax eis cum Turco non esset. Quid cum Italis facies, quando duæ nauales potentiæ, & quidem maiores, desunt? Rex Aragonum, quamvis est potentissimus, & ad cōmune bonum ardens: haudquaquam solus bellum navale contra Turcos agitabit. Summi Pontificis quanta sit classis, non ignoras: Deficit igitur nobis altera belli pars. Nam cum terra marique Turcos vexare propositum esset, deficientibus Italis, nihil est, quod de maritimo bello speremus. Patebit Asianis Hellespontus: &, si terra bellum geratur, infinitas ex Asia copias in Græciam Turci traducent. In Hispania nosti, quam multi sunt reges, potentia, regimine, voluntate & opinione dispares: nāque illi in extremo iacentes Occidenti, ad Septentrionem trahendi sunt: estque quod agunt cum Granatensibus domi. Rex Franciæ etsi toto Regno pepulit hostem, marinas tamen oras inquietas habet; nec militem extra regnum audebit mittere: dum classes ex Anglia repentinas timet. Angli nihil aliud animo gerunt, quam vt repulsam ex Francia vindicent. Scoti, Dani, Sueci, Norvvegij in vltimis orbis oris siti, nihil est quod extra domum quærant. Teutones inter se diuisi, nulla in parte cohærent: Ciuitates cum Principib⁹ dissident: & ipsi inter se Principes nullo concordiæ vinculo tenentur: Suitenses cum ducibus Austriæ vetus odium tenent: Comes Palatinus Archiepiscopo Moguntino infestus est: Ducatus Luzelburgensis inter Regem Bohemiæ & Ducem Burgundiæ litigiosus pendet: quamvis sint ad Calendas vsque Novembris in eam rem induciæ. Duces Saxoniæ de sexaginta castellis cum Bohemis litem habent. Vratislauienses requisiti per Bohemiæ regem homagium facere recusant, nisi ad se rex proficiscatur. Pruteni, qui religioni Sanctæ Mariæ Teutonicorũ subiecti fuerunt, excusso priori iugo ad Regem Poloniæ defecerunt: Isque nunc regionem ingressus cum coniuge, sacramenta fidelitatis accipiunt. Lignicenses, quos Ladislaus rex gubernatori Bohemiæ dederat, subire iugum recusant. Nec Puduuicenses parere Domino de Rosis voluntarij sunt, quamvis dono Regis ad eum pertineat. In Austria nihil quieti est: Baronem Eizingerum dominantem spernunt, Ciuitates amant; seditiones frequentes agũtur: Vuacho Bohemus cũ duobus millibus latronum, regionem longe lateque vexat: In Viēna crebra fiunt incendia: nec autores in famam veniunt. In Vngaria Prælati & Barones infensi sunt Ioanni Vaivodæ; qui quondam gubernator fuit, nunc Capitanei nomen tenet, regnique maximā partem occupat. Giskra Bohemus investitus à Rege de territorio Sepusiano in Vngaria, ad possessionem venire

per

per Ioannem impeditur. Despotus Rasciæ quamvis Turcis vnitus putetur, auxilia tamen Regis Vngariæ petit, & Turcos asserit bello paratos: nihil tamen ad hæc Vngari moventur: sed habituri potius inducias siue concordiam cum hoste, quam moturi bellum creduntur. Ede nunc in tanta rerum varietate, quid sperandum aut timendum sit: intuere deinde mores hominum: ac nostrorum Principum facta considera: quantus auaritiæ sinus patet; quanta inertia: quanta voracitas. nemo literis aut bonarum artium studijs intentus est: & tu cum hisce morib. deleri posse Turcorum exercitus putas? Vtinam tu verax inveniaris, ego fallax. Vtcunque res sese habent, manebo ad dictam diem Francfordiæ; & si nō prodero reipub. Christianæ, macerabo tamen meipsum; & in vindictam meorum delictorum affligam corpus & mentem: sed quid in commune redundabit boni, tantò id libentius videbo, quanto magis id preter spem eveniet. Tu vale, & me, vt soles, ama: & si amasti parum, amorem auge: quoniam ego te pro tua virtute vehementer amo. Ex Noua Ciuitate Austriæ. V. Iulij. MCCCCXLIV.

FRANCISCVS PHILELPHVS VLADISLAO Hungariæ Regi, S.

EGO te, Rex Vladisslae, cum adire scribendo instituissem: non poteram equidem non subuereri; ne à quibusdam existimarer imprudentior: quippe qui dicturi viderentur, non esse mei, neque muneris, nec etiam dignitatis ad ea summum regem hortari, quæ vel inprimis regalem magnitudinem præ se ferunt. Nam qui ad decus & gloriam natus, altus, educatus, omnia supra hominem & mediteris, & moliaris, & facias: nunquam possis (vt opinor) vllis meis vel monitis vel adhortationibus, quasi equus Lydus in campum ad splendidissimæ laudis cursum vehementius incitari. Sed ego certè, neque te moneo admirabili prudentia principem, nec adhortator accedo; quandoquidem vltro pro diuina benignitate ad summi honoris calcem, qui humanæ felicitatis & testimonium est & præmium: vel eas, vel pervenias potius.

Quid enim per immortalem DEVM aut pulchrius ad humanæ, aut fructuosius ad divinæ gloriæ gradum tibi contingere potuisset: quam quod ipsa dies & DEVS obtulit præclaram de Turcis victoriam gente barbara & immani? Qui patriis relictis auitisque gurgustijs; vbi sese per omnem turpitudinis fœditatem dies noctesque polluerent; horrentibus illis Caucasi, vastisque rupibus, tam diu ac multum in vniuersum propè terrarum orbem sunt aduersus Christi nomen per omne ludibrium & contumeliam debacchati.

Quas

Quas enim ciuitates, quos populos, quas denique remotissimas nationes quisquam afferat, quæ Turcorum immanitatem obscœnaque flagitia, per omne scelerum omnium genus minus vel tulerint vel pertulerint? Obdormierat nescio quo pacto excelsum illud & inuictum robur virtusque Christiana, ac tantus terror vniversas mentes invaserat; vt etiam sine prælio vinceremur; & quidquid erubescendi hostis libidini aut furori collibuisset; non pati solum, sed perpeti quoque posse videremur. O temporum calamitas miserabilisque fortuna! Ad tantum miseriarum deuentum erat, vt ignobile illud atque agreste Turcorum vulgus ex humilimis pastoribus ac famelicis & fugitiuis Scytharum servis, longè lateque in populos Christianos & reges imperitarent: indiesque magis atque magis ita suum propagarent imperium; vt iam vix sexaginta milia passuum abessent ab Italia. Itaque non absurdè fortassis audacissimus iste & petulantissimus Amurathes iactare vino obrutus inter capacissima illa pocula consuevit, se templo sanctissimo Diui Petri propediem pro stabulo ganeaque vsurum. Considerabat enim Latro callidus ac pestifer: Christianos principes, qui & autoritate valerent, & viribus: mutuis inter se odijs atque discordijs laborare, contendere, digladiari; alios verò præter quæstum curare nihil; nonnullos ignauia corripi: negligentia plures detentos intercipi. Inter quas ille nostras calamitates iactabundus atque exultans; non desperabat breui futurum; quod secum ipse per omne facinus ac nequitiam animo volutasset. Sed noluit certè Dominus deserere tandem suum gregem efferatis rapacium luporum morsibus tam misere laniandum. Audiuit fideliũ fletus: vt clemens, misericors, benignus; non solum ærumnas levare, sed extrema omnino præstare, opem auxiliumque afferre dignatus est. Quare suos in te oculos coniecit: tua est præclara indole delectatus: dilexit probitatem vitæque sanctimoniam: te vnum delegit ex omnibus Christianis principibus; qui suum populum prostratum erigeres, sustineres, tuereris; qui impurissimos hostes suos trepidos tandem palantesque averteres, fugares, prosterneres, comprimeres, interimeres; qui in omnem posteritatẽ, per immortalem nominis splendorem, te omnibus gentibus admirandum redderes. Quæ quidem ipsa, Rex præstantissimę, cum mecum ipse cogitarem, viderenque maximis tuis laudatissimisque conatibus, tam tempestiuè, atque salutifere Christum Optimum Maximum prospexisse: non potui equidem pro mea erga te fide singularique observantia non gratulari vel tuæ, vel Christianæ felicitati: quo tuo ductu tuisque secundissimis auspicijs ea futura sit; cui non modò accidere aduersi nihil queat; sed cuncta potius affatim bona curriculo contingant. Mihi verò plurimum lætor: quem supernus omnium Imperator & conditor tuorum parentum regalibus illis ac sanctissimis nuptijs iccirco voluit interesse, quo te inde natum

tum ad communem Christianæ Reipublicæ libertatem ac decus, aut coram intueri; aut saltem & crebro & vno & eodem omnium sermone tuas res clarissimè gestas audire, atque gaudere aliquando liceret. Novit enim vel Iulianus iste innocens ac sanctus, vir iuuentutis huius Christi Apostolus (Sic enim iure apellare licet summum Pontificem Eugenium) qua tempestate Orator sum missus ab Imperatore Constantinopolitano Iohanne Palæologo, ad Romanorum Imperatorem Sigismundum; venisse etiam me invitatum ad nuptias.

Et quod incredibili e mea cum voluptate in mentem redit; id vidi per somnum prima illa nuptiarum nocte, quod nunc vigilans loquor. Videre enim videbar dormiens pulcherrimum quoddam astrum, Sole etiam ipso longè maius atque illustrius; quod cœlitus delapsum, in regiæ illius vestræ eminentiore culmine consedisset: vnde circumquaque emissis spédidioribus radijs; vbi altius sese luce mirabili sustulisset; incredibili celeritate, in Macedonicum primo, deinde in Mysum, Olympum, vniuersamque Asiam peruadere festinaret; ac tantum vndique fulgorem effundere; vt æquè Solem, atque ille Lunam, sua præsentia obscuraret: aliaque permulta videre sum visus: quæ curiosiore narratione persequi non licet. Sed q ad rem attinet: reuelasti profecto mihi tu, Rex florentissime, ingentibus tuis cœptis, splendidissimisque virtutibus meam omnem tam longinqui somni veritatem; docuistique haud frustra, somnia vel immitti, vel emitti. Nam seu diuino iussu quodam revelentur extrinsecus dormientibus nobis, quæ aliquando futura sunt: siue ea sit humani animi natura atque vis; vt tum maximè vigeat, sapiat, intelligat; cum sensibus corporis somno servientibus ac pene vinctis, seipse veluti solutus in libertatem vindicat; & tanquam per rariorem corporis nebulam illa quæque cernere iam incipit; quæ perspicua olim & luce omni lucidiora ei futura sunt. Quæ quidem res, si cui fortasse dubia sit; mihi sane nullo modo esse possit, cui re ipsa somnium iam omne aperitur.

Tu enim Rex Vladislae nuptialis illius astri imaginem repræsentas. Tu veluti cœlitus missus es; qui & Istro iam pro diuina commiseratione, & vniuersa Thracia Hellespontoq; superato, quam primum sis, per illustrem perditissimorum hostium cladem atque internecionem, in Mysiam illam Turcorumque Emporium eversum perventurus. Tu non diu post (vt spero) Ægyptijs, Syrijsq; oppressis, patefacies cunctis Christi fidelibus sanctam civitatem. Tu quasi novus aliquis Alexander ad Gangen vsque, vel ad illos potius vsque Gangaridas, quas Alexandro metui fuisse legimus, cum tua sempiterna gloria penetrabis. Nam quid ego te Alexandro comparem, qui omni virtute illo sis, & melior, & ingentior? Quanquam enim Alexander, cum primum cœpit arma movere, non in hostes & barbaros,

sed in amicos & Græcos eâdem ætatem ageret, qua nunc tu es (annos enim viginti natus erat) illum tamen vitia permulta comitabantur: te verò virtutes plures. Erat Alexander ebrius: Vladislaus sobrius: impudicus ille, tu pudicissimus, ac planè temperans. Agebat Alexander omnia temere; tu consulto omnia & prudenter. Vtebatur ille ad res gerendas audacia duce & iracundia; tu fortitudine & clementia. Præbebat ille sese vel in amicos iniustum: tu neque in tuos, neque in alienos quicquam vel agis, vel meditaris sine iustitia. Ille ingratitudini sæpenumero se fecit obnoxium: tu vnus omnium es gratissimus. Quòd si Alexander infinitis flagitijs atque sceleribus inquinatus, totam propè Asiam, nec multo quidem cum milite subiugavit: quid de tot tuis tantisque virtutibus sperandum fuerit; qui nulli, vel libidini, vel animi impotentiæ servias, sisque innocentissimus: præsertim cum ad florentem firmissimumque exercitum, Christum habeas tecum propugnatorem, atque vexilliferum.

Et quibus cum tibi pugnandum est? Num aduersus Gallos, aut Britannos? an aduersus præpotentes atque invictos Italiæ populos? Sane adversus Turcos; adversus pastores & fugitivos; qui nullo iusto Marte omnia per latrocinia furtaque moliuntur. Nihilo tamen minus barbara ista atque abiecta natio contemnenda omnino nõ est; sed curanda omnia diligenter. Nam (vt ait Poëta) *Et neglecta solent incendia sumere vires.* Id quod cum in alijs quamplurimis verum esse animaduertimus: tum in re Turcorum inprimis. Dum enim diutius isti contemnuntur, pro nihiloque habentur; Bosphorum vrbem ad Hellespontum, ipsius etiam Iustiniani Imperatoris temporibus, clandestinis latrocinijs, duce latronum Bochamo, ceperunt diruperuntq;. Et cum mox fugati sese intra Caucasi cautes recepissent, rursus Heraclio Imperante emerserunt in Persida: vnde Mahometum, proditorum omnium perditissimum atque nequissimum, cuius nunc impiam sectam ob nequitiarum illecebras maximè omniũ amplectuntur, latrocinantem illum, eisdem latrones artibus turpiter expulerunt: indeq; factum est vt sensim atq; paulatim progredientes, dum neminem perinde atq; cõtempti repugnantem offendunt: in intimis Hadriatici sinus regionibus consederint: latè omnia longeq; turbantes, prædantes, populantes. Vsque adeò Christianorum principum virtus obdormierat, elanguerat, contabuerat. Itaq; diuina quadam providentia factum reor, vt in tantis humanarũ mentium tenebris ipse in lucem veneris ad salutem & lucem Christianorũ. Quare perge, vt facis, Vladislae Rex fortissime; vtere tanto & tam grandi bono: quod tibi cœlum ostendit & sydera. Permulta iam de Turcis in hanc diem splendidissimaque trophæa statuisti: iam tota metuit te Barbaria, atq; contremiscit. Quicquid habebant aut roboris aut spei impurissimi hostes

omnes

omnes nominis Christiani: id omne in latrocinijs insidijsq; Turcorũ collocarãt. Horũ autem tot milibus ꝑ tot tãq; diversa prælia abs te nuper interẽptis quid reliquum siue viriũ siue fiduciæ sit, aut Turcis, aut cæteris infidelibus; quem latere possit, esse certè arbitror neminem. Mirum profectò est quantam de tua animi magnitudine inauditaq; constantia, apud Christianos omnes & spem & fiduciam concitaueris! Iam de trophæis, quæ vocant, nullus sermo, nulla mentio est. Extremum illum optatumque triumphum quotidie omnes expectant; per quem liceat cunctis impunè ac securè, non Ægyptum & Palestinam solum, verum etiam visere locos omnes ac gentes, ad quas olim vox Euangelica pervenerit. Itaque vniuersi populi, regesque Christiani, ꝓ tua incolumitate atq; victoria Deũ orãt: & vnus omniũ maximè Christianissimũ princeps meus Philippus Maria Anglus, qui te dignitatis & amplitudinis gradu, non secus profectò, quam patrẽ, & colit & veneratur: sed amoris charitatisque affectu, æquè atque filium, charum habet & periucundum. Qua hunc voluptate affici existimas, quoties audit suis de te optatis respondere fortunam? Ita mediusfidius delectatur ac gestit rebus tuis omnibus prospere gestis: vt nihil apud eum lætius increbescere posse putem. Te regum sydus appellat: te Christianæ Reipublicæ propugnaculum nominat: te Christi vocat & vltorem & lumen. Quot quotidie pro te preces ad DEVM ipse habet! quam assiduis supplicationibus, illisque pientissimis, pro te vno, huius principis iussu, templa omnia celebrant! Quãobrem cum & DEO te, Rex Vladislae, intelligas hominibusque charissimum: cum in te vno Christianorum omnium salutem constitutam esse animaduertas: tuum fuerit, vt quarum rerum labores ac discrimina maxima cum ingenti tua laude suscepisti: earum pulcherrimam palmam expectatumque triumphum ne derelinquas. Quin age adiutore atque duce Christo Iesu, inuade impiam illam teterrimamque barbariem: tibique persuade, non minorem tibi operam dandam esse: vt ratio tua pugnandi omnis cum diuina voluntate conveniat: quam vt exercitus omnis tuus & ordinem obseruet, & modum. Nam cœlestem opem frustra fieri videmus: quam humana actio aspernetur. Itaque non modo, vt vincas, tibi considerandum est, sed & quomodo vincas: cum is eventus maximè sit in laude, quem optima consultatio antecesserit. Non. IXBR. anno M. CCCCXLIV.

ÆNEAS SYLVIVS POETA IMPERIALISQVE SECRETArius, Philippo Mariæ Anglo, Duci Mediolanensi, Papiæ Anglariæque Comiti, ac Ianuæ Domino.

QVindecim aut eo plures sunt dies: quibus huc fama delata est, Vladislaum Poloniæ Regem, qui regnum Vngariæ occupauit, Ladislao paterno ac avito regno spoliato, in bello cum toto exercitu prostratum

esse. Sed cum mille venirent literæ, nullusque certus auctor haberetur: ficta res credita est: nec multò post ex Vngaria scriptum est, Regem Poloniæ superatis conflictisque Turcis victorem reverti: eratque non parua trepidatio: ne, sicut est victoria sui natura insolens & superba, Rex idem cum Vngaris advers⁹ Austriā & Stiriam castra moveret: iamq; vir magni nominis Dionysius Archiepiscopus Strigoniensis, & alij, qui Ladislai regis partibus favent, auxilia Romanorum regis efflagitabant. Studuerant enim qui Regem Poloniæ apud Vngaros manutenebant, conflictum eius tegere: siue quod redimiti ex bello Regi quamvis fugato consulere volebāt: siue quod statum suum eo melius interim putabant posse dirigere. Verum nihil est mendacio instabilius, nihil veritate constantius. Advenerunt enim hodie (mirabile dictu) ex diversissimis remotissimisque regionibus vna in hora diversi nuncij: non tamen diversa sed eadem nova portantes. Scripsit illustris Ciliæ Comes: scripserunt ex partibus Transsylvaniæ, alij, & rursus alij ex Vngaria Barones Regiæ Maiestati novitates istas: quæ licet Christiano populo lugubres sint, & admodum nocivæ; non tamen ideo taceri debent: sed tanto diligentius inter Christicolas divulgari: quanto Catholicæ fidei maius imminet periculum: nisi religiosissimi Principes in vnum convenientes, de medio resistendi sanctæ crucis inimicis & hostibus cogitaverint. Nova igitur ista sunt. Aiunt omnes nuncij vno ore, Regem Poloniæ cum Cardinale S. Angeli multisque Vngaris & pluribus VValachis & Bulgaris atque Ruthenis in Romaniam vsque profectos, tot bellando successus habuisse: vt non longè ab Adrianopoli castra posuerit. Quod priusquam Turcarum Imperator accepit: collecto in Asia exercitu XL. millia pugnatorum, mare traiecit. Classis namque in Hellespontum, ad prohibendum ex Asia in Europam transitum, hac æstate præterita missa (vt isti referunt) iam retro cesserat: patronis eius pecunia & Asiatica gaza corruptis. Quod mihi non est verisimile: nec persuaderi mihi poterit, tanta illos perfidia vsos fuisse: vt Christianum sanguinem Mahumetis auro vendiderint. Illud autem credibilius est, deficiente commeatu, classem vlterius non potuisse procedere: sicut iam suis literis timere se Iulianus Cardinalis significaverat. Vtcunque sit, liberum mare Turcis patuit: qui transeuntes in Græciam, iunctique suis cis mare manentibus, cum magno exercitu Christianos aggressi sunt. Nec vero nostri detrectavere certamen: sed in ipsa S. Martini festiuitate bellum commissum est: quod tam atrox & asperum fuit: vt raro inter mortales tale fuisse putetur. Diu prælium anceps extitit: diu viribus vtrinque paribus est pugnatum: atque dum nostri pro Christo, illi pro Mahumeto contendunt; tam acres vtriusque partis animi fuerunt: vt cæsis inter vtrunque exercitum circiter XV. millibus hominum cum pugna par esset, adhuc cessare noluerint. Sed quo plus sangui-

nis fundebatur, eo ferociores vtrinque acies turmęque præliabantur: defecerunt tamen vtrisque vires: fessisque brachijs, nec versari gladios amplius, nec artus tendere valebant. Quæ res quiescere ambas partes ad magnam horam coëgit: donec resumptis viribus ac spiritibus redeuntibus instauratum est prælium: in quo vicit ad extremum Turcarum exercitus: siue virtus fuerit, siue fatum: sive quod numero plures erant. Affirmant, qui ex bello fugerunt: patrum nostrorum memoria, nullum tota in Europa tam cruentum bellum esse commissum: nec pauciores ex Turcis, quam ex Christianis, cecidisse. Et rumor est, LXXX. millia virorum in hac pugna esse cæsa. De rege Poloniæ incerta vox est: quidam occubuisse eum ferunt: quidam captum putant: illud tamen inter omnes constat, Regem Poloniæ ad Vngaros non esse reversum: nec desunt, qui eum in facie vulnus suscepisse inter præliandum asserant. Quo fit, vt adolescenti tam nobili, tantique animi, admodum condolendum sit: qui non suo iudicio (Non enim propter ætatem aliena regna cupiebat) sed suorum suasu, ex pacifico regno in alienum, non ad pacem, sed ad bellum: non ad opes possidendas, sed ad mortem vel captivitatem est tractus. Murmur etiam est, in hoc prælio virum nostri temporis tum eloquentissimum, tum prudentissimum Iulianum Cardinalem S. Angeli cecidisse: ac nobilissimum illum spiritum suum, ad omnia, quæcunque ageret, divinitus aptum, exhalasse. Quidam astruunt, eum cum Ioanne Vayvoda Transylvano cæteroquin animosissimo cum paucis evasisse: quod magis optaverim: sed mors ipsius mihi probabilior est: quia non fuit in bello fortunatus.

Nam & adversus Boëmos cum exercitu profectus, fugatus est: nisi forsitan & idem ei nunc accidisse arbitremur. Sed assuevit fortuna, quos vno ex bello fugatos fecit, in alio interemptos reddere. Quæcunque sors eius fuerit, non puto male actum cum eo, qui pro Christi fide pugnauit: in qua si mortuus est, vt isti ferunt, nulli dubium esse debet, quin ad eum transierit, cuius causam tutabatur. Occisi cum eo sunt Agriensis & Matidiensis Episcopi, Stephanus de Vader, Ioannes de Lasimet, Nicolaus de Petin, Henricus de Thamasi, multique alij Barones: quorum nomina nondum sunt transcripta. Plures in hoc prælio illustres animæ vel in cœlum, vel ad inferos transierunt. Insignis est hic annus multis cladibus. nam & Suitenses apud Basileam cæsi sunt: & Delphinus complures Alemaniæ civitates occupavit: & rex Franciæ Tullum Verdunumque cepit. Nicolaus Pinicinus vita functus est: & alij complures magni viri mortui sunt: qui vestræ illustri dominationi, quam mihi, sunt notiores. Vngari iam incipiunt Ladislaum regem recipere: res nova est & recens: nec magis explicanda, quam tradita sit. De cæteris alias. Ex Nova ciuitate, XIII. Decembris. MCDXLIV.

ÆNEAS SYLVIVS SENENSIS LEONHARDO *Episcopo Patauiensi.*

POsteaquam Fridericus Imperator ex Rheni partibus, accepto diademate, salvus & incolumis in Austriam reuersus esset: Iulianus Cardinalis S. Angeli, vir & ingenij & animi dotibus singularis: qui tunc Apostolicę sedis legatus, pacem in regno componere, ac exercitū contra Turcas excitare iussus erat: Maiestatē Cæsareā apud Viennā convenit: quē secuti sunt Episcopus Vvariesis, & Decanus Cracoviensis, Regis Poloniæ Oratores: alter humilitate præcipua, alter fastu maximo memorabilis, hortatiq; Cæsarem sunt, vt & cūtra Turcas auxilia mitteret: & vt de pace cū Rege Poloniæ, quē Regem Vngariæ vocabant, conveniret. Sed quia nec leges pacis offerebantur, quę Ladislao regi condūcerent: nec tutum erat id bellum iuvare, in quo Rex Poloniæ principatum teneret: qui post triumphum (sicut insolentes homines facit victoria) adversus Austriam signa verteret: infectis rebus Iulianus & collegæ dimissi sunt. Factæ fuerunt tamen paulò post ad bienniū induciæ: quibus cautum est, nec partibus Ladislai regis per Vladislaum suosq; dari nocumentum: nec rursus turbari debere eos, qui Polonum sequerentur: si quis violator fœderis esset, hunc ambæ partes compescerent. Rex autem Poloniæ, Iuliani suasu, & instigatione regnicolarum, cum exercitu in Turcas traijcit: cumque ad flumen venisset, quod Morauā, incolæ vocāt, auditū est in propinquo exercitum hostiū delitescere. Itū est igitur in prælium, ac cū Bassa cōflictatum: quo victo, duo millia hominū cæsa sunt: quatuor millia capta: inter quos ductores tredecim fuere: signa militaria novē. Sic.n. Iulianus suis literis Cæsari, qui tūc in Carinthia fuit, significavit. Quāvis Vladislaus more Polonorū, qui de magnis maiora loquūtur, XXX. millia hominuū cecidisse, suis epistolis annotaverit. Tūc quoq; Sophia, vrbs Bulgarorum, & nonnulla oppida ac castella hostiū in deditionē recepta sunt. Exinde cū fame laboraret exercitus: nec angustias Romaniæ trāsire liceret (nā Turco milite custodiebantur) dimissis copijs Budam reventū est: quam Vladislaus, cū magna totius populi lætitia, quasi triumphator intravit. Sed hui' victoriæ, præter auspiciū, nihil ad eum pertinuit. Nam solus Ioannes Vaivoda Transylvanus, rei militaris expertissimus, tum decē millibus expeditorum militum hoc bellum confecit. Fracti hac pugna Turci (nā & in Asia confligere cogebantur) inducias petunt: quas traditis quibusdā arcibus iureiurando firmatas obtinuerunt. Sed audito paulò post classis adventu, quam Pontifex Max. Eugenius ac Philippus Burgundiorū Dux in Hellespontum transmiserat: tanquam ex Asia in Europam transire Turcos prohibitura foret: elati prioris victoriæ successibus Vngari: suadenteque Iuliano: qui treugas nullius momenti fore dicebat, iniussu Sedis Apostolicæ cum hostibus Christiani nominis factas: pacem ruperunt: collectoq; grandi exercitu, terras hostium ingrediuntur: vastantesque ferro & igne, quæcunq;

cunque obviam fiunt, non longe ab Adrianopoli castra locāt. Quib' cognitis, & ipse magnus Turcus ingentes copias congregavit: ac, si vera est fama, centum millia virorũ exercitũ conflavit: traiectoq; mari (vt quidā volunt) circa Bosphorum Thraciæ, non sine magna Ianuensiũ infamia, in Europā venit, nam & quædā Ianuensium naves præbuisse transitum illis referebātur: cuius tamē veri periculum in me non recipio: nec mihi persuasum est, tanta quenquā avaritia fore: vt Christianum sanguinem pecunia vendat: nisi quem Diabolus in modum Iudæ sibi subiecerit. Aduentus Turcorum tā subitus fuit: vt prius venisse visi sint hostes, quam auditi venire. Vbi ergò in cōspectu fuere: visaq; multitudo est pugnatorũ longè maior quā putaretur, ingens terror Christianos invasit: vt fit, quando ex inopinato pugnandum est: non tamen detrectavere certamen Vngari: nec Regio sanguini defuit animus: sed structis ordinibus aciem educunt: cōmittiturq; durum & atrox prælium: ac dum nostri pro fide, & illi pro perfidia pugnant: tantũ sanguinis vtrinque effunditur: vt in modũ lacus campi stagnarent. Diu certatũ est æquis viribus: dum Christiani suas acies virtute sustentant: Turci vero numero supplent. Cũq; per plures horas nunc illi, nũc isti cederent: ad extremũ inclinata Christianorũ acie victores evadunt Turci: iuramētaq; nō solum domesticis fidei, sed ēt hostibus servanda, exēplo demonstrant. In hoc prælio clarus adolescēs, aut captus est, aut occisus Rex Poloniæ Vladislaus, nec.n. adhuc æquata est notitia veritati: Pœnas tamē certum est eum dedisse vsurpati alieni regni: qui dum spoliare paterno regno Ladislaũ quærit, suũ amittit. Cæca est nimirum cupiditas hominum: qui nō cōtenti civitatibus dominari, pvincias quærunt post regnum: nec sic expleti, ēt regnis regna cumulare nituntur: nesciētes, quia parva res est, quæ vitā eripit homini: & omnib' pōpis ac dominijs nudũ in momēto reddit: corpuscula nostra, vbi spirit' evolauit, modico sarcophago cōtētātur: & tā læta sunt inter aurũ gēmasq; recōdita: quā inter feces hominũ ferarũq; collocata. Quod si Vladisla' animadvertisset: quietus in regno suo (nā satis diuitiarũ possidebat) nũquā Vngariā attigisset. Sed secuti sunt eum Varadiēsis & Agriēsis Episcopi: qui regnũ in diuisionem adduxerāt: pluresq; alij proceres dominiq; potētes qui dũ incōsulti', q̃ audaciter, præliātur, hostiũ gladijs occubuerunt. Cæsa vtrinq; circiter XL. millia referuntur. Nā & cruēta lugubrisq; victoria hostib' fuit: qui vt erāt nu. plures, sic ēt ex eis plures ceciderũt. Iulian' Cardin. in bello vulnerat' est: ac, dũ fugit, amisso sanguine deficiēs, apud paludem quādā impijs Vngarorũ manibus, nō ex volũtate nobilitatis, sed ex furore plebis occisus est: clarũq; illũ emisit spiritũ: qui quōdā suavi oratione generale Cōciliũ cũctosq; Basileæ cōgregatos ex arbitrio suo gubernauit. Paucissimi ex tanto exercitu superfuerunt. Quidam namque vt invictæ virtutis illos sciebant: sic & immortales esse rebantur. Quæ res per plures menses absq; novitate regnum suspendit.

Lauren-

Laurentius Palatinus Vngariæ, acri vir ingenio, novas indies literas confingebat: quibus populi mentes pasceret: nunc Vladislaum in Polonia sospitem esse: nunc intra dies paucos venturum asserens. At vbi demum comperta mendacia auctori abrogarunt fidem (sic enim plectitur mendax, vt, dum credi sibi falsa vult, etiam in veris repellatur) conventum regni Budæ habere placuit. Illic Prælati Baronesque regni convenientes, vnanimi voto Ladislaum, Alberti filium, in regem eligunt: vicarios regni ordinant: decreta pro communi pace faciunt: & Oratores nominant, qui ad Cæsarem petituri puerum destinentur. Placet tamen in Poloniam mitti, investigarique Regem: ac certo tempore notitiam expectari. Nuncius in Poloniam missus, matrem Regis allocutus, nihil certi reperit. Labitur expectationis terminus. Tunc Oratores iter arripiunt: & Ladislaum sibi ad Albam Regulem cum sancta corona Regem assignandum à Cæsare petunt. Responsum est à Cæsare, eum qui coronatus sit, non amplius coronandum esse: Ladislao & paterno, & avito, & materno iure regnum Vngariæ deberi : bene tamen fecisse Vngaros : qui verum suum hæredem, non alium, elegerint. Cæterum ex Vngaria post hæc perscriptum est, Ioannem Vayvodam Transyluanum adversus Turcos dimicasse: & quamvis felici bello quædam castella prius obtinuisset, ad extremum tamen mutata fortuna, quæ nulli perpetuo bona est, ingentem gloriam, quam superioribus annis adeptus pugnando fuerat, victum occisumque maculasse: veritas tamen rei adhuc in obscuro est. Classis Eugeniana, quam in Ponto fuisse diximus, per Istrum contra fluminis impetum navigando, Christianis, dum hæc fiebant, opitulabatur: nunc quid rerum agat, incertum est. In Boemia per eos, qui parum fidei habent, novæ res parantur: quæ nisi præpediantur in earum ortu, posteaquam creverint, difficilè emendari poterunt. Malum cum nascitur, cumque recens est, absque negotio raditur: cum adultum est, difficilè extinguitur. In Italia contra Franciscum Comitem Eugenius armis Regis Aragonum pugnat, estque superior: sed omnis eventus belli dubius est: sæpe qui victus videtur, victor exsurgit: nemo vere vicit, nisi qui domum reversus, sibi subditisque suis pacem fecit. Bononienses post occisionem Hannibalis Bentivoli & Baptistæ obsidione cincti sunt: Veneti & Florentini eos iuvant. Si Cæsar cum aliquo exercitu Italiam peteret: omnium harum rerum moderator existeret: sed non sapiunt hæc nobis: nec nos alijs sapimus. Vt homines imperare sciunt, sic subditos habent obedientes. Nisi vos Germani ad quos imperiũ translatum est, maiorem Reipub. curam habueritis: metuo, ne dives illa & insignis Italorum tellus, quæ quondam imperij caput fuit, & adhuc sub imperio se fore fatetur, in alias deducta manus, & nomen mutet, & iugum. Sed de his satis multa hactenus; de cæteris alias, Vale.

ÆNEAS

ÆNEAS SYLVIVS SENENSIS SBIGNEO EPISCOPO GRACOviensi, S. Rom. Ecclesiæ Cardinali electo.

MVltæ hactenus simultates, Reverendissime Pater, multa odia & apertà bella fuerunt inter Austriam & Poloniam: quæ res & Austriæ dominio nocuerunt; & Poloniæ non profuerunt. Iam profecto tempus esset his dissidijs finem imponi: & aliquando in amicitiam gratiamque reverti. Nam quid peius est, quam regnum adversus regna insurgere, & regium sanguinem insidiari regio sanguini? Cumque vsus habeat, Reges inter se fratres vocari, quid absurdius est, quam fratrem insectari fratrem: & civile bellum struere, ac parricidium meditari? Facta sunt hæc iamdudum, sed cum damno ambarum partium.

Itaque iam tempus esset, vt admonitæ cladium suarum partes inimicitijs modum imponerent. Sed ista moveri nequeunt, nisi magni viri manum apponant: Equidem dum hæc animo revolvo, non possum arbitrari, quis alius sit inveniendus huic rei idoneus, quam vestra Reverenda Paternitas. Itaque loquor aperte, dicamque quid sentiam. Duæ sunt viæ, quibus finiri dissidia inter Austriam Poloniamque possunt: Vna est, si vel Austriam Poloni deleant, ferroque sibi subijciant: vel econtra si Poloniam bello superent Australes. Altera est, si reditum fuerit in gratiam, & vtrinq; renovata sit amicitia. Prior via admodum difficilis est: & licet in ea multis iam annis elaboratum sit: adhuc tamen & Australes suum, & Poloni suum imperium tenent, & alter alterius insidias conatusque timet. Nec video, quo pacto ævo nostro altera pars alteram possit exterminare: quia vtrinque magnæ sunt vires, & multum sanguinis effundendum esset, multaque hominum centena millia neci danda, multæ civitates delendæ, multi agri cremandi, & infinita mala facienda essent, antequā vna partium in potestatem alterius veniret. At via concordiæ vt salubrior est, sic etiā facilior. Quæritur qui modi concordiæ sint? Nempe facilius beneficio, quam gladio, vincitur inimicus. Non iniuriæ alliciendæ sunt iniurijs: neque mala malis cumulanda: sed purganda primò contumacia est: post damna resarcienda: exinde beneficia subiungenda. Qui hoc egerit: is iam non inimicum sibi placabit solum: sed reconciliabit incorporabitque sibi: & socium ex adversario, amicum ex inimico, fratrem ex hoste faciet. In hac igitur re videndum est, vnde prior iniuria properet: & illinc medela veniat, vnde vulnus illatum est. Non enim qui fert, sed qui infert iniuriam, emendare debet. Hic ergo videndum est, quo pacto invicem conveniamus, ne dum ego læsos Australes audeo contendere, vestra R.P. inficietur. Libet igitur mihi scribere, quid sentiam: vt corrigatis, si falsum fuerit. Loquor ingenue, clare, apertè, vt inter amicos fieri debet: non vt regno vestro, quod est nobilissimum, detraham, sed vt eo melius inveniri caussa possit, quo vulnera

N magis

magis detecta fuerint. Vestra vero Reverenda Paternitas libertati meæ veniam dabit, si quid est quod offendat: quæ in bonum loquor. Nolo altius exordiri: sed rei principium Gulielmus Dux Austriæ dabit. Huic filia Regis Ludovici, qui Vngariam Poloniamque possidebat, in matrimonium coniuncta fuit, regnumque Poloniæ in dotem datum: nec diu post Poloni nulla iniuria lacessiti, nisi quod imperium Teutonicorum ferre nolebant, Gulielmum regno expulerunt: & non solum regnum, sed nuptam quoque sibi abstulerunt.

Nec contenti, hoc abominandum aggressi facinus, memoriaque nostra inauditum scelus adorsi; Reginam, quæ alteri nupserat, novo Regi coniunxere: quamvis illa prioris mariti memor, nunquam volens, novo nupto coniacuerit. In hoc non solum læsi sunt Australes, regnoque privati quod ex dote veniebat: sed in honore quoque vexati: dum nupta eorum in concubinatu tenetur. Post hæc, tanquam parum fuisset Gulielmum abiecisse; cum Albertus Dux Austriæ, Bohemiæque & Vngariæ Rex & Imperator Romanorum, Sigismundi regnum, quod sibi atque vxori in Bohemia obvenerat, armis vendicaret: Poloni patrocinium Taboritarum & sequacium susceperunt: iunctique ipsis, Alberto bellum intulerunt. Et quamvis præsidium illorum induerint: magno tamen se crimine polluerunt: dum adversus iustitiam auxilia talibus præbuerunt. Polonorum ergo opera factum est, vt regnum suum Albertus consequi totum non potuerit; neque compesci Taboritarum furor: qui ob tutelam Polonorum vsque in hanc diem in pertinacia manent. Aliquando verò, aut iam reducti essent, aut exterminati: quamvis & antea Sigismundo imperante cum Bohemis, nondum Ecclesiæ vnitis, fœdus per vestros Bohemos percussum fuerit: missusque contra Sigismundum verum Bohemiæ Regem alter Sigismundus Coributi. In qua re non solum Austriæ nocumenta illata sunt, quæ Sigismundo successura noscebatur: sed auctoritas quoque Ecclesiæ, & ipsa fides Catholica læsa est, totaque Respublica Christianorum. Parcite sic loquenti, sic .n. exponi res debet, vt gesta est; mihique sic relatum est. Post hæc cum iam de medio sublatus esset Albertus: in eius filium grassati sunt debacchatique vestri Poloni.

Nam licet Elisabetha Regina filium Ladislaum ex Alberto peperisset; ac, vti moris est, diademate apud Albam Regalem decorasset: Poloni vestri per quosdam Vngaros incitati, rursus nova bella suscitarunt: mittentesque Vladislaum Regem suum, admodum iuvenem & innocentem, regnum Vngariæ vsurpare conati sunt: cuius magnam partem invaserunt; veri Regis, infantis, pupilli, & orphani iuribus insultantes: nescientes tamen, quod dum alienum regnum quærunt, suum negligunt, ac gentibus & pecunia exhauriunt.

Hinc

Hinc secutum est, quod dum regno Vngariæ volunt diutius potiri, adolescentem regem contra Turcos armant: quamvis fœdera essent induciarum iuramento firmata. Itur ad bellum: committitur prælium: ibi seu captus est, seu occisus Vladislaus; pœnasque non sui criminis (nam ipse per ætatem non erat accusandus) sed suorum consiliariorum delicti pœnas dat. Sic nobilissimus iuvenis; regalisque sanguis, in plus mali incidit ex suorum suasu: quam Australes sibi vnquam optaverint. Sic res actæ sunt, nisi fallor. Quapropter non Australes, sed Poloni potius factum suum emendare debent. Quæritur forsitan, quæ possit menda reperiri? Nam tot illata sunt per Polonos Australibus damna: vt nec ipsa Polonia recompensare queat. Ita est. Nam & Bohemiam & Vngariam vsque in hanc diem adipisci Australes non poterant propter impedimenta Polonorum: imò & ipsa Polonia privati sunt iniuria. Quid igitur fiet? nempe sat erit Australibus, si finis tandem nocendi fiat. Quantum sentio, quantum sapio, quantum viri huius curiæ magni me instruunt; non petunt Australes magnum aliquid ex Polonis, sed vt nocere desinant.

Sic enim redintegrari benevolentia sepositis posset odijs. At hoc Reverenda Paternitas non minus Poloniæ conduceret, quam Austriæ. Scio, quia ex vetustis bellis parum lucri Polonia sensit. Namque nec ex Vngaria, nec ex Bohemia quicquam auri vel argenti in Poloniam delatum est: sed ipsa Polonia vltrò & pecuniam & homines (sunt enim thesauro nobiliores) transmisit: & in Vngaria nuper suum Regem perdidit.

Accepi præterea introitus regni vestri pro maiori parte impignoratos esse: in tantumque commune ærarium defecisse: vt vix reperiri possit, qui regnum vestrum suscipere velit: tantaque nunc rerum mutatio facta est: vt qui regnis alijs dare Reges volebatis: iam non facilè possit inveniri, qui rex inter vos esse cupiat. Essent igitur ista consideranda: quia non sunt absque iudicio Dei: qui superbis resistit, & humiles extollit. Quod si vestri Poloni, antiquis odijs posthabitis, salutem sui regni solummodo quærerent: die noctuque cogitarent, quo pacto in Australium amicitiam fraternitatemque reverterentur: eaque sibi via non minus, quam Austriæ, consulerent. Scriberent Bohemis vt suum Regem peterent, illique soli servirent Ladislao, Alberti filio. Scriberent Vngaris, ne amplius cum Australibus dissentirent: sed Regem suum repeterent, qui ius habet successionis: nec de Vladislao curarent, qui vel mortuus est; vel, si vivit, satis habeat in Polonia, vbi regnare possit.

Exinde significarent Regi Romanorum, se hactenus in Bohemia & Vngaria restitisse Australibus, non odij causa; sed vt suo regno consulerent: nunc verò intueri se, quia non bene fecerunt: velleque factum corrigere præstando auxilia, si opus sit, quibus Ladislaus & Vngariam possit & Bohemiam vendicare. Sic posset optima pax inveniri: sic regnum vestrum tutissimum redderetur: quia ex his artibus extinguitur furor; ira vincitur; inimici placantur; & hostes redduntur amici. Hæc dixi latius fortasse, quam expediret apud V.R.P. quæ omnia melius novit.

Cæterum non ambigo, quin pro defensione vestri iuris vestrique honoris multa possitis dicere. Hæc quæ facta dixi, non tanquam interfuerim retuli, sed tanquam audita recensui. Vestra insignis & reverenda paternitas scit, quomodo res se habeat: vtcunque sit, certum est illud, regna melius defendi benevolentia & amore, quam viribus. Mihi consultum videtur, cum Poloni aliquando cum Australibus amici potius esse velint, quam inimici: quia vbi est odium, ibi metus est: vbi metus, nulla tranquillitas, nullaque pax esse potest: sine pace verò nullius regni status potest esse diuturnus. Nunc ergo tempus est, vt super his habeatur cogitatio. Verum nisi V.R.P. ista curet: qui alius mentem adhibeat, scio neminem. Vestrum est igitur hæc aggredi: tum pro salute communi; quia non possunt hæ duæ domus sine damno totius Christianitatis invicem dissidere: tum propter pacem & bonum regni vestri, tum denique propter augmentum nominis famæque vestræ, quæ me prius ad scribendum impulit: potissimè autem, vt ex hoc magis ac magis auctori pacis placeatis, dum pacis studio intenditis. Plura possem dicere, sed essent incassum omnia apud vestram Dominationem: quæ peritissima est. Ego me recommendatum do illi, cupientem sibi in aliqua re morem gerere. Novi quid hic sit, non est scribendum: quia incertum est: multa dicuntur sine auctoritate veraci. Vngari hic sunt, & tractant de regno cum Maiestate Imperiali, nomine Ladislai Regis, Bohemi quoque conventum brevi sunt habituri. Res infeliciter diriguntur: nec ad Ladislai & Cæsaris statum & gloriam. Valeat optimè V. R.P. cui me humiliter facio commendatum. Ex Vienna.

IO. ANTONIVS CAMPANVS CARdinali Papiensi.

Literas tuas, quæ scriptæ fuerunt Eugubij ad IV. KL. Aprilis, Ratisponæ accepi pridie KL. Iunias. Legit eas non minus iucundè Legatus, cuius mentionem faciebas: quam ego, cui dirigebantur. Memoria tui apud me ita residet: vt tamen sæpe inter tot negocia subdormiat, nunquam moriatur. Accelerabimus reditum: vt, quantum in nobis erit, brevi absolvamur. Discessum ex vrbe duodevigesima Martij: ingressi sumus Ratisponam

tisponam KL. Maijs. tribus & XL. diebus in itinere consumptis. Substitimus diem vnum Viterbij: triduum Senæ: Florentiæ, Bononiæ, Mantuæ singulos: Veronæ, Tridenti, Bolsani binos: ad pontem Oeni cum Sigismundo Duce Austriæ triduum: ad Landshutum cum Ludovico duce Bavarorum biduum: vtique supra vsitatam magnificentiam excepti. Ratisponæ solos invenimus Oratores Allobrogum: qui hodie Sabaudienses appellantur.

Convenerunt post diem tertium Moguntinus & Marchio Brandenburgensis: vterque maximus in Germania princeps: & quibus ius sit cum quatuor Cæsaris eligendi. Moguntinus vir ingenij mansueti, & qui neque aspectu, neque mansuetudine Germanum præ se ferat. Marchio vir acer, eloquens, vafer: & quem vulpem Germaniæ vocant: bellicosissimus & pugnacissimus omnium, qui in Germania laudantur (Pius Achillem appellavit) cicatricibus totus in manibus, pedibus, vultu, collo excavatus: sæpe singulari certamine dimicavit: quo genere pugnæ nunquam victus est: prælio semel à Ludovico Bauaro eius consobrino. Oratores Burgundorum cum eo venere ad viros triginta: civitates Germanorum ferè omnes, Duces multi misere Legatos. Imperatorem circa Pentecosten exspectamus: si venerit, aderit & principum magna frequentia: etiam eorum qui legatos præmisere. In adventu illius tota spes est: absente eo referri de nullis, deliberari nihil aut exiguum poterit. Scribam tibi ordine, quæcunque in conventu peragentur. Vale.

EIDEM.

Vivimus, si modo vita est aliqua, vivere extra Italiã. Cæsarem iam prope mẽsem exspectamus: Moram hoc levat, quod scribit se venturum. Moguntinus, & Marchio Brandẽburgensis, & alij quidam nobiscum sunt; at Cæsarem præstolamur. Trevirensis & Spirensis sunt in itinere. Res omnis in Cæsare sita est: nisi venerit, necquicquam laborabitur. Eum Principes omnes intuentur: convenientque omnes, si ipse aderit. Dico ego tecum quod sentio, fieri omnia posse in salutem Christianam, si Cæsar volet; nihil, si tergiversabitur. Factiosa Germania est: amici eum facilimè consequuntur cæteri: quod magnum est in hac gente Cæsaris nomen: & multa potest præstare: cupiunt reconciliari, & rei communi adesse. Boëmicæ dissident: vtinam non ad cæteram felicitatem Turci hæc quoque accedat; quod est Boëmia vires & Hungaras & Germanas ad se pertractura omnes: quod si acciderit, perijmus funditus. Vale.

EIDEM.

Miraris, quod pauca de rebus Germanicis scribam, præsertim quæ in conventu nostro aguntur. Sed persuade tibi, aut exiguum, aut nihil

esse quod agitur: multa & magna, quæ cogitantur, omnia pendent in adventu Cæsaris: frequentia Principum atque Oratorum, indies fit maior. Sed pars maxima aut domi adhuc manent, aut cognita mora Cæsaris in itinere substiterunt: omnes tamen vbi de Cæsare intellexerint, venturi existimantur. Ego legatum non desero: dignitatem vestram, id est, sedis Apostolicæ, inter surdos eloquentia tueor. Fama increbuit Cæsarem iam soluisse, & per Danubium adnavigare: hoc exploratum ad verum nondum est: multi terra cum equitatu venturum arbitrantur. Magna est eius auctoritas in provincia vndique factiosa: verum ita magna tamen, vt multum vmbræ, non tantum corporis habeat. Si quæris sententiam meam: illud sentio, magnam spem propositam esse nobis, si Cæsar instabit: exiguam, si lentescet: nullam, si tergiuersabitur. Boemia tripartita est omnis. Alij cupiunt Polonum, magna pollicentem præsidia, ad hunc diem nulla præstantem: Ii sunt hæretici quidam: sperãt impunè se victuros sub eo rege; in cuius regno infinitæ propè sunt hæreses. Catholici Hungarum, cui iusiurandum præstiterunt, magna ex parte sequuntur. Promiscuè vtrinque multi, & Catholici, & hæretici, Albertum Saxonem amplectuntur: Germani ad hunc inclinant omnes; & metu Hungari: & quod ferè omnes intima affinitate iunguntur: quanquam hactenus multum consilij, nihil auxilij misere: nec dubium si conijcere de mente Pontificis possent, quin auxilia vndique subministrarent. Vale.

EIDEM.

CVm scribat Legatus ad te quotidie: supervacuum esset, aliquid per me significari tibi de rebus Germanicis: & literæ ad casum cõmittuntur. Hoc vnum velim scias, Legatum nihil facere, nihil cogitare aliud, quam quo pacto & honorem sedis Apostolicæ, & gratiam inter principes augeat. Ego quoque etsi idem facere cupio: tamen eo sum in loco: vt neque intelligam quenquam, neque intelligar. Si Cæsar veniet, quemadmodum speramus: fortassis vtilis fuerit opera nostra: alioquin & operam perdidimus, & impensam. Nam, nisi is venerit, exigua erit hęc dieta: Principes ægrè & pauci convenient: omnes Cæsarem intuentur: & quia periculum factum est sæpe: non videntur se moturi; nisi prius ille se moverit. Qui iam venerunt, & paucissimi sunt: & ad solam spem Cæsaris detinentur: quæ si evanesceret, statim revolarent. Tædia Germanica infinita sunt: verum omnia ferenda servis pro domino: filijs pro patre: membris pro capite. Oratores Veneti adhuc Pataviæ, quæ est ad ripam Danubij, metu latronum se continent: ibiq; Cæsarẽ præstolantur: distant à nobis minus quã trium dierum itinere. Scribunt insidias sibi vndiq; structas esse, nam, vt vno verbo dicam, patentissima Germania est, & potentissima, & nobilissima: sed ea tota nunc vnum latrocinium est: & ille inter nobiles gloriosior, qui rapacior: Apud Principes so-

pes solos securitas est, sed duntaxat cum promittunt. nam nisi publica fide accepta, eorum quoq; fines infesti sunt omnibus. Sed hæc querela in Italia erit iucundior. Vale.

EIDEM.

CVpimus ambo, & tu scire, & ego significare, quid in Germania faciam. Dicam: meditor: facio nihil: dico parum: meditor vnum: Italia Italia est: resonat mihi dulcis in ore Italia: in animo mihi fixa est Italia. Amplissimum conventum speramus: vt fere semper altius crescunt arbores, quę tardius. Habemus Treverensem, Spirensem, Æichstatensem. nam de Moguntino iam pridem audieras. Vnus sed nostram cunctando destituit rem: & quantum perspicio, grus illa non præstat: transijt iam in cornicem: scribit Cæsar ad triduum se venturum: sed hoc triduum iam cętiduum est. In mora fuit Pancherij insignis latronis & conspiratorum quorundam supplicium, aut supplicia potius. nam Pancherius auctor coniurationis securi percussus est : & cum eo qui proximè sequebantur: Tertius flumine nescio an Danubio submersus. Magna res, & minime opportuna consilijs: sed tamen magna: Cæsarem tam mitem principem aliquando incaluisse. nam incrudisse tam iusta causa non dixerim. Principes, qui adsunt, eo videntur animo: vt aspirante Cæsare, speramus non pauca possimus. Sed quid dicam: tarditas & cunctatio ipsa desperatio quædam est: vt raro acriter insurgunt, quæ lentè se moveant. De Boëmicis iam puto ad te esse perlatum: filiū Poloni, ex Ladislai, qui veneno adolescens perijt, natum sorore, regem appellatum: sed ab ijs duntaxat, qui & religioni & Hungaro adversantur: & cum Georgio sentiebant. Nec refert, Georgium num habuerint regem, an nūc habeant Polonum: tam se impunes futuros sub hoc Rege vident: quam sub illo iam fuerant: & periculum est, ne contagio serpat: & augeantur viribus, qui destituti videbantur. Cæsar cui faveat, incertum est: nisi quod Hungaro propter veterem contentionem, & Pancherij causa putatur infensus. Non possum de omnibus certa perscribere, & multa sic pendent, vt minentur potius, quam cadant: quædam contra casura existimentur, quæ nondum inclinavere. Vale.

IOAN. ANTONIVS CAMPANVS
Cardinali Papiensi.

PErscripseram tibi de adventu Cæsaris, & apparatu eorū qui sequebantur Cæsarem; & quæ spes esset proposita nobis de amplissimo conventu: & quantum nec ętas nostra vidit, nec grandissimi natu Germanorum recordantur.

Deinceps

Deinceps hæc acta sunt ad octauum Calend. Iulias post peractam rem divinam. In prætorium secuti Cæsarem conscendimus: quem in locum convenire Principes consueverunt de rebus Germanicis acturi. Hic Antistes Tridentinus nomine Cæsaris prodit in medium oratione Germanica, quam è vestigio, vt externi quoque Oratores intelligerent, Latinè est interpretatus. Primum Cæsaris moram excusavit, quod ad diem non venisset; & capita contentionum, quæ domi post indictum conventum exortę eum detinuissent, enarrauit, egitque gratias & Principibus & Oratoribus, quod non sine iactura rei familiaris, & sumptibus gravissimis, alterum propè mensem expectassent. Causam deinde aperuit, quæ ad indicendum hoc in loco, & hoc tempore Conventum, impulisset: præteritas calamitates Christianorum, & recentem Carniolæ cladem deploravit: potentiam, crudelitatemque immanissimi hostis, quam brevi tempore, quãtum occupauerit finiũ nostrorũ, quantũ Christiani sanguinis fuderit & in Europa & in Asia, ostendit, repetitaq; eleganter veterum non vna historia, clarissimas ac propè innumerabiles Germanorum expeditiones, & pro religione Christiana & pro imperio Germanico susceptas, commemoravit: hortatusque est Principes omnes, Oratoresque Ciuitatum, Germaniæ partam à maioribus gloriam conservarent, occurrerent imminentibus periculis: & religionem, in qua patres eorum vixissent, & ipsi essent nati atque educati, tuerentur: addidit & postremò Cæsaris preces, auxilium & communi libertati omnium, & priuato suo periculo, implorantis. Post Tridentinum, Legatus & ipse graui oratione, propositum Cæsaris & aduentum Principum commendauit: egitque gratias Pontificis nomine vniversis: hortatus, vt quam Christianis ex conuentu spem porrexissent, eam sumendis armis exhiberent: nec se carpi singulos paterentur, qui vniversi non modo resistere, sed profligare hostem quam facilime possent. Conuentus multos repetijt nequicquam in Germania habitos: vbi, si obtemperatum fuisset consilijs eorum, qui futura pericula prævidissent, nõ eo discriminis ventum fuisset: vt quem facile tunc potuissent ex omni depellere Europa: nunc ipsa in Germania perferrent: dum extrema essent neglecta, ad intima hostem penetrasse: adiecit & preces, ac verba, vultum, animum, Legato, & tantis necessitatibus dignum accommodavit. Principes Germanico more paulum segressi, atque inter se locuti, gratias Cæsari egerunt; quod aliquando Germanicæ libertatis & publicæ salutis curam suscepisset: se paratos per omnia vitæ fortunarumque discrimina, illius imperium sequi: ituros in expeditionem, si ipse aut eat, aut iubeat iri: missuros, si iubeantur mitti.

Lætus eo responso Cæsar; laudatis Principibus, convenire sequentem in diem iussos, dimisit. Postridie pari frequentia reditum in Prætorium

torium est: sed initium consultandi ob controversiam ortum: omen belli futuri, an impedimenti potius fuerit, suspensum me habet. Oratores Burgūdi cum post Legatos Electorū collocati, atque ideo spreti priore consessu viderentur, redire in subsellia recusabant. Electores qui erant, absentibus Collegis, quanquam summa cum modestia, dignitatem tamen communem tuebantur. Burgundi potentiam sui Principis & in Gallia & in Germania maximam, Electores parem nobilitatem ac vetustum honorem obijciebant: seque è corpore Cæsaris cum essent, ne Regibus quidem, si qui adessent, cedere oportere contendebant.

Quæ contentio, cum tres quippe horas consumsisset, non antea est sublata: quam Burgundi alteris subsellijs ad frontem Cæsaris, inter Oratores regios locarentur: tum demum & ipse auxisse Principis sui dignitatem, quod in ordine absentium Regum sederēt: & Electores servasse existimationem suam, quod exclusi à primis subsellijs Burgundi essent, videbantur. Vbi omnes consedere, primi Burgundi surrexerunt: quorum vnus locutus est oratione ideo parum accomodata: quod plus in criminando Gallorum, quam in proposito iuuandi belli, visus est occupari: Regem rupisse fœdera: violasse publicam fidem: media pace oppugnasse Burgundi oppida, conquestus est: pauca quædam adiecit ad rationem belli; & quæ tunc ibi potius excogitata, quam domo abducta viderentur. Altera fuit Oratio Pauli Moricini, Venetorum Oratoris, brevis & collecta: certasse cum Turcis Venetos annos iam ducentos: eorumque vires atque impetus solos & in Thracia & in Illyrio sustinuisse: enixius tamen proximis annis mari cum his ac terra gessisse bellum: propugnatoresque nostros fuisse iam non tam defatigatos aut exhaustos: quam à cæteris Christianis destitutos esse: communi ad eam diem periculo solos excubasse: creuisse nunc hostem, factumque ex aliena somnolentia magnum: & quantum iam proferre Christiani (vtinam) vigiles possint: instare illum ab Illyrio, Pannonia à sinu Adriatico: non mari non terra quietos nostros sinere: Genus belli quale esset, ipsos perspicere: senes occidi, strangulari infantes: cæteram multitudinem sine sexus ætatisque discrimine in servitutem Asiaticam trahi: conflāmari templa: viros DEI intra templa concremari: igni & ferro ad excidium vltimum devastari omnia: incipere iam Germanos intelligere: quam durum fuerit Venetis tam diu bellum gessisse cum Turco: nec tamen desperandum esse: modo eo sint animo Germani: quo quisque esse debeat, ad vitam suam libertatemque suorum defendendam, habere se permagnam classem & præsidia per Illyrium Græciamque disposita: militare eorum stipendio ad hominum quinque & viginti millia: iuuari & à Ferdinando rege maritimo bello: si iuuentur terrestri à Germanis, breui futuros & ipsos in tuto, & cæteros extra periculum posituros: misisse Fer-

dinandum tres & viginti triremes, quatuorque naves onerarias in augmentum classis: & alias propediem esse missurum: ipsos triremes sexaginta, navesque aliquot instruxisse, & putare iam esse deductas: centum triremibus ac duo de viginti rostratis navibus bellum maritimum se aggressuros: si terra quoque detrahatur hostis, vtrobique laboraturum. Post eum Legatus magnificis verbis, & rem Venetam, & Pontificis diligentiam, & Ferdinandi apparatum complexus; parem Germanorum curam, quorum non dispar esset periculum, postulavit. Secundum Legati verba Præsul Eystatensis iussu Cæsaris progressus in medium, hæc postulavit. Primum vt decem millia ad præsentem necessitatem: quarta pars equites; cæteri pedites cogerentur; qui per fines extremos Germaniæ dispositi, hostem ab incursionibus prohiberent: Alteram deinde manum subsidiariam ac paratam in omnem belli eventum, & ad quamvis hostium impressionem compararent.

Postremò vt de summa totius belli, quantum geri vniversis viribus Germaniæ posset, in annum sequentem constitueretur. Ad hæc Principes, quod digna consultatione res esset, spatium postularunt; responsurosque in diem sequentem polliciti; præsentibus quoque verbis spem Cæsari addiderunt. Magna visa est omnibus Cæsaris postulatio; nec minus necessaria, quam magna, sed & meo & multorum iudicio, præpostera: nec Legatus ordinem approbavit postulatorum. Laudare se dixit consilium Cæsaris de auxilio præsenti: de subsidio parato: de expeditione futura.

Sed eum ordinem non placere: primum quod cum fama potissimum bella constent: nec minore in re bellica terrore, quam prælio conficiantur: irrisuri essent hostes tam exiguam manum, & vires Germanicas ex decem millibus militum æstimatam: ac tanquam omnem expressam Germaniam in tanto Conventu nihil plus præbere virium, quam decem millia potuisse: aut si posset, ægrè reliquos in castra venturos aliquando esse: qui nunc vt darent nomina, compelli non potuissent. Deinde spem omnem exceptam iri ciuitatibus nostris finitimis: Turco non casuros animos: cum primum de numero audierint tam exiguo; & quicquid nunc præsente Cæsare, astantibus omnibus Germaniæ Principibus, tanto habito conventu, in eorum salute factum non sit, fieri posse amplius, desperabunt. Postremoq; vbi decem millia contulerint Germani Principes: contulisse se, quantum opus fuit existimabunt: vt fere semper gravius est ponderis, quod additur; quam quod imponitur: & maximè imputatur, quod primum exactum est.

Proinde

Proinde suam esse sententiam: vt de summa vniversi belli deliberetur: vires omnes Germanorum inspiciendas: nomina militum, quotquot, & vbi vbi sint conscribenda: habendum, quantum habere maximum possent, ex omni Germania delectum: ac tum demum ex ea summa primum decem millia educenda: præsidiumque ad impressiones ex eadem submittendum, cæteras copias destinatas conscriptasque, & primo quoque tempore paratas esse habendas: Ita futurum, vt hostibus terror, spes nostris adijciatur: vt illi se contineant; nostri ad resistendum confirmentur: & cuique exploratum sit; quo tempore, quid facere, quorsum, aut qua manu ire iubeantur: Magnam vim habere & animi, & rerum apparatum.

Laudata est magnopere Legati sententia: non tamen Cæsaris propositum immutatum: vnde orta est suspitio nobis, remissiorem eum futurum ad hanc expeditionem, quam sperabamus: & consulere velle præsentibus periculis, futura non cogitare.

Quanquam Legato respondit bono esse animo, se nisi re ad summam vniversi belli perducta, Ratisbona non decessurum. Principes, quod erant polliciti, sequenti die responderunt, se ad omnia quæ Cæsar postulasset, paratos: Vnum orare, simultates Principum, ciuitatumque discordias, quod facile auctoritate posset, è Germania tolleret; magnam partem virium Germanicarum occupari Principum seditionibus; quibus sublatis, vno robore, communi manu, copijs vniversis bellum inferri posse. Cæsar studiosum se ait semper fuisse concordiæ principum, & nunc, quæ ad pacandam Germaniam pertinerent, omnia esse facturum.

Novissimè designati sunt Quinqueviri ex familia Cæsaris: ac totidem ex Consiliarijs Principum: qui cum Moguntino, cui est primus inter principes locus, de cogendis statim decem millibus, & præsidio superando, & de numero copiarum Germaniæ in annum sequentem præfiniendo; & de præficiendo Imperatore, ac de omni ratione, non movendi solum belli, sed etiam continuandi, inter se agant: & vbi deliberaverint, ad Cæsarem & Principes referant. Hoc in statu res sunt. Legatus nihil neque de excitandis Principibus, neque Cæsarem incendendo prætermittit.

O 2 Ego

Ego ea ſum nunc ſententia, qua nuper fueram: cum primum de conuentu ad te perſcripſi: pendere omnia ex Cæſaris voluntate: qui niſi omnia velit, quæ ad ineundum bellum pertineant: nihil dicam aliud, quam fato malo perituram rem Chriſtianam. Depopulata Carniola, & igni ferroque vaſtata, niſi excitetur; non video quid ſperare poſſimus ab eo auxilij calamitatibus noſtris, qui ſuis non moveatur. Auctus conventus eſt incredibili multitudine principum. Nudius tertius venit Landgrauius Haſſiæ cum equitibus quadringentis: Heri Antiſtes Colonienſis exiguo comitatu. Fratres Saxones, quorum eſt magna inter Germanos auctoritas, ad triduum expectantur. Conveniſſe feruntur ad hunc diem paulò plus minus, quam equitum decem millia. Pulcherrimum ſpectaculum nobilitatis: vtinam æquè profuturum. Feliciter vale.

IO. ANTON. CAMPANVS EIDEM
Cardinali Papienſi.

POſtridie Nonas Iulij, quo die opinio fuerat Quinqueviros de Principum decretis relaturos, VVolfgangus Bavarus frequentiſſimo conſeſſu quædam novi ſceleris intulit de Chriſtophoro fratre: qui ab Alberto & ipſo quoque eorum fratre in vinculis detinetur: oravitque Cæſarem, tam immani & inaudito ante eum diem exemplo impietatis: clementia ſua & pro dignitate imperij occurreret: vt quem naturæ charitas non teneret, ſeveritas iudicij à maleficio coërceret. Brevis accuſatio, ingẽs vulnus viſum eſt: perculitque omnium animos, fratrem adverſus fratrem pro fratre contendere: nec cauſa modo, ſed promiſſa barba, & mutatio veſtis, & lachrymarum immodica effuſio certare pro duobus fratribus, altero captivo, altero ſponte ſua exule, videbantur. Et habetur alioquin Albertus ſumma inter Germanos principes gratia: dignitate corporis & facundia, nonnihil & literis præditus.

Altera fuit contẽtio Spirenſis Epiſcopi: qui primum nomine Colonienſis acceptus in conventu inter Oratores Electorum conſederat: ſed vbi Colonienſis ipſe advenit, iam Palatini loco ſe gerens, veritus à Cæſare eſt, ne, vbi prius, hoc eſt, Electorum gradu locaretur: quod nec decreto ſuo Palatinum Electorem eſſe oſtenderet: nec oportere duos ſimul fratres poteſtatem habere Cæſaris eligendi. Iam vides, quæ ab eo pacis tam neceſſariæ fundamenta iaciantur: & quantum de concilianda Germania cogitet: qui exortas contentiones non comprimat, novas exuſcitet. Poſt hæc lectæ ſunt literæ Carniolanorũ, plenæ efferatiſſimæ immanitatis: nullum relictum templum, nullam agreſtem caſam à Turcis in Carniola: iacere paſſim cadavera occiſorum, ſenum atque infantium; & iam cælum fœtore corrumpi. Abrepta præterea eſſe ad millia hominum fermè viginti:

com-

communiuisse Turcos loca quædam, vnde excurrere quã latissimè, ac recipere se incolumes cum præda facillimè possent: Implorare se Cæsaris & Principum & omnium mortalium opem. Recitatæ etiam sunt Strigoniensis & optimatium Hungariæ literæ: quibus significabatur, divisum esse bifariam Turcorum exercitum: partem Carniolam in fines Cæsaris contendere: partem ad ripam Savi fluminis consedisse: eo consilio; vt exitu aliquo explorato & communito excurrere & depopulari Hungariam possint. Centum iam annis pugnatum ab Hungaris cum Turcis esse: exinanitum iam & viris, & viribus regnum: nisi ope quoque iuvetur externa, non posse diutius tam assiduum tamque potentem hostem sustinere: Communem causam agi: se, etsi propinquiores sint periculo, non tamen solos perituros: Monere & orare Cæsarem, vt in conventu prope omnium Principum Germaniæ, & quantum nunquam antea amplissimo remedium aliquod Christianis vulneribus adhiberet: oportere eum præcipuũ esse Christianorum propugnatorem, qui idem Christianorum sit Imperator. Idem quoque à Principibus postulabant. Respondit Moguntinus nomine principum: hoc vnum agi, præterea nihil: vt ea Carniolanis & Hungaris succurratur. Hoc in statu res est. Vale.

EIDEM.

QVæ ante Nonas Iulias acta sunt in Conventu: binis simul literis ijsq; longiusculis accuratissimè scripseram. Ad X. Iulij Principes Saxones quos propediem expectari dixeram, advenerunt, cum equitibus paulo minus septingentis, armatis fermè omnibus, magnificentiorem ingressum eorum Cæsaris occursus fecit. Postridiè qui venerunt vocati Principes, non quidem amplius in prætorium, sed in domum Cæsaris, quæcunque acta essent, ordine Saxonibus enarrarunt: Saxones contra, quæ in Boëmia egissent, & moram excusarunt. Continuis deinde multis diebus acta est causa Palatini: graues diversæque accusationes æque magnis defensionib. auditæ: Albertus Saxonum, alter Otto Bavarus, Antistes Eystettensis, missi à Cæsare pro educendo vinculis Christophoro Bavaro, nihil profecerunt: & opinio est, ex contentione Palatini pendere: quam brevi sublatum iri speramus. Designati ad eam tollendam Legatus Ernestus Saxonum fratrum maior, Ludovicus Bavarus cognomento Dives, & Sigismundus Dux Austriæ. Interea Cæsar mutata, vt videbatur, in deterius sententia, ex X. millibus, quos ad præsentem necessitatem postulaverat, sex millia detraxit: affirmans, satis nunc futura millia quatuor.

Magna vndique murmuratio exorta: & Consiliarij designati ad rationem colligendi exercitus: nequicquam dies multos in Prætorio consumpserant: quo gravari multi videbantur. Heri XVII. Iulij à quinta hora

dici ad multam noctem consultatum est de summa expeditionis: & demum omnium consensu ita decretum: vt in sumptus belli, quisquis proventus annuos mille ducatorum habeat, is equitem vnum conducat: peditem, qui quingentos: cæteri pro portione fortunarum ad eam summam. Cæterum vbi de proventibus haberi ea ratio nequeat, de capite habeatur: vt cui mille sint aurei, quinquaginta habere in proventibus censeatur: atque ea computatione contribuat. Fieri posse hoc modo ingentem exercitum aiunt: & facilimè sustineri etiam longissimum bellum: & sunt, qui affirmant, si ad vnguem res exigeretur, ducenta propè hominum millia cogi posse: nos erimus minus octoginta contenti: Principes miro assensu conditionem receperunt. Felix vale. Boëmi filium Poloni accierunt: quem fama est cum XXXII. millibus armatorum ingressum Boëmiam, VIII. KL. Sextileis coronam accepturum. Vale.

EIDEM.

GRavissimum quidē est nobis carere Italia: sed illud multo gravius, in maximis negocijs fieri nihil. Aegrè, lentè, segniter procedunt omnia: hoc tamen non desperandum, quia procedunt. Significavi proximis literis, quæ XVII. Iulij acta in Conventu fuerant, de ratione cogendæ pecuniæ, & exercitus comparandi. Post id tempus dormitum egregiè est. Conventus Noribergam propter rerum copiam transferetur: hic cœlum paulò gravius est: ægrotant multi: nec omnia ad conventum tam magnum, tam longum, suppetunt. Cæsar clausis oculis optimo est proposito; nihil tam sonorum, tam strepens, quo illi excitentur: nihil tam magnū atque arduum: quod is se facturum non prædicet. Si tam bene olim pugnabimus, quam nunc stertimus, vicimus. De Boëmicis rebus nugæ fuerunt, quæ scripseram,

Iam etsi minantur Poloni, se quam primum venturos ingenti manu ad regnum capessendum: & sunt qui confingant adolescentem illum veste dissimulata in Boëmia visum: gravia sunt odia in nos: sed hæc literis non planè committenda: & astu legati, qui omnia subodorat, facilè opprimuntur. Causa Palatini ad hunc diem nequicquam diu multumque acta, interturbat omnia: & rumor est coëgisse eum quantum nunquam antea, exercitum. Is multa petit: Cæsar paucissima videtur concessurus. Spes tamen est in necessitate Cæsaris aliqua: habet qui auribus instillent: & planè referta est hæc natio malis pulmentarijs. Data sunt regalia nudiustertius Landgravio Hassiæ.

Fuit operæprecium aspicere Cæsarem coronatum: pulcherrima illa thiara: sed nihil ad nostram, aut multum fortasse: gemmæ sunt magnæ: diversi

diversi coloris: perlucidæ & multæ. Sed quantum ego hac in re sapio! Germania vincitur: nec dissimulatur omnino contentio. O tempora! ô imperium! ô lumina! ô beatos qui succedunt: miseros, qui gloriantur: stultos, qui conquirunt! An te quoque non miseret conditionis humanæ? Sed properat tabellarius, Vale.

EIDEM.

SCripsi ad omnem nuncium: inquietos dies, insomnes noctes ducimus: parietes nostri te somniant: mensæ tecum vigilant: vnus vbique es nobis. Redeuntibus Balthasare & Luca doctissimis clientulis tuis, nihil est quod scribam de rebus Germanicis: omnibus interfuerunt. Habemus hic oratores Hungaros, Boëmos, Polonos. Magnis verbis, maioribus ventis res agitur: sed Cæsar immotus ad omnia. Redijsse Turci feruntur in agrum Carniolanum: & redijsse manu majore, quam antea: & tamen possumus etiam interdiu querelis medijs indormire. Vale.

IO. ANTONIVS CAMPANVS CARdinali Ravennati.

NIsi & literis Ferrariensis statum rerum Germanicarum tibi cognitum esse putarem: scriberem ad te ordine, scripsissemq; hactenus omnia: sed inculcatio laboris esset, non officium observantiæ; aures occupatissimi Principis sępe ijsdem de rebus obtundere. Conventum habemus omnium, qui vnquam memoria patrum nostrorum habiti sunt, & præsentia Cæsaris, & Principum multitudine maximum: agitur gravissimis de rebus: nec ignoramus exspectationem omnium nihil minorem esse conventu. Sed spes ea proponitur nobis, quæ haberi ex mente Cæsaris possit. Vtinam is sit, qui debeat esse: non qui consuevit: nihil senti calamitates nostrorum patiuntur. Carniola vna ex provincijs avitis eius superiore mense direpta, depopulata, incensa est: nunc maiore manu redire hostes feruntur: & vlteriorem facturi impressionem: & oppida, quibus nuper vastato agro abstinueruut, oppugnaturi. Magno in discrimine vt simus: non tam hostium vires, quam nostrorum tarditas, ne dicam ignavia, facit, & cunctatio Cæsaris.

Nunc quoque in tanto conventu Principum nihil æquè displicet, quam lentitudo. Principes casunt mente ad expeditionem suscipiendam: vt qui periculi intelligant magnitudinem, occurrere nisi vniuersi non possint. Pacem Germaniæ Cæsar omnibus pronunciavit: nulli dedit: &, quantum licet perspicere, nec deponit inimicitias, nec exercet. Legatus ad omnia desudat: non mensa illi, non nox libera est: omni somite, omni materia Cæsarem

Cæsarem conatur accendere: sed nescio an vnquam accendi possit is, qui nunquam incalescit.

Decretum est proximis diebus de stipendio militum vt qui mille habent in proventibus, equitem vnum conducant: peditem, qui quingentos. Qui proventus non habent, ex capite computatio sic fiat: vt quibus mille sint ex capite, & ijs quadraginta esse ex proventu censeantur: agrestes duos de viginti denarios viritim solvant. Summam fieri permagnam hoc modo, & ingentem posse confici exercitum putant. Sed facile est Cæsari decernere: exequi Federico difficile: vt vno dicam verbo. Nisi pacem Germaniæ vniuersæ confecerimus: omnino nihil fecimus: huic vni intenditur. Capita sunt discordiarum Palatinus & Cæsar: hic verbis, ille armis rem interturbat: cum alter maxima petat: alter nec minima quidem videatur concessurus: hos Germani omnes & propinquitatibus & studio partium sequuntur. Multum Cæsari auctoritatis & virium est: Palatino plus animi. Quanquam nec vires habet, qui sic habet, vt non habeat: Etiam auctoritas exigua est, etiam quæ magna, si ministrum desideret. Traducemus conventum Noribergam, si perstabit in proposito Cæsar: Ibi aut absolvemus, quod erit reliquum: aut abrumpemus. Vale.

EPISTOLARVM TVRCICARVM

LIBER IIII.

ISIDORVS CARDINALIS RVTHENVS, EPISCOPVS SABINENSIS, LEGATVS Pontificis, vniuersis Christi fidelibus.



AVDITE omnes gentes, audite & auribus percipite, qui habitatis orbem: Audite hæc omnia, qui fidelem orbis partem colitis, Ministri, pastores & principes omnium Ecclesiarum Christi: vniversi quoque Reges ac Principes Christicolæ, ac vniversus Domini populus cum religiosis cūctis, Audite inquam, & notum sit vobis, quod præcursor veri Antichristi, Turcorum princeps & dominus, seruus autē tot dominiorum, quot vitiorum, cuius nomen est Mahumet, inimicus Crucis Christi, hæres rei & nominis illius primi Pseudoprophetæ, & latoris legis spurcissimæ Agarenorum, filius Satanæ omnium

mnium flagitiosissimus: qui furijs invectus & insania, sanguinem Christianorum sine intermissione sitit: nec extingui valet eius sitis post eorum innumeras cædes: tantoq; odio contra Christum & membra eius movetur, vt eradere nomen eius de terra nitatur: & inspecto aliquo Christiano sibi obvianti se inde existimat sordidatum, vt oculos abluat, & os, immundum se profitens prius: hoc igitur tam terribile & horrendum monstrum, exigentibus demeritis Christianorum, iusto DEI iudicio, in eos sævire ac grassari permissus, Civitatem Imperialem Novam Romam, olim felicissimam, nunc miserrimam, & omni calamitate oppressam, Constantinopolim, diu obsessam cepit, expugnavit, spoliavit omnibus bonis, & penè delevit.

Quis autem (vt verbis vtar Prophetæ) dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum: vt plorare valeam die ac nocte interfectos populi illi°, & scelerattissima sacrilegia in ea captura perpetrata? Quis huius horribilitatis memor non obstupescat? non letargicus fiat? non præ dolore obmutescat: Nec tamen cuncta enormia explicabo, ne piæ aures audire refugiant: sed ex paucissimis relatis cogitentur alia. Hic nefandus Tyrannus nominibus blasphemiæ plenus, civitate recepta post decapitationem Imperatoris, cum omni sua progenie & nobilitate: plurimos ferreis manicis & compedibus alligatos, ac collis eorum funibus cinctis, extra vrbem deduxit: Milites eius nobiles, plebeios, monachos & monachas, mares & fœminas, virtute & conditione præclaros, vituperabiliter detractos, multis iniurijs refertas vt meretriculas & in lupanari prostitutas habebant: talia & tanta contra eos agebant, quanta de brutis animalibus, & qualia sine rubore fari minimè quis valeat: adolescentulos vtriusque sexus à parentibus segregabant, & divisim de eis precio negociabantur: infantes coram genitoribus suis vt agniculos mactabant: matres filijs, & geniti genitricibus privabantur: Germani à fratribus, vxores à viris, nurus à socrub° lugentibus & vlulantibus segregabātur: disiuncti consanguinei & amici in diversis regionibus servi venditi ducebantur. O quam amaræ lachrymæ! ô quanta suspiria! ô quot clamosi singultus inter amicos & notos, quæ miserabiles voces emittebantur inter tantas cædes, servitutes, expulsiones & contumelias! Principes, Barones & Domini, bubulcorum, porcariorum, homuncionum effecti sunt famuli: Intra decennium pueros ad ritus suæ perfidæ sectæ compellebant.

Heu! quomodo obscuratum est aurum fulgidum sapientiæ per tenebras ignorantiæ: aurum dignitatis per ignobilitatem servitutis! quomodo mutatus est color optimus Græcæ eloquentiæ in barbariem Turciæ! Lapides sanctuarij, si qui erant constantes in fide, dispersi sunt in capite omnium viarum iacentes prostrati. De cæteris taceamus, quæ humana

sunt, de iniurijs, subsannationibus, cōtumelijs, opprobrijs scelestis erga diuina quę lingua valeat explicare? quis intellectus capere? quę aures patienter audire? Ni fallor, nunquam ita inhonoratus Deus: venerunt gentes gehennæ deditæ in hæreditatem tuam, quæ Israel est te videns per fidem: Polluerunt templum sanctum tuum, Ecclesiam nobilissimam S. Sophiæ vna cum alijs: imagines Domini nostri IESV CHRISTI, & matris eius, virginis gloriosæ, & sanctorum ac sanctarum DEI, insignia viuificæ Crucis conspuentes, confringentes, conculcantes: sacrosancta Euangelia, Missalia & reliquos Ecclesiæ libros dilacerantes, deturpantes, comburentes: sacras vestes sacerdotum, reliquaque ornamenta Ecclesiæ scindentes, ad indumentum suum & ornatum sumentes, vel pro vili precio conferentes: vasa Domini & eius cultui dedicata, in eis comedentes & libentes, in reliquum conflata, ad profanos vsus transferentes.

Posuerunt denique carnes sanctorum tuorum, morticina servorum tuorum, reliquias beatorum corporum, escas volatilibus cœli: dispergentes hinc inde carnes sanctorum tuorum, quos occidebant, bestijs terræ: non erat, qui sepeliret. Altaria suffoderunt, invocantes nomen maledicti Mahometi: laudantes eum de victoria.

Omitto præ pudore, quæ mingebant, stercorisabant, omnia vituperabilia exercebant in templis, imaginibus & reliquijs sanctis: sancta canibus dabant: margaritas sacramentorum ante porcos proijciebant. Dum hæc recolo, totus ex horrore contremisco: nec vlterius stylo exarare queo illorum piacula, & fidei Christianæ religionis irrisiones & dedecora iniecta. Monasteria tam monachorum, quam monialium invadentes omnia diripiebant: cijcientes illos de habitationibus suis, Xenodochia infirmorum destruebant. Etsi de multis & magnis excidijs ac exterminijs ciuitatum historiographi etiam gentilium referant, ferè nulla posset desolationi huius coæquari. Nullum incolam intra vrbem reliquerunt: non Græcum, non Latinum, non Armenium, non Iudæum: vrbem ipsam suis civibus nudatam, quasi desertam effecerunt: Ipse eorum actus & opera proprijs oculis vidi: & cum aliquibus constantissimis viris vna plura perpessus sum mala & pericula: licet de manibus eorum me eripuerit DEVS, vt Ionam de ventre ceti.

Expugnata Constantinopoli Peram non multum inde distantem occuparunt: mœnia eius ad solum vsque deducentes. Ex campanis Ecclesiarum bombardas conflavarunt: crucem, quæ erat in cacumine tur-

ris eius, cum ipsa turri contriverunt: Rempub. ad nihilum deduxerunt: Iudicem & principem eius Turcum constituentes: pedagia, quidagia, impositiones & gravamina illic applicantibus vel permanentibus suapte voluntate statuerunt.

His atrocissimis rebus non contentus callidissimus & cruentissimus Mahometus, Christicolarum summus inimicus, ad vlteriora se extendit: & triremes inter magnas & parvas iam centum septuaginta præparavit: & ad mare Aegeum misit ad insulas Cycladas sibi subijciendas.

Exinde se præparat cum infinito exercitu ad tres vrbes notabiles & potentes prope Danubium sitas transmigrare, easque expugnare: vnam quam Periston nuncupamus: alteram Forobium: tertiam Bellogradum: intendens post totam percurrere Vngariam: eamque spoliare, devastare, conterere: vt neminem retro se dimittat impedire ad alia loca proficisci volentem: Quin etiam ad Italiam quam citius transmigrare contendit: præparare quoque conatur galeas magnas & parvas trecentas, naves magnas viginti, pedestrium & equestrium exercituum vltra centum millia: & sic à Dyrrhachio Brundusium transire contendit: quæ civitas sita est in regno Apuliæ.

Quapropter deprecor, exoro atque exhortor vos omnes Christicolas: vt zelo fidei & Christianæ religionis pro vestra libertate gladio accingamini contra tam diros hostes divini cultus, & omnis sanctimoniæ, & vitæ moralis: & primo quidem abijcientes omnem dissensionem atque æmulationem, remittentes invicem offensas, sicut & Christus donavit omnibus, pacem & vnionem summopere inter vos amplectamini: vt vniti & fortiores inde effecti; confidentes in adiutorio altissimi (cujus est victoria & bellum, non multitudinis) ipsum Satanam cum satellitibus suis sub pedibus vestris conterere valeatis. Licet enim in multitudine confidat, & feritate suorum: plures tamen sunt, qui nobiscum sunt: imo Dominus ipse militiarum, pro cuius fide & religione pugnatis, ita vt centum ex vobis persequi & superare valeant mille ex illis, & mille ex vobis decem millia. Ignavia enim & imperitia belli eis innata. Peræ. anno Christi MC-DLII.

ÆNEAS SYLVIUS SENENSIS NICOLAO *Quinto Pontifici Maximo.*

INvitus quidem, Beatissime Pater, quæ adversa sunt, scribo: sed compellit me debitum officij mei, qui iussu Pietatis vestræ Germaniam incolēs si quæ eveniunt, novitates Apostolico culmini notas facere teneor. Planè autem horribile novum modo huc allatum est de Constantinopoli. Tremit profectò manus, dum hæc scribo: horret animus, neque tacere indignatio sinit, neque dolor loqui permittit. Heu miseram Christianitatem! Pudet iam vitæ: feliciter vtinam ante hunc casum obijssemus! Italia, Germania, Gallia, & Hispania magna ex parte salua (proh pudor!) ab effœminatis Turcis inclytam vrbem Constantinopolim capi permittimus. Credo hæc iam vestræ Pietatis aures accepisse: egredior Germaniam, & ad Græciam pergo. Turcorum Imperator magnis militum copijs Constantinopolim proximis his diebus obsidione terra marique cinxit, atque admotis machinis & insultu ter facto expugnavit: populum omnem gladio extinxit: sacerdotes diversis tormentorum generibus excarnificauit, neq; sexui neque ætati pepercit, quadraginta & amplius millia personarum illic occisa referuntur.

Qui res gestas ad nos ex Rascia venientes enarrant; Palęologum, qui apud eos imperauit, capite mulctatum: filium eius ereptum fuga in Pæra modo obsessum aiunt. Nolo ista singillatim prosequi, quæ per alios & melius, & verius sanctitati vestræ conscripta esse non ambigo. Satis est mihi cum vestra Pietate, de tanta Christianitatis ruina dolere. Vrbs quæ post Constantinum iam annos M.C. & vltra erat: neque vnquam in potestatem venerat infidelium: spurcissimorum Turcorum hoc infelici anno direptioni patuit. Roma quoque post suam conditionem in anno MCLXIIII. per Gothorum Regem Alaricum direpta refertur. Sed hic, ne templa sanctorum violarentur, edixit: Turcos autem in Ecclesia DEI sæuituros quis dubitet? Doleo templum illud toto terrarum orbe famosissimum Sophiæ, vel destrui, vel pollui: doleo infinitas sanctorum Basilicas opere mirando constructas, vel ruinæ, vel spurcitiæ Mahometi subiacere. Quid de libris dicam, qui illic erant innumerabiles, nondum Latinis cogniti? Heu quot nunc magnorum nomina virorum peribunt! secunda mors ista Homero est, secundus Platoni obitus. Vbi nunc Philosophorum aut Poëtarum ingenia requiremus? Extinctus est fons Musarum. Vtinam tantum nobis superaret ingenij, vt hanc calamitatem dignis vocibus deplorare possemus! Admodum ista cor meum vrgent atque expungunt, sanctissime Pater. Video simul & fidem & doctrinam deleri: idque nostra desidia accidit, qui solum præsentia respicimus. Quod si ferventiores ad rem Christi publicam animos adhiberemus: hęc profectò nefanda cla-

da cla-

da clades inferri nobis minimè potuisset. Certus sum, quod mœrore magno vestra sanctitas est affecta, multumque rei huius deplorat eventum. Neque abs re quidem. Nemo est enim, cui magis tanti mali fama quam vestræ pietati sit obfutura.

Nam scriptores omnes qui apud Latinos Romanorum Pontificum gesta referent, cum ad vestrum tempus fuerit ventum, in hanc sententiam de vestra gloria scribent: Nicolaus Papa Quintus natione Thuscus sedit annos 10: patrimonium Ecclesiæ ex Tyrannorum manibus vendicavit: divisam Ecclesiam vnioni reddidit: Bernardinum Senensem in catalogo Sanctorum annumeravit: Palatium Sancti Petri construxit, Basilicam eius mirificè reparavit: Iubilæum celebrauit: Fridericum III. Imp. coronavit. Pulchra hæc & decora de vestro nomine prædicabuntur: sed illud omnia funestabit, cum in fine adijcietur: At huius tempore regia Constantinopolis à Turcis capta direptaque est, nescio an diruta incensave dici poterit: quamvis in man' hostium data minus exusta nobis quam integra possit obesse. Itaque luet vestra fama sine vestra culpa: qui etsi totis conatibus opem ferre miseræ ciuitati studuistis, non tamen Christianis Regibus persuadere potuistis vt arma simul capessentes, commune fidei negocium adiuvarent. Negabant tantum esse periculum, quantum dicebatur: mentiri Græcos, mendicareq; pecunias arbitrabantur; omnia ficta vanaque reputabant. Fecit vestra Beatitudo, quod potuit. Nihil est quod vestræ clementiæ possit impingi, sed tamen impinget hoc vestro nomini posteritas rerum ignara: cum vestro tempore Constantinopolim amissam didicerit.

Timui semper hoc, Beatissime pater: cum multa ex sententia vestræ gloriæ succedere animadverterem, ne sinistrum aliquid emergeret, quod felicitatis cursum impediens, lachrymabilem afferret materiam. Ecce ego timui; ex duobus Christianitatis luminibus alterum iam videmus erutum: Orientalis imperij eversam sedem: Græcam omnem gloriam extinctam cernimus. Maiores nostri Hierosolymam, Accaron, Antiochiam perdiderunt: fateor, ingens malum: sed nulla clades hodiernæ ruinæ comparanda est: in Asia & aliena possessione nostri veteres vrbes amisere, nos in Europa, in nostro solo, inter Christianos potentissimã vrbem, Orientalis imperij caput, Græciæ columen, literarum domicilium, ab hostili manu sinimus expugnari. Iam regnat inter nos Mahometus: iam nostris ceruicibus imminet Turcorum gladius: iam nobis clausus est Euxinus & Tanais inaccessibilis factus: iam VValachos Turco parere necessum est: inde ad Vngaros: inde ad Germanos Turcorum gladius penetrabit: Et nos interim domesticis quatimur odijs: Reges Franciæ & Angliæ inter se litigant. Germani Principes invicem bella gerunt: raro Hispania tota quie-

P 3 scit:

scit: Italia nostra pacis expers, de alieno iure contendit. O quanto melius tantum armorum tantumque militiæ in hostes fidei verteremus? Verum, Beatissime Pater, non scio cui magis, quàm vestræ sanctitati, hæc cura debeatur. Vestrum est, iam assurgere: scribere Regibus: mittere legatos; monere, hortari Principes & communitates: in aliquem communem locum vt aut veniant, aut mittant: nuncque, dum malum est recens, Christianæ Reipub. consulere festinent; pacem aut inducias inter socios fidei componant: atque iunctis viribus aduersus salutiferæ Crucis inimicos arma moueant. Spero equidem, si vestra sanctitas suo ex more hoc negocium feruido & ardenti animo totoque corde promouendum acceperit; & Deum & homines assensuros; futurumque brevi, vt insolentiæ suæ Turcos pœniteat; atque in altum Christiana fides emergat. Hæc habui quæ nunc ad vestram pietatem scriptione digna putarem. Et quamuis de tanto & tam arduo negocio maiores viros, quàm ego sim, loqui deceat, quia tamen Christianus sum, nihil à me alienum puto, quod Christianæ religionis vtilitatem concernat. Nec ambigo quæ per me scribuntur, cuncta pietatem vestram in partem accipere meliorem, nec alio modo. Recommendo me vestræ pietati, quam pius & optimus Deus felicem, Ecclesiæque suæ statum diu ac votiue sospitem & lætum conseruet. Ex Græcio Stiriensi, 12. Iulij, Anno M CCCC LIII.

FRIDERICVS III. IMPERATOR, NICOLAO V. Pontifici Maximo. S.

BEatissime Pater, & Domine Reuerendissime, Cum nobis renunciatum esset his diebus Constantinopolim Græciæ caput & orientalis imperij quondam sedem per Turcorum Dominum expugnatam & in seruitutem redactam, multumque ibi Christiani sanguinis fusum esse: grauiter quidem, vt debuimus, & molestissime tulimus: communem Christianæ religionis calamitatem atque iacturam intelligentes: non de præterito solùm, quod doleamus, sed de futuro quoque quod timeamus, tantæ vrbis amissionem fidelibus Christianis abundè præbere. Namque si verus est rumor ad nos delatus, hominum quadraginta millia cæsa sunt; animæ plures in seruitium miserabile ductæ; templa diuino nomini dedicata funditus diruta: naues non paucæ captæ; amissa ciuitas famosissima, & ratione situs & alijs conditionibus ad tutelam Christianitatis admodum necessaria: in qua per multa secula, & Patriarchialis dignitas claruit: & Imperialis Maiestatis insignia floruerunt. Taceamus de literis ac bonarum omnium artium studijs; quæ veluti domicilium proprium ex tota Græcia Constanstantinopolim habuere. Quibus modò cum ciuitate cadentibus, nullum profectò credimus esse Christiano nomine insignitum; qui de tantæ vrbis ruina

ruina supra modum non angatur & doleat. Maximum certè atque horribile vulnus illatum est Ecclesiæ Catholicæ nostro tempore ac multo maius, quàm vt scriptis possit aut verbis exprimi.

At cũ potentissimus hostis crudelissim⁹ immanissimusq; in manu Victoriã hãc locũq; nactus sit; ex quo fidei Christianæ, quam persequitur, pro sua libidine possit officere; quis non eum indies plura conaturum existimet; quibus Christianorum gentem in perniciem desolationemque ducat: quippe victoria sui natura insolens, etiamsi ad mites venerit, feroces eos impudentesque reddit. Quid cum his agat, qui suopte ingenio soliti sunt sæuire? An putare quisquam potest, iratorum hominum, cupidorum atque acerbissimorum quieturam esse victoriam? Enimverò qui ex illis partibus ad nos veniunt, & Peram aiunt Christianis perditam: & alia pleraque loca vicina Constantinopoli per Turcos occupata; qui proximam quamque victoriam non desidiæ aut socordiæ ducunt, sed instrumentum sequentis habent, studijsq; omnibus enituntur, vt Christianum nomen ad internecionem redigant: nescimus an vera sint, quæ autore non certo dicuntur, timere tamen, quàm sperare, multæ nos vrgent rationes; fama quæ de venturis Turcorum exercitibus erat; ciuitas regia pro magnitudine sua parum populosa; hostium propinquitas: auxilij spes remotior; & infelix ac dolorosum nuncium optato & fausto semper credibilius. Quibus ex rebus & si non dubitemus sanct. vestram his cognitis excitatam esse ad cogitandum inveniendumque modos, quibus tàm periculoso & potenti hosti, ne amplius noceant, opportunè resistatur; tamen quia nos quoque, velut Imperatorem & aduocatum Ecclesiæ, res ista concernit; haud ab re credimus esse, si Pietatem vestram pro communi fidelium salute accensam magis inflammare nitamur. Neque enim res est quæ vel negligi debeat vel differri: occurrere oportet priusquam vulnus altius infigatur: aut veneni labes in corda decedat. Cæterum cum tanto negocio non vnius prouinciæ, aut paucorum Principum, sed omnium Christianorum Regum aut certè magnæ partis eorum, necessariæ vires existant; dicemus confidenter, quòd nobis ex vsu videtur; neque dubitamus, quin dicta nostra Sanctitas vestra in partem accipiet meliorem.

Sanè pro tanto & tàm necessario opere optimum factu censemus, Pietatem vestram, quæ locum tenet in terris Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius res agitur, nunc exurgere; scribere Regibus, legatos mittere; monere & hortari principes ac communitates, in aliquem communem locum, vt aut veniant, aut mittant; & nunc dum malum est recens, Christianæ rei consulere festinent: pacem & inducias inter socios fidei componant; atque iunctis viribus adversus salutiferæ crucis inimicos arma promoueant.

Quod

Quod si vestra Sanctitas toto pectore, suoque more ad rem hanc tam piam & vtilem intenderit: non est nobis dubium, quin plures & Reges & principes, in quibus Zelus domus DEI & ardor fidei orthodoxæ non est extinctus, ad mandatum vestrum voluntarios & obsequentes se præbeant.

Nos certe pietati vestræ, vt libuerit, & assistere, & cooperari pro nostri officij debito minimè omittemus: solum precamur, vt vestrum in hoc negocio consilium & intentum communicare dignemini. Namque si fuerit opus nostræ nationis & Imperij sacri principes ad hoc ipsum convocare, & alia quæ iuxta consilium vestrum putaverimus opportuna, implere non negligemus.

Quia verò ad huiusmodi negocium maximè conducere arbitramur, Italica bella quàmprimum sopiri, quamvis Beatitudinem vestram ad hoc conari, & per se sufficere non ambigamus: tamen quia anno proximè decurso, & Romæ, & Neapoli, & Ferrariæ, & Venetijs de hoc plurimum sed frustra egimus, si Pietati vestræ in præsentiarum quovis modo expedire videtur, quod oratores aut ad Sanct. vestrã aut partes cõtendentes mittamus, siue alio modo pro pace celerius conficienda laboremus: vt Sanct. vestræ fuerit visum, eo modo faciemus: omnique studio & cura proni erimus, ad ea intendere, per quæ pace tam Italis, quam cæteris Christianis data, & furori Turcorum resistatur; & Christiana religio in suo statu conquiescere, & debito sub splendore foueri possit. Anno MCCCCLIII.

FRANCISCVS POSCARI DVX VENETORVM, FRIDERICO Rom. Imp. semper Augusto G.

NIhil nobis attulerũt novi, Serenissime Princeps, literæ Cæsareæ Maiestatis vestræ: si, quemadmodum ipsa scribit, gravi molestia ac mærore commota perstiterit: cum primum innotuerit sibi acerbum & horrendum nouum vrbis Constantinopolis: quam perfidissimi Turci, magna Christianorum strage, suo imperio submiserunt. Est siquidem casus iste infelix tanti faciendus: vt nihil supra temporibus nostris contingere potuisset. At quoniam vestra Serenitas (neque enim indignè) cupere videtur huiusce rei nefandæ seriem à nobis certius ac particularius intelligere: etsi hæc referentes dolorem & amaritudinem renovemus: vt tamen Maiestati vestræ morem geramus: nunciamus eidem, Imperatorem Turcorum, qui cum maxima potentia incredibilique apparatu terra marique contra vrbem Constantinopolitanam castrametatus erat, die XXIX. Maij præterita, ciuitati ipsi, quam circumquaque obsessam tenebat, omnique tormentorum bellicorum genere debellaverat, maximum & acerrimum bellum intulisse: tandemque eam die ipsa, immemorabili Christianorum clade, subegisse: rem vtique calamitosam, & Christiano nomini summum

in

in modum periculosam. Hæc verò nova, vtinam tàm falsa essent, quàm nimium vera sunt. Nam ea accepimus à Capitaneo Galearum nostrarum nuper huc regresso: qui ad illud viagium Constantinopolis & Romæ cum nonnullis nostris triremibus more mercatorio profectus erat: quivé cum eisdem galeis ad tutandam vrbem illam, vsque ad vltimum eius excidium constans permansit: ita vt magna pars hominum in triremibus malè perierit. Nam partim trucidati; partim in miserabilem captivitatem abducti sunt. Multi quoque nobiles cives & mercatores nostri, qui in ea vrbe aderant cum facultatibus & bonis suis magni valoris, aut gladio perierunt: aut ad servitutem ipsam crudelissimam devenerunt: nec absque magno ære redimi poterunt. Præterea subinde nunciatum est, Turcum ipsum occupasse civitatem Peræ & quædam alia loca finitima cum magno Christianorum excidio: de qua tamen re aliam certiorem notitiam nondum accepimus. Enimverò, Princeps excellentissime, hostis iste truculentissimus adeptus est vrbem præcipuam, Constantinopolim nobilissimam, & tam ratione sitûs, quàm ex alijs dignis conditionib. aptissimam, & mirum in modum accommodatam ad potentiam suam augendam: ita vt vbique terra & mari de hoc potentissimo hoste sit plurimum dubitandum. Et profectò nisi Christianę potestates aliter excitentur vt huic morbo validis provisionibus occurrant antè, quam vlterius prolabatur: videre videmur magna pericula incumbere toti Christianæ religioni: quibus resistere non facile erit Christianis Principibus. Datum in Palatio Ducali, die XXVII. Iulij, Indictione prima, anno M.CCCC.LIII.

LEONHARDVS CHIENSIS ARCHIEPISCOPVS Mitylenaus Nicolao V. Pont. Max.

FLere mihi magis licet, Beatissime Pater: & fortè, dum gladio impetebar à Turcis, salubrior mors mihi fuisset, quam vita. Verùm quoniam narrationes sinistræ tùm verè prosunt auditoribus, si prostrati resurgant; vti quibus ociosos parentes ab hostibus dicimus, animi ad vindictam mœsti vigorosius excitantur: Narrabo igitur & flens, & gemens Constantinopolis proximè his cernentibus oculis discrimen vltimum & iacturam. Nec dubito, Pater sancte, præcessisse me multos, qui rei gestæ seriem tuæ Sanctitati retulerunt.

Confert enim multorum in vnum relatio. Sed quoniam quæ visu magis quàm quæ auditu, verius exponuntur, quod scio loquar: & quod vidi, fidelius contestabor. Cum igitur Reuerendissimus Pater D. Cardinalis Sabinensis pro nomine Græcorum Legatus, in eius famulatum me ex Chio vocasset; ego summa cum animi mei diligentia, vt fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ fortiter constanterque, vti debitum exigit, defensarem,

captabam perinde & mores & naturam Græcorum, argumentisque ac sanctorum Theologorum dictis agebam intelligere, quod eorum esset studium; quod propositum, quæ rationes, quis finis eos à vera intelligentia, debitaque obedientia vel revocaret, vel retraheret.

Intellexi planè, præter Argyropilum artium magistrum, Theophilum Palæologum, Hieromonicosque quosdam paucos, & alios laicos; quod ambitio Græcos quasi omnes captivasset; vt nemo esset qui zelo fidei, vel salutis suæ motus, primus videretur fieri velle suæ opinionis & pertinaciæ contemptor.

Quod sane si non tam ex zelo fidei, & amore Christianæ religionis, quam ex affectata quadam gloriæ humanæ cupiditate fecissent, summopere hoc nomine commendandi essent, ipsorumque fervor omnibus qui CHRISTO nomen dederunt, & admirationi & imitationi merito esse deberet.

Verumenimverò, tantum abest, vt laudem & admirationem exinde mereantur vt potius fides & constantia ipsorum omnibus hoc nomine debeat esse suspecta, cum non propter Dei, sed suam ipsorum gloriam quam præcipuè captabant, huiusmodi zelũ præ se tulerint, quamvis omnino reluctante ipsorum natura & voluntate.

Vsqueadeo vt ex vna parte, ad fatendum articulum sancti Spiritus vrgeret eos conscientia: Ex altera, ne meliorem Latini, quam Græci, de veritate fidei intelligentiam habere crederentur, elationis tumor eos abduceret.

Verùm quoniam nec ratio, nec auctoritas, nec variæ Scholarij, Isidorj, Neophytique opiniones adversus Romanæ Ecclesiæ fidem stare poterant; actum est industria & probitate præfati Domini Cardinalis, vt sancta vnio, assentiente Imperatore Senatuque (si non ficta fuit) firmaretur, celebrareturque secundo Idus Decembris, Spiridonis Episcopi Sancti die.

Itaque ea peracta, mox tempestas Turci oborta, vrbem Constantinopolis; Galatam, cæteraque adiacentia oppida absorbuit: Vt verbum Esaiæ verum sit dicentis: Tempestas convulsa absque vlla consolatione.

Qua tempestate concussus, ego quoque captus sum; & pro demeritis

tis

tis meis vinctus cæsusque à Turcis: non fui dignus cum Christo Salvatore configi.

Reminiscor ergo, beatissime Pater, cum primum de vnione facta Græcorum, eidem Sanctitatis epistolas seriosius destinassem, inter alia dixisse: Nos propter futuram Turci obsidionem, quam indies expectabamus; inter spem & desperationem constitutos esse.

Spes de tuo expectato subsidio dabat fiduciam; timor de Græcorum pertinacia desperationem suggerebat.

Heu quæ spes in populo duro graui iniquitate, qui tot annis sine vita spirituali abscissus à capite permanebat! Quomodo non desperati, quomodo non abiecti à DEO, qui tantis dissimilitudinibus, tantis fictionibus, tantisque scissuris, ab Ecclesia elongati Romana, in cordis duritia permanserunt: Etenim iam captivati, vrbe, templis, auro, laribusque propulsi, in Latinos retorquent offensam, asseverantes: Quoniam vnionem, (inquiunt) fecimus, summoque Pontifici commemorationem dedimus, merito indignatum Deum esse.

O pertinaces homines, inquio. Si malum hoc est, prisci illi Basilius, Athanasius, Cyrillus, cæterique patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis, mali censendi sunt, quod sanctam vnam eandemque fidem cum Romana Ecclesia, omnium Christianorum magistra, coluerunt.

Non hæc causa est, quod vnionem, sed quod vnionem non veram, sed fictam fecistis.

Hac de re merito indignatum Deum: hac de re iusta animadversione in hostium manibus vos esse deductos.

An non sponsionem de vnione, sancto iuramento apud Florentinam Synodum conscriptam violastis? obedientiam declinastis? sententiam Decreti occultastis? An non summi DEI nuncij (ô Græci) vestram perditionem iugiter prædixerunt? qui aures,

vt aspis, impiè obturastis, & sanctam Ecclesiam Catholicam matrem fidelium obaudistis. Flete miserias vestras; arguite vosmetipsos; & non alios condemnetis, aut inculpetis. Mos obstinatorum hic est, sanctos aspernari Dei nuncios: vti Sedecias cæterique Iudæi in Babylonem traducti Hieremiam direptionem captivitatemque prædicentem contempserunt. Certè hactenus stetisset Ilion, si Cassandram Priamus pater audivisset; si Prophetas Hebræi, si Sibyllam Romani, si vos quoque Apostolicos nuncios dudū audissetis. Idcirco non mirum si in pœnā tanti criminis insperata mox tempestas invaluit; quam Spiritu sancto docti quoque à multis annis futuram esse prædixerant. Sanè vt Beatissimi patris N. primi summi Pontificis execrationem in pravos Græcos per illud, *Vergentis in senium seculi corruptela, &c.* prætermittamus: tabula illa, quam Leoni Sapienti ascribunt, apud monasterium sancti Georgij de Mangana constructū, vetusto tempore in Cōstantinopoli occultatam mysterio jam signo detectam jacturam demonstrat. Hac Pater Beatissimus cellulis distincta quadratis, Imperatorum ordinem successionemque ponebat finiendum; tamen in hoc vltimo Constantino ita quoque Patriarcharum alia in longum tracta tabula ordinem præscribebat. Nam ille spiritu Prophetico illustratus tot cellulas figurādorum Imperatorum tabulæ inscripsit, quot à primo Constantino Magno, Constantinopolis conditore, vsque ad vltimam captivitatem futuri erant. Indies itaq; cellulæ illæ repletæ, vnam modò & vltimam, in qua hic, sub quo vrbs perijt, collocandus erat: si coronatus fuisset, vacuam prætendunt. Morsenus perinde vir sanctus, sagittariam gentem contra Constantinopolim futuram, cuius portum inclytum caperet, exterminandosque Græcos seculis multis antè prædixit. Erythreæ autem nostræ de Græcorū iactura vaticinium legentibus patet. Ioachim autem Abbas meo judicio Constantinopolis jacturam in papalista denunciat, cum dicit; *Væ tibi septicollis manibus truncatis, quasi auxilio destitutam.* Septicollim autem Græci ἑπταλόφον vocant. Vt quid igitur Latinos damnant? Cur invehunt nobis, cū vera scribimus, contra quos tot aperta vaticinia protestantur? Nō ergo vnio facta, sed vnio ficta, ad fatale vrbem detrahebat excidium; quo divinā iram maturatam in hosce dies venisse cognovimus. Excitatus itaque in furorem Deus, misit Mahometh regem potentissimum Turcorum: adolescentem quidem audacem, ambitiosum, temulentum, Christianorum capitalem hostem: qui nonis Aprilis ante Constantinopolis prospectum, cum tercentis & vltra millibus pugnatorum in gyro terræ castra papilionesque confixit.

Milites maiore numero equestres, quanquam omnes pedites magis expugnabant. Inter quos pedites ad regis custodiam deputati audaces, qui ab clementis Christiani aut Christianorum filij, retrorsum

conuersi,

conversi, dicti Genizari, vt apud Macedonem Myrmidones, quasi quindecim millia. Ad tertium autem diem, captato vrbis situ, machinas innumeras craticulasque ex virgultis viminibusque contextas circum muralis vallum quibus pugnantes tegerentur, fossatis admovit. Initium confusionis hoc nostrum fuit, vt qui telis machinarumque lapidibus iuxta datum ordinem eminus repellendi erant, neglectis singulis, cominus proximare permiserunt. Tantum eorum ordinem instruendis machinis, tantam promptitudinem, tantam acierum providentiam quidam aut Scipio, aut Hanibal, aut moderni belli duces admirati fuissent. Sed quis obsecro circumvallavit vrbem? qui, nisi perfidi Christiani instruxere Turcos? Testis sum, quod Græci, quod Latini, quod Germani, Pannones, Boetes, ex omniū Christianorum regionibus Turcis commixti opera eorū fidemq; didicerunt: qui immanius fidei Christianæ obliti vrbem expugnabant, O impij qui Christum abnegastis! O satellites Antichristi, damnati gehennalibus flammis: tempus hoc vestrum est. Satagite augere vobis pœnas, quas luatis æternas. Horribilem proinde bombardam, quanquam major alia, quæ confracta fuit, quam vix boum quinquaginta centum iuga vehebant, ob partem illam murorum simpliciū, quæ nec fossatis, nec antemurali tutabatur, Calegariam dictam, figentes, lapide qui palmis vndecim ex meis ambibat in gyro ex ea murum conterebant. Erat tamen murus perlatus fortisque, qui tamen machinæ tam horibili cedebat. Inde quia maior confracta: Regis animum afflictabat, ne tristitia in tanto certamine afficeretur, iussit mox aliam longe maioris formæ conflari: quam, vt aiunt, industria Calibasciæ consularis Baronis amici artifex, nunquam ad perfectum conduxit, alijs mediocribus innumeris collidere, vrbem machinis vndequaque conabantur. Sclopis, spingardis, Zarbathanis, fundis, sagittis dies noctesq; muros, homineSque nostros vexabant, mactabantq;. Existimauit.n. hostis Christianos esse. Ignominiosè igitur factum est, vt primo illo congressu, Turci obstaculum non invenerint. At indies doctiores nostri facti paravere contra hostes machinamenta, quæ tamen avarè dabantur. Pulvis erat nitri modica, exigua, tela modica: bombardæ si aderant, incommoditate loci primum hostes offendere, macerieb' alueisq; tectos non poterant. Nam si quæ magnę erant, ne murus concuteretur noster, quiescebant: interdum in cuneos hostium emissæ, & homines & tentoria exterminabant. Nec enim in vanum iaciebantur, quas illisas hostes declinare non poterant. Itaque cadebant Turci icti ferreis telis lapidibusque. Vulnerabantur & nostri: qui quandoque vallum egredientes ad manus decertantes & occidebant, & occidebantur. Victoria ex hoc æqui tyronibus nostris, quod egrediebantur impavidi, quam Turcis dabatur. Verum quondam malo fato Iohannes Longus Ianuensis, de Iustinianorum

prosapia, duabus cum navibus suis magnis, & armatis circiter quadringentis mare decursitans, forte veniens stipendio ascriptus Imperatoris, ducatum militiæ obtinuit; strenue defensare vrbem visus, reparationi demolitorum murorum vigilantius agebat: Turci animum viresque deludere videbatur. Nam quanto hostis mole ingentis lapidis muros conterebat, tanto hic animosius sarmentis, humo, vasisque vinarijs intercompositis reparabat. Qua de re Turcus delusus, cogitauit non cessandum ab ictibus machinarum; sed fortiori cura, subterraneis cavis furari vrbem. Minerarum fossores, quos ex novo brolo conduxerat magistros accersiri iussit. Lignis instrumentisque advectis solerti cura, vti imperatum, actum est, vt mox per cuniculos tenderent, fundamenta suffodere penetrareque omnifarium vrbis murum. At cum à fundamentis (ô rem mirabilem) primum iam vallum & antemurale mirando cũ silentio subcavassent; Iohannis Grande Alemani ingeniosi militis, rerum bellicarum doctissimi, quem Iohannes Iustinianus militiæ dux centurionem conduxerat, industria & sagacitate opus detectum est: exploratorumq; id firmatum relatione, animos omnium commovit. Græci cum dudum Barsicham, Ammi, Amoratque genitorem huius pristinis bellis frustra laborasse in cavanda vrbe cognovissent, impossibile per hunc fieri posse firmabant. Quorum opinio ex facti evidentia confusa est. Itaque penetralia hæc nostris reconfossionibus detecta, vrbem non læsere: Timorem tamen ingentem à fundamentis confossa turris, ligneis stylis bituminatis innixa, nobis incussit. Sed vt res in lucem venit, repulsis igne & sulphure hostibus è latebris re constructa mox timoré excussit. Composuit perinde ligneas turres iuxta vallum, humo plenas, pellibus boum circumtectas, ex quibus fossatis clam terram quisquiliasq;, vt facilis eis fieret ingressus, immittebant. Crates deinde innumeras ex virgultis viminibusq; contextas, cattos oblongos scalasque rotatas, currus castellatos taliaque machinamenta, quæ vix Romani adversus Pœnos cõstruxissent. Bombarda prę terea illa ingẽs, eo quod Caligaream strenue reparatam adversus non proficeret, alium locum Bactatineæ turris, iuxta Sancti Romani portam inde dimota, lapide in ea æstimatione mille ducentarum librarum interdiu collidit, collisum concutit: concussum exterminat. Ruina turris antemuralis fossatum replet, æquatque: Ita vt via hostibus, qua decurrere possent, strata cerneretur: nisi quia concitè introrsum, vti in Caligareæ demolitione reparatio facta fuisset haud dubio impetu vrbem intrassent. Itaque Turcus demolitum, quam primum restauratum vt conspexit murum: Non Græcorum, inquit, sed Francorum hoc ingenium est: vt tanta resistentia fiat, tanta pugna: quos nec innumeræ sagittæ, nec machinarum lignearumque castrorum horror, nec intermissa obsessio deterret.

Agebant

Agebant interea Galatæ, sive Perenses, quanquam prudentius, ne in Propontide castrum struxisset Turcus solicitam providendi curam nunc armorum, nunc militum, clanculum tamen, ne hosti, qui pacem cum eis simulabat, innotuisset: quæ res renuisset, ne auxilium postl ac Græcis conferre potuissent. Sic simulata illa pax vrbi ad tempus profuit. Ego iudicio meo, ni fallor, arbitror apertam guerram Perensibus à primo salubriorem, quam fictam pacem. Quidam Turcus neque castrum, quod demolitionis eorum causa fuit, condidisset, neque guerram posthac tam terribilem intulisset. O Genuenses iam quodammodo cicurati; sileo, ne de meis loquar, quos externi cum veritate diiudicant: Vbi sunt prisci inclyti Genuenses, qui Galatam accincti gladio, vti qui reparabant Hierosolymam condiderunt? illi cum effuso cruore & ære: vos ne æs vestrum cupidi & sanguinem effunderetis, cum vecordia illam mundo decoram Turco tradidistis, si tamen tradere potuistis. Sed (vt historiam prosequamur) interea fatigati nostri de præsidio diffidebant. Nam neque ex Genua, neq; ex Venetijs, quibus (pace eorum dicam) mitti debuit, auxilium mittebatur, Neque aliunde spes erat, nisi ex Deo cuius qui prudentius tarditatem metiebatur, ex mysterio fieri autumabat, quod infidelitas, irreligio, magnaque crimina DEVM potius irritabant. Vide, Beatissime pater, quam dignum, quam rectum iudicium! Celebrarunt vnionem Græci voce, sed opere negabant. Aiebant quidem Magnates, quorum cruor hostili gladio iam irrigat terram: Detur summo Pontifici commemorationis honos: sed decretum Florentinæ Synodi non legatur. Cur hoc hypocrita? Vt deleatur (inquit) ex decreto, quod Spiritus Sanctus ex filio, quemadmodum ex Patre procedit. Cur item hypocrita, ne errasse videantur Græci, si dicant duos Sancti Spiritus productores. Sed cur iterum obsecro hypocrita? Ne detur ei, qui totam sibi ex officio captare cupit gloriam. intendebat ex vna parte Scholarius, ex altera Chirluca, quandoque ad præsentiam semet Apostolicam conferre, vt hi essent qui soli rem intellexisse viderentur, quique primi laudarentur tantæ vnionis autores. Adversus enim legatum multi invidia clanculo torquebantur. Ergo dixi: Paterisne, Imperator ô, vt hæc ambitio scindat Ecclesiam, vt huius gratia divina ira magis magisque merito accendatur? Cur non è medio pertinaces illi tolluntur? Acquiescere Imperator visus, Metropolitas ad concupiscendum Scholargum Isidorum, Neophytum complicesque, iudices constituit, verbo quidam non facto. Nam si pusillanimitatem Imperator excussisset, hanc fidei illusionem vindicasset. Qui enim hominibus, DEO spreto, complacet, vtique confundetur. Cohercendi quidem illi erant, qui si fuissent, morbum pestiferum non propagassent.

Sed

Sed ignoro, vtrumne Imperator, aut iudices damnandi quibus correctionis virga, quanquam minæ intercessissent, aberat. Continuata igitur obsidionis tempestate, clausa vrbe, ducentarum & quinquaginta fustarum ex diversis Asiæ, Thraciæ, Pontique littoribus contra vrbem disposita classis venit: inter quas triremes sex, & decem biremes: septuaginta reliquæ fustæ vnis Banchoremis: Cymbæ etiam barculæque sagittarijs ad ostentationem plenæ vehebantur: quæ cinctum cathena portum & manibus rostratis bene armatis, Genuensium septem Cretensium tribus colligatum intrare non valentes, minus ad stadia centum Propontidis ripa anchoras figũt. Et cũ proximare nõ auderent, mare è longè sulcãtes, lignamina, aliaq; machinamẽta castris opportuna deferebant. At cũ Turcus tribus iam in locis concussos lapidibus muros machinis desperaret: memoratu cuiusdam infidi Christiani ex colle biremes intromittere orat. Est enim portus ille, Beatissime Pater, in longum angustumque protractus: cuius orientalem plagam colligatæ naves & cathena muniebant: inde hostibus aditus impossibilis erat. Quare vt coangustaret circumvalleretque magis vrbem, iussit in via æquare: exque colle suppositis lenitis vasis lacertorum sex, ad stadia septuaginta trahi biremes, quæ ascensu gravius sublatæ, posthac ex apice in declivum, ad ripam levissimè sinus introrsum vehebantur. Quam novitatem puto, Venetorum more, ex Gardaæ lacu, is qui artificium Turcis patefecit, didicerat. Ita nos magis territi, cogitabamus eas aut igne aut lapide exterminare. Sed neque hoc profuit: naves illæ maioris nocumenti nobis erant, machinis vndequaque tutatæ. Sic iam perdito portu, necesse fuit ex postis, vt maritimos custodiremus, muros deminuere milites. Proinde hoc ingenio non contentus Turcus, aliud quoque, quo nos terreret, magis construxit, pontem videlicet longitudinis stadiorum circiter triginta, ex ripa vrbi opposita, maris qui sinum scinderet, vasis vinarijs colligatis, sub constructis, confixisque lignis, quo exercitus decurreret, ad murum prope vrbis iuxta fanum: imitatus Xerxis potentiam, qui ex Asia in Thraciam Bosphoro exercitum traduxit. Non restabat ergo nisi navium cathenæque diametralis tuitio, quæ transitum ingressumue classi prohibebat.

Interea ex Chio in nostrum subsidium tres Genuenses armis, militibus frumentoque conductæ naves: vnam Imperatoris, quæ ex Sicilia frumento onusta advenerat, comitem ducebant: Quas vt mox vicinas vrbi classis, quæ excubabat, applicare vidisset: concitè strepentibus tympanis, tubisque sonantibus, intuentibus nobis obuadit, fingens Imperatoris navem expugnare velle. Turcorum Rex ex colle Perensi, fortunæ exspectans eventum, prospicit. Fiunt tunc celsi clamores: triremes maiores navibus hærent: tentant Imperialem, sed protectam à nostris audacius invadunt,

invadunt; certamen ineunt; focum machinis adhibent: sagittas jaciunt. Sic atrox pugna committitur. Naves Mauritio Genuense Catano imperante ex adverso repugnant: Ibi Dominicus de Novaria & Baptista de Fellictano, Balauerij patroni Genuenses arduè pugnam prosequuntur. Balistarum horribilium missilia jaciuntur; exque coronis navalibus infra Turcorum commixtam classem infiniti lapides demittuntur. Tuetur se egregiè Imperatoris navis: succurrit Flectarella patronus: Bombardæ perstrepunt; fit vlulatus in cœlum: confringuntur galearum remi: Turci sine remissione sauciantur. Rex qui ex colle circumspicit, quòd classis perit blasphemat: vrget equum in salum; vestimenta cum furore conscindit; ingemiscunt pagani, & totus exercitus affligatur. Quid vltra? Bellum recēsetur: invalescit pugna: & tantis classem telis lapidibusque obruunt; tot Turcos occidunt: vt declinato Marte ad littus remeare non possint. Exploratorum & profugorum relatu didicimus, quod decem propè millia ceciderunt; alij gladio perempti, & sagittis, & machinis: alij confossi vulneribus, flebilem exercitum reddiderunt. Erant quæ invaserunt naves inter triremes & biremes circiter ducentæ. Convulsa tunc regis ambitio est, parvique reputata potentia quod tot triremes navē saltem vnam ceperint. Naves ergo (Deo gratia) non læsæ, nec vno saltē homine pdito: aliquot tamen vulneratis, noctu salue cū jucunditate portū intrant. Rex contra classis præfectum Balthoglum oppidò indignatus precibus Baronum concessa ei vita, sententiam tulit, quod officio & bonis omnibus priuaretur. Cogitavit itaque odio accensus in naves ex colle Galatæ orientali plaga, vel eas lapidibus machinarum obruere, vel à Cathena depellere. Dispositis itaq; & ex ripa Occidentali Bombardis, satagit omni acuitate artificis naves infringere: referens Perensibus, quoniam, vti dixerant, piratarum erant, quos Imperator condixerat, contra eas agere velle, quæ inimicorum suorū essent. Itaque artifex, cui provisio negata fuit, ex nostris, ad Turcos reductus, quanto ingenio potuit, naves frangere studuit: Nescioque quo fato resultans bombardæ à collæ lapis, centurionis navem, fortè ob crimen vno ictu confodit: quæ extemplo mercibus onusta, fundum mersa reptijt, maximum discrimen quidem inferens. Quo casu reliquæ ne confringantur muro Galatæ protectæ hærent. Mirandum quidem Dei iudicium, vt immissis quinquaginta & centum prope lapidibus, quibus perforatæ multæ Galatæ domus, & cum mulier optimæ famæ interempta fuit, inter triginta conglobatas illa sola perijt.

Erant proinde in portu triremes mercatoriæ tres Venetæ, duæq; agiles in portum ad tutelam earundem designatæ: quas magno cum hortatu Imperator auri in menses propè sex pro tuitione vrbis restare fecerat, quæ pacem cū Turco simulantes, non nisi clanculū præstabant Græcis patrocini-

um. Verum cùm notulæ fugæ aliquándiu earum patuissent; tum quod merces ex fundis supellectilemque traducebant, actum est, vt nullo pacto, quòd populum titubassent, prohibitione Imperatoris quæ restabant traducerentur; quinimò deonustæ in terram reportarentur. Res hæc Venetis indignationis fomitem ministravit; vtpote quod libertate, priuilegijs pro honore dominij eorum nactis, verecundius priuarentur. Sed sedatis posthac animis suo arbitrio relicti, spondent Veneti omni fide & studio ad finem vsque belli tueri vrbem. At posthac inter Venetos & Genuenses Gatatæ oborta dissensio est: quod alter alteri fugæ suspicionem exprobrassent; asserentibus Venetis, vt tollatur suspicio: quòd è navibus suis gubernacula carbasaque apud Constantinopolim in saluo deponant: Indignati Genuenses: Et si pacem (inquiunt) consulto etiam Imperatoris, pro salute Græcorum, quæ communis est, qua proba dissimulatione supportamus cum Turco. Absit tantum facinus, vt Peram toto orbe pulcherrimam, vxores, liberos, thesaurosque deseramus: quam vsque ad sanguinis effusionem defen[illegible]re disponimus. Gubernacula carbasaque nostrarum navium, ne exiguo precio inclytus Genuæ decor apud vos sit, non in aliena potestate sed in nostra servabimus. Nunquam fugæ licentia nobis datur, si res nostras arbitrio nostro servamus. Pacata posthac cuncta sunt, agentibus Venetis de triremibus suis, vti voluissent.

Crescente proinde angustia consultum est, si quomodo intromissas hostium fustas vrere nostri possent: Clanculoque vna dierum ante lucem duabus nauibus per Iohannem Iustinianum capitaneum dispositis, cum aliquot biremibus ad ripam vehendis, putato foco & machinis: fit detractis navibus dato ordine, vt cymbæ rectæ, quas Barbotas dicimus, biremesque sequerentur: hoc ideo vt munitæ saccis lana plenis naues, prius ex machinis acciperent lapidum ictus.

At Iacobus Cocha, vir Venetus, armatam & nautis triremium Venetarum imperialem biremem juxta ordinem datum, gloriæ & honoris avidus, laxatis remis, prævenientem convertit; moxque vt ab hostibus cernitur (heu gravem sortem bombardæ,) lapide medio penetratur: cum omnibus armatis æquore biremis absorbetur. Heu Pater beatissime grave discrimen vt vno ictu Neptuni furor immerserit. Etenim res hæc detecta relataque Turcis agit, vt dum nostri percutere voluere, ipsi prius percussi sint. Sed quid dicam, Beatissime Pater? Accusarene quempiam licet? silendum mihi est. Qui casus acerbum luctum nostris dedit; & vnde exierunt, naves cum confusione retraxit. ex mersis inde supernatantes quidam ad litus capiuntur ab hostibus; quos impius rex ante oculos nostros crastino decollari iussit. Nostri exacerbati, quos habebant captiuos carcere,

cere,

cere Turcos ad muros in suorum prospectu immanius trucidant; sicq; impietas crudelitate commixta bellum atrocius fecit.

Simulavit posthac Turcus pacē facere velle; exploratorib' ficte referētib' pœnituisse eū, q̄ guerram, quasi stimulatus ab Vngaris intentasset: statuitque caduceatorem. Sed hæc res conficta patuit: Qui nec demoliri oppidū, quod in Propontide struxit, nec restaurare, quæ vastarat, permittebat. Quodque magis angebat, infidentia erat Turci, qui iusiurandum fœdusq; nunquam servarat. Cur igitur pacem quærit immanis & infidus hostis? Percunctatus ex more esse intellexi, vt antequam certamen generale committant, hostes optione pacis petendos, ne ea prætermissa, Deum non propicium sed iratum in tanto Marte sentirent. Itaque delusionem eius præscientes salutem nostram Deo commisimus; dies nostros dinumerantes in amaritudine cordis, & plenitudine, letanijs, sacrificio, thure, prece placandum Deum prædicabamus: ieiunia indiximus imperare nostris, vt solus Deus pugnare pro nobis dignaretur. Sed quid proderunt DEO missæ preces, si ex corde non sunt, si pollutæ manus habentur; si impia & inconfida corda consistunt; Iniquitates enim diviserunt inter nos & Deū: Sabbata nostra, Kalendæ, incensum, sacrificia in abominationem versā sunt: Et quem propicium sperabamus habere Deum, habuimus scelerum nostrorum vltorem.

Pauci admodum & maiore numero ex Græcis imbelles, scuto, lancea, arcu, gladio, natura potius quam arte militabant; maiores galea, thorace, lorica, gladio, lancea: quidam in arcu & balista doctiores, sed propugnaculis impares numero agebant, quoad sciverant & poterant. Cadebant Turci, qui audacius adhærebant. Sed quid si centum in die cecidissent, innumeri illi quanto cadere, tanto resurgere plures videbantur. Si vnus ex nostris cecidisset, tum præcipuè cordatus vir, centum perdidisse flebamus; Græci ad sex milia bellatorum non excedebant: Reliqui, siue Genuenses, sive Veneti, cum his qui ex Pera clam ad præsidium accesserant vix summam trium millium æquabant. Sed quid agimus in ore leonis? quid frivola in ore vrsi? quid vnus contra mille? Etenim nostri vix vrbem ponto terraque obsessam circumvallatamque, quam octo & decem milliaria complectuntur, muniebant.

Sed ô Græcorum impietatem, ô patriæ direptores, ô avaros: quos cum sæpenumero lachrymis profusus inops Imperator rogasset vt pro militibus conducendis pecuniam mutuarent, jurabant se inopes, exhaustosque penuria temporum, quos posthac ditissimos hostis invenit. A paucis nihilominus, quædam vltronea oblatio facta est. Cardinalis hercle omne studium habuit in ferenda ope, in formandis turribus & muro.

Quid autem Imperator perplexus agat ignorat; Consulit Barones; suadent non molestari cives angustia temporis; sed recurrendum ad sacra. Auferri igitur & conflari iussit ex sacris templis sancta Dei vasa: sicuti Romanos, pro necessitate temporis fecisse legimus; exque eis pecuniam insigniri, darique militibus fossoribus constructoribusque, qui rem suam, nō publicam attendentes, nisi ex denario convenissent, ad opus ire recusabāt. Angustia igitur afflictus Imperator, dispositis in propugnaculis militibus, quod potuit, antemurale solum vrbis vallumque sat videbatur tutari posse. Bellum itaque, paucitate suorum diffidens, tolerat: & spem omnem in Iohanne præfecto Iustiniano reposuit. Bene quidem, si fata secundassent. Iuxta ergo se eodem capitaneo cum trecentis Commilitonibus Genuensibus posito, splendidis refulgentibus armis, delectis quidem coadiunctis Græcis aliquot strenuis, circa illam partem murorum sancti Romani reparatorum, vbi magis vrgebat pugna, Imperator stetit. Mauritius inde Catanæus vir nobilis Genuensis præfectus, inter portam Pighi, id est fontis, vsque ad auream, cum ducentis balistarijs commixtis etiam Græcis, contra ligneum castrum, pellibus boum contectum oppositum accuratè decertat. Paulus Troilus, Antonius de Bochiardis fratres, in loco arduo Miliandri, quo vrbs titubabat, ære proprio & armis, summa cum vigilantia, noctu dieque & spingardis horrendis, & balistis torneis viriliter pugnam sustinent: qui tanta animositate, nunc pedes, nunc eques, defendūt, vt Horatij Coclitis vires, repulsis hostibus æquare viderentur. Nam nec muri fracti concussione, nec machinarum turbine territi, æternam sibi memoriam vindicant.

Theodorus Charistino senex sed robustus Græcus in arcu doctissimus, Theophilusque Græcus nobilis Palęologus literis eruditus, & ambo Catholici, cum Iohanne Alemano ingenioso, Caligaream concussam reparant, proteguntq;. Contarenus inter Venetos clarissimus, & cum Contareno capitaneus, Aureæ portæ & adiacentes turres vsque omnia maris viriliter pondus sustinens, hostes impugnat. Græci proinde alij suis distributi propugnaculis, aciem, mare, terramque in vrbis gyrum prosequebantur. Palatij imperialis cura Bailo Hieronymo Minotto Venetorum commissa est.

Cardinalis à consilio nunquam absens S. Demetrij regionem ad mare defensabat: Cathalanorum consul turrim ante Hippodromium tutabatur; versus orientalem plagam. Chiiluca curam portus totiusque maritimæ regionis invigilabat ad deferēdum pręsidium. Hieronymus Italianus, Leonardus de Langasco Genuensis cum multis socijs Chsiloportam & turres quas Aveniadas vocant, impensis Cardinalis, reparatas spectabant.

Flami-

Flamines Monachique supra muros vndequaque collocati pro salute patriæ excubabāt. Gabriel Triuisanus subtiliū galearū nobilis Venetus cordatissime à Turci Fani vsque ad imperialem portam ante sinum cum quadringentis Venetis egregijs decertabat. Grossarum vero galearum præfectus Andreas Dicio cum reliquis triremes potius pavidus, quam portam, custodiebat. Naves proinde armatæ buccinis iugiter & vlulatibus Martem invitabant. Demetrius socer, Palæologo, Nicolausque Gudelli gener, præsidentes vt decurrant vrbem, cum plerisque in succursum armatis reservantur. Taliter ergo pugnatoribus, siue ducibus, sive tyronibus ordinatis, expectabatur constituti Martis generalis insultus: quo sæpenumero territi Græci postes, nunc agris nunc vineis colendis, nunc voluptatibus laxati, ex industria declinabant. Fingebant quidem rei familiaris curam, etiam qui graves videbantur: Alij inopiam accusabant, qua ad opus lucrandi gratia cogebantur. Quos cū absentes corripuissem, periculum non modo suum, sed omnium Christianorum allegans, respondebant: Quod nobis cum castro, si penuriam sustinet domus mea? ita quod magna vis erat reducendi ad muri custodiam. Ob hoc, paucitatem hostes captantes pugnantiū, audaces facti, viminis vasa, quæ in propugnaculis posuerūt nostri, demolito muro detrahebant. Quandoque itidem lapidem ingentem vallo ex resaltu collapsum, quem magna illa bombarda muro iniecerat, cum rubore nostro, cum retiaculis extra ducunt, reproijciuntque. Sed vbi custodes, vbi milites evagantes, vbi lapides, vt prohibeant vel repellant? O quam malum præsagium! Quid erit, inquam, quando velut torrens Tigris irruet exercitus? Ordo proinde ex hoc datus est vt panis per familias æque distribueretur: ne illius curandi gratia, vti se excusabant, à castro recederent: neque famem potius populus, quam gladium, expavesceret: Quam quidam humanum sanguinem sitientes, vel occultato frumento, vel aucto pretio prætendebant. Sed hæc iniquitas non fuit causa mali, sed ordinis confusio: severitas à Principe aberat: nec compescebantur verbere aut gladio, qui neglexissent obedientiam. Idcirco quispiam suis efferebatur voluptatibus blandimentisque. ex natura demulcebant iratum Imperatoris animum. delusus improbe à suis bonus ille dissimulare malebat iniurias. Interea capitaneus generalis Iohannes Iustinianus, totius fortunæ observator, vt præsensit proclamatione Turcum præsto daturum certamen, agebat confestim murorum, quos machina contriverat, reparationem: petiuitque sibi à Chirluca magno duce consulari communes vrbis bombardas, quas contra hostes affigeret. Quas cum superbe denegasset: Quis me (capitaneus inquit) ô proditor, tenet, vt gladio non occumbas meo? Qua ignominia indignatus, tum quod Latinus ei exprobrasset, remissius post rei bellicæ providentiam gessit: Græciq; iā secretius

quod Latinis salvandæ Vrbis gloria dedita esset, odiosè ferebant. At capitaneus, Iohannes Mauricij Catanæi præfecti, Iohannes de Careto, Paulus Bochiardi, Iohãnes de Fornarijs, Thomas de Salvaticis, Lodixij Gatilusij, Iohannes Illyrici, aliorumque Asiaticorum Græcorum cousultu, acies mu nimentaque refecit. Cuius providentiam Turcus commendans, Quam vellem, inquit, penes me præfectum illum Iohannem honorandum. Magnis hercle donis auroque multo corrumpere illum studuit: cuius inflectere animum nunquam potuit. Operosa autem protegendi vallum & antemurale nostris fuit cura: quod contra animũ meum semper fuit: qui suadebã, in refugiũ muros altos primos nõn deserendos: Qui si ob imbres negligentiamq; vel scissi, vel inermes propugnaculis essent, à primo dũ propositum guerræ intervenit, reparari potuissent, reparandi custodiendiq; erant: qui non deserti, præsidium vrbi salutis contulissent. At quid dicã? arguãne principem, quem semper præcipuo honore veneratus sum: cuius fidem erga Romanam Ecclesiam intellexi, nisi pusillanimitate vinceretur. an potius eos qui ex officio muros reficere debuissent? ô quorum animæ forte damnantur, Mãuelis Giagari dudum inopis, & Neophyti Hieromonaci Rhodij si audeo dicere, prædonum, non conservatorun Reipub. quibus veluti Reipub. tutoribus, aut ex avitis intestatisque bona relicta, muris asscribi debebant, priuatis potius commodis impendebant. Primus viginti propè millium florenorum servus proditionis Monachus, quos posthac reconditos vrna septuaginta millium gazam relinquunt Turcis: Idcirco vrbs prædonum incuria in tanta tempestate perijt. At cum omnia Græcorũ inepta opera reprehendantur, non mirum si hoc illustre sanctis imperatoribus institutum monimentum egregium Reiq; publicæ tutamentum, esca prædonibus fuit: quam postea serò si reparare voluerunt, duo defuerunt, æs & tempus: quæ poterant, si guerram intendebant, opportunius & importunius extorquere: sed innata non sinebat procrastinationis ineptia. Omnem ergo spem in fossatis & antemurali posuerunt: quibus tandem perditis, ad altissimum desertum murum coangustatis, habilitas non fuit. Prudentius Hebræi, qui perdito vno muro, deinde ad secundum, tum ad tertium se contulerunt: quibus annis quatuor Vespasiani atque Titi obsidionem tulerunt. Vox inter hęc ex castris exploratorum relatu fit, quod triremes navesque aliquot in subsidium ab Italia mitterentur: Et Iohannes Pannonum dux exercitus, Blancus vulgo nuncupatus, ad Danubium contra Turcum congressurus adventasset: qua concitatus exercitus discinditur. Cur, inquiunt, tanta mora periclitatur exercitus frustra contra muros pugnaturi? adversus regem Turci clamant. Etenim quanquam maximus numerus esset, quanquam infinitis sagittis machinassent vrbem, vtpote ad muros invadendos timidi, væcordes, victoriam diffidebant.

Calilba-

Calilbascia enim regis vetustior consularis Baro, gravitate, consilio, rerumq; bellicarum experientia pollens, Christianis favens, regi semper dissuaserat, ne vrbem Constãtinopolis molestaret: eò ꝙ fortitudine providẽtiaq; non tam Græcorum, quam Latinorum munita, inexpugnabilis erat: proavorum patrisq; guerras annis multis tolerasset. Quodq; peius, quia ei iniuria lacessiti omnes Christianorum reges, principesq; ad eandem tuendam facile provocarentur. Tu ergo Rex (inquit) pacem da tuis: noli Genuenses Venetosq; vicinos, qui tuis semper proderunt, hostes reddere, iramq; Christianorum adversus gentem tuam provocare. Maxima est potentia tua: quam pace maiorem facis, quam guerra. Finis .n. belli varius est: quem adversitas sæpenumero magis, quam prosperitas, comitatur. Zaganus iunior, secundus consularis Baro, Christianorum hostis, tum pręcipuè Calilbasciæ æmulator, maximam esse regis sui potentiam, adversum quẽ nulla gẽs possit, suasit contra Græcos guerram, potentiam exiguam habentes: quorum mænijs machinis collidendis exercitus innumerositate & diutina fatigatione, qui nec ex Italis expectassent præsidium, faciliter expugnandos Nec voce illa revocandum esse regis animum, quæ conficta fuisset: Genuenses scissi, Veneti oppressi ab duce Mediolani, nullum daturi sunt præsidium. Thuracan Thracialis militiæ princeps, Calilbasciæ commendare propositum non audens, ad guerram regem animavit. Eunuchus Tertius cõsularis Baro dicta confirmat. Iuniores igitur belli duces: ô rex, inquiunt, quis peremptor, gentilitatis nostræ timiditatem nobis incutit? Decet invictissimum principem nostrum res magnas & cogitare, & aggredi, & quemcunque eventum permagnifice ferre. Zaganus proinde vt vidit multitudinẽ bene dispositam: Da, inquit, bellum, Rex: quoniam dijs faventibus, victoria gloriam consequeris. His itaque verbis animosior factus Rex, Fortunam (inquit) tentare licebit. An Macedonis potentia, mea maior fuit, cui orbis minore cum exercitu paruit? Quis aut genitor meus, aut avus, aut proavus, tanta potestate, tantis machinis, vt ego, vrbem hanc oppressit? Constitue Zagane diem belli, compone exercitum: Peram, ne subsidium hostibus conferat, circumvalla: & quæ ad militiam spectant, omni cum maturitate dispone.

Itaque vt Calilbascia senior consularis complacuisse regi Zagani ęmulatoris sui consilium intellexit, diffinitumque esse certamen, clam internuncijs admodum fidissimis, vt amicus, Imperatori cuncta denunciat: hortaturque vt non expavescat temulentissimi adolescentis insaniam: nec terreri minis eorum qui magis timuissent: nec indoctiore multitudine commoveri: custodes sint vigiles & pugnam perseverantes expectẽt. Frequentes enim Epistolæ ad Imperatorem ex Calilbascia portabantur. Ergo proclamatum est in castris edicto, vt quarto Kalendis Maij, die videlicet

delicet Martis, prævijs diebus tribus, quibus luminaria DEO accendant, DEVM invocent; integra die abstineant, parati sint omnes ad prælium: daturi Christianis generale certamen: altissimaque voce præcones voluntate regis vrbem triduo ad saccum esse bellatoribus donatam. Iuratque Rex per immortalem Deum, perque quatuor millia prophetarum, per Mahometum, per animam patris, per liberos, perque ensem quo cingitur omnem depopulationem, omneque hominum vtriusque sexus genus, omnemque pariter vrbis thesaurum atque substantiam, libere bellatoribus donatam: nulloque pacto, quæ iurat, violare. O si audivisses voces ad cælum elatas (*Illala, Illala, Mahomet Russolalla, scilicet quod* DEVS *est & semper erit, & Mahometus est seruus eius*) vehementer obstupuisses. Sicque factum est triduo: luminaria DEO accendunt; ieiunant die nihil vsque ad noctem gustantes: invicem congaudentes, invicem convivantes, se ipsos quasi ad inferos die certaminis abituri, osculis resalutant: Nos tantam religionem admirati, DEVM propitiatorē pfusis lahrymis precabamur, sacras imagines, processionaliter compuncti, per vallum vrbemque tranferentes, nudis pedibus: mulierum virorumque turbis consequentibus deprecabamur cum pœnitudine cordis: ne hæreditatem suam Dominus demoliri permitteret: & quod dignaretur fidelibus nostris in tanto certamine porrigere dextram: qui solus DEVS, & non alius pro Christianis pugnare potuisset. Itaque nostram spem totam in DEO ponentes, constitutum certaminis diem confortati vigorosius expectabamus: propter quod ascitis Senatu, Baronibus, belli capitaneis & commilitonibus ab Imperatore vniversis, sermo talis habitus est: Quoniam, viri nobiles, militiæ illustres duces, vosque commilitones Christianissimi; appropinquantem certaminis horam conspicimus, constituēdos vos hoc in loco proposui: vt planè siquidem intelligatis constantiam vestram magis ac magis firmandam, vt pote qui gloriose semper adversus hostes Christi dimicastis: iā patriā vrbemque toto orbe perinclytam quam infidus Turcus duos & quinquaginta dies coangustauit, vestris altis spiritibus commissam habeatis. Neque vos muri, mole ingentis lapidis ab hoste contriti exterreant: quoniam tota vis in Dei præsidio, in lacertisque vestris vibratis excussisque gladijs in hostes exercenda est. Scio indoctam illam multitudinem ex more magnis congressuram vlulatibus, infinitisque à longe sagittis: non personas nostras, quas iam strenue armatas conspicio, sed murum, thoraces ac scuta nostra impetere. Neque enim more equorum quos Pœni dum Romanos adversus decertarēt, per Elephantorum invisam horribilitatem deterrere voluerunt, vlulatibus eorundem, hac in pugna consternandi estis, aut fugandi, quin potius animandi herculè constantius. Bestiæ enim si fugantur à bestijs; vos qui homines estis magnanimi, bestias illas viriliter su-

ter sustinentes, in eosq; veluti agrestes apros lanceas mucronesque vestros transfigetis, vt intelligant, cum animalium dominis, non cum animalibus, eos bellaturos. Cognoscitis, quod impius & infidus hostis pacem nostram iniuste perturbavit: iusiurandum & fœdus inter nos exactum violavit: colonos nostros messis tempore interfecit; Coloniam depopulavit: Castrum, quod quasi ad vorandum Christianos sit, Propontide ædificavit; Galatamq; simulatione pacis circundedit. Minatur nunc Constantini Magni vrbem, patriam vestram, profugum Christianorum auxilium, & omnium Græcorum tutamentum capere: & sacra Dei templa equinis stabulis profanare.

O Barones mei, ô fratres, ô filij, Christianorum æternum decus defensare curetis. Vosque Genuenses, viri quidem magni cordis, & inclyti, qui infinitis victorijs triumphatis, qui vrbem hanc matrem vestram multis adversus Turcos certaminibus semper protexistis, eia agite, robur vestrum animositatemque contra eos viriliter ostendatis. Veneti, viri quidem potentissimi, quorum gladio sæpenumero Turcorum sanguis effunditur, quique diebus nostris per P. Iordano excellentissimum classis nostræ præfectum, tot galeas, tot infidorum animas ad inferos crebro destinatis, quique vti vestram hanc vrbem ingenuis & magnis viris decorastis: extollatis nunc celsos animos ad certamen: Vosque commilitones vestris præfectis omnem obedientiam exhibentes, intelligite, quod hic dies est gloriæ vestræ: in quo si sanguinis guttam fuderitis: coronam vobis martyrij & gloriam parabitis immortalem. Itaque finito sermone omnis Christianorum cætus cōstantem se animum habere spopondit. Repetit Imperator: Estote igitur omnes in actu virtute parati in crastinum quo DEO favente, vti speramus, victoriam consequemur. Confortati posthac Græci qui primum quasi pavidi bellum declinabant, virtuteque confirmati, privatis post terga dimissis rebus ad certamen, communis salutis eventum, constāter alacriterque conspirant: suisque per Capitaneos, duces, tribunos, centuriones, decarios, propugnaculis ordinatis, nocte ea quæ Martem præcedebat, maximis excubijs infra vallum, valuis vrbis, ne quisquam retrocederet, clausis, pernoctarunt. Audiunt igitur parari machinas, vehi castratas bigas: Vallis scalas rotatas admoveri. Classis inter hæc, vt circundet portum & vrbem, disponitur. Pons iuxta vrbis ripam applicatur: omniaq; machinamenta instantius præparantur: præpositisque minus robustis minus doctis, vt dum lux venerit robustiores milites sint recentes. Certamen inchoant: nostri magna cum animositate resistunt: hostes machinis & balistis repellunt: & ex vtraque parte proportionabiliter occiduntur. Tenebrosa nox in lucem trahitur, nostris vincentibus. Et dum astra cedunt, dum Phœbi præcedit Lucifer ortum: buccinis ex vtraque crepanti-

S bus-

bus parte, tympanis perstrepentibus, altissimis clamoribus missis, Illala, Illala, in Martem conclamans, conglobatus in gyrum consurgit exercitus. Vna ergo hora omnem terra & mari vrbem invadunt. Machinas primum excutiunt: sagittas cælum obscurantes immittunt. Contra nostri missilia invisa demittunt: Spingardas in globum jaciunt. Scinditur exercitus horribili Christianorum resistentia. Tunc fiunt clamores in cœlum: vexilla alacrius expanduntur: O mirandas bestias! consumitur exercitus, & immensurata audacia vallum intrare præsumit. Cadunt lapidibus obruti Turci, morti multi succumbunt: Et se inuicem conculcantes tentant per ruinam muros scandere. A nostris quidem strenüe repelluntur: sed vulnerati nostri multi, pugnam declinant. Stat Capitaneus Iohannes: stant cæteri in suis propugnaculis. Duces succurrunt vrbis Capitaneo deputati.

Imperator eia, inquit, viri fortes! iam laxatur exercitus hostium: corona victoriæ nobis vtique datur. DEVS nobiscum est; agite constantem pugnam. Inter hæc malo vrbis fato (heu!) Iohannes Iustinianus sagitta sub axilla configitur: qui mox inexpertus iuvenis, sui sanguinis effusione pavidus, perdendæ vitæ metu concutitur: & ne pugnatores, qui vulneratum ignorabant, virtute frangantur, clam medicum quæsiturus ab acie discessit.

Qui si alium suo loco surrogasset, salus patriæ non periisset. pugnam inter hæc arduam committunt. Imperator, vt vidit deesse Capitaneum, ingemiscens, quò scilicet ierit, percunctatur. Nostri vt se vident sine duce, resilire è locis incipiunt. Turci convalescunt: horror nostris incutitur. Desiderio enim cuncti desiderabant ex periculoso illo loco scire quid contigisset. Quod præfectorum, qui singula quę sinistra, vel prospera evenissent, nunciare debebant, negligentia prætermissum est: Terrebaturq; acerbum illud bellum, magno cum silentio his qui longè stetissent. Fatigabantur igitur nostri plurimum: & quem reparaverunt Bachatu cum murum: hostium compressione paulisper deserunt. Quo inspecto (Dij iudicant) Turci propter repletionem, quam ruina collapsa fecerat, ęquo calle posse transire: irruendum igitur est, inquiũt: & veluti impetuosus turbo, vno impulsu muros ascendunt; mox mænibus vexilla figentes hilaritate pleni clamant victoriam, gladio pugnant: & quo ad possunt, omni cum virtute nostros vel exterminare, vel subijcere moliuntur. At Imperator infelix, vt vidit Capitaneum desperatum: Heu me miserum inquit: peritne vrbs? O infortunatam sortem! siste precor Capitanee. Nam tua fuga alios incitat ad fugiendum. Non est mortale vulnus: patere dolorem; & siste viriliter, vt spopondisti.

At ille salutis, gloriæ, suique oblitus, vti altam quidem primò magna-

gna-

gnanimitatem ita posthac pusillanimitatem ostēdit. Debuit enim, si poterat vulneris dolorem sufferre, non recedere: si vir erat à seipso: vel saltem alium, qui stetisset, loco sui surrogare.

Franguntur ex hoc omnium commilitonum animi, hebetantur vires, & Capitaneum fugientem, ne pereant, insequuntur. Da clientulo, inquit Capitaneus, clavem portæ: quam mox reseratam satagunt magna cum compressione trāsire: Refugit Capitaneus in Peram, qui post Chium navigans, ex vulnere vel tristitia inglorium transitum fecit. Imperator insuper, ne ab hostibus capiatur: O quispiam, inquit, valens Tyro propter DEVM, ne Maiestas vafris viris succumbat, meo gladio me transfigat. Inter hæc Theophilus Palæologus vir catholicus, iā pdita vrbe me (inquit) vivere non licet: Turcorumque pondus aliquandiu sustinens, & decertans, securi discinditur. Ita Iohannes Sclavus Illyricus, veluti Hercules se opponens, multos prius mactat: deinde gladio finivit vitam hostili. Se invicem post nostri, vt portam ingrediantur, vita oppressi pereunt. Quibus innixus Imperator cadens atque resurgens, relabitur: & compressione princeps patriæ è vita demigrat. Perierunt igitur ex nostris & Latinis & Græcis se invicem conculcantibus in portæ exitu circiter octingenti. Inde Turci altum murum decurrentes, ex alto, quos possunt lapidant: Cuneusque vnis vocibus per antemurale descendens, in fugam omnes nostros compellit. Rumorem iacturamque ex fugientibus audientes Paulus Troilusque Bochiardi, viri Latini, vrbis cives cum aliquot Græcis strenuis Latinisque equis insidentes, ob invidos evadunt hostes: forte maiorem numerum, quam essent, autumantes, terga vertunt. Paulus in Turcum vrget equum: lanceaque vnum transfodiens, cæteros in fugam vertit: Et ne ex alto lapidibus obruantur, ad Troilum: Heu! perijt inquit, civitas, nosque facilè ab hostium multitudine circumdati, spem vitæ perdemus. Et sic ictus securi Paulus in vertice, fuso cruore cum fratre post redemptionem ad Galatam confugit. O rem mirabilem! ô stuporem! Necdum Phœbus orbis perlustrat hemisphærium: & tota vrbs à paganis in prædam occupatur. Concite igitur omnes pedites decurrunt, quosque resistentes gladio feriunt, imbecilles, decrepitos, leprosos atque infirmos trucidant: Obsequentibus vitam parcunt. Sanctissimę Sophiæ admirandum templum quod nec Salomonis æquat, profani atq; infidi ingredientes, nullam sacris aris reverentiam neque sanctis imaginibus habent: quin potius exterminant: oculos sanctorum suffodiunt: Sanctorum quoque reliquias vel dilacerant, vel dispergunt sacrilegæ manus, mox sancta Dei vasa vsurpant, argentum aurumq; tā sanctarum imaginum, quam mulierum, sacculis infarciunt. Fit clamor & vlulatus ad cælum: & omnis sexus, homo omnis, omne aurum, omne æs, omnis supellex, omnisq; vrbis substātia in prædā vertitur.

Securibus ſcrinia ſcindunt: fundos fodiunt pro theſauris: qui reperiuntur, & novi, & veteres: vt nulla ſit vrbs ſeculo qui tantis affluat: & omnes abſconditi in manus eorum pervenerunt. O Græci iam miſeri & miſerabiles, qui inopiam fingebatis! Ecce iam in lucem venerunt theſauri, quos pro vrbis ſubſidio denegaſtis. Triduo igitur in prædam decurſam civitatem depopulatamque regis Turcorum ditioni dicati ad modum relinquunt. Traducitur ad papiliones omnis ſubſtantia & præda: vinctique omnes ad ſexaginta millia funibus Chriſtiani captivantur: Cruces ex templorum apicibus parietibuſque evulſæ pedibus conculcantur: violantur mulieres: virgines deflorantur: mares iuvenes in turpitudinem maculantur: Sanctimoniales reliquæ, etiam quæ apparentes fuerunt, luxu fædantur. O Deus meus, quam iratus videris! quam immiſericorditer faciē à fidelibus avertiſti! Quid dicam? Silebo aut narrabo in Salvatorem & ſanctas imagines illatas contumelias? parce mihi Domine, ſi tam fædum ſcelus enarro. ô confuſionem Chriſtianorum, ſi Chriſti Dei iniurias vindicare retardent! Sacras Dei ſcilicet ſanctorum effigies humo proſternunt: quibus ſuper, non modo crapulam, ſed luxuriam complent. Crucifixum poſthac per caſtra prævijs tympanis deludendo deportant: ſputis, blaſphemijs, opprobrijs iterum proceſſionam liter crucifigunt: pileum Turcicum quod Zarchula vocant, capiti ſuperponentes, deridendo: Hic eſt DEVS Chriſtianorum. O Dei patientiam! bene videris iratus bone Ieſu: vt pro peccatis noſtris tantas iniurias iterum toleres indigniſſimus. Parta autem victoria, Turci Bacchanalia feſtoſque dies celebrant: quibus Rex forte temulentior factus ſanguinem Bacho miſceri voluit humanum. Vocatis igitur ad ſe Chirluca cæteriſque Baronibus conſularibus reprehenſis, quod non ſuaſiſſent Imperatori, vel pacem petendam, vel dandam ſuæ ditioni vrbem: Chirluca, qui cogitaverat eius gratiam captare, adverſus Perenſes Venetoſque qui arma, milites conſiliumque dediſſent, culpam retorquere curavit: quorum gratia Imperator reſiſtentiam feciſſet: volenſque ille miſer, qui ſemper gloriam mendacijs & ſchiſmate captare concupiuit, Calibaſciam vetuſtiorem, loco & prudentia primum Turci Baronem amicum admodum Græcis, quod erebris literis ad Imperatorem miſſis eius animum detraxit: vtque fortis ſtaret, accuſavit; epiſtolaſque ſeruatas in fide Regi præſentavit. Quibus oppidò commotus, nactam terram Peræ, neſcio niſi Deo revocante, & demoliri & trucidare diſpoſuit. Calibaſciam ex hoc primum vinctū mancipari turri: deinde omni auro & ſubſtantia privari: poſthac in Adrianopolim tranſlatum, vita privari iuſſit: Cuius mortem lamento flebili ægrè totus exercitus tulit. At Chirluca malitia pænam non evaſit: qui protinus perditis, primum in bello duobus liberis maioribus, alio impubere, luxui regali reſeruato, coramque oculis tertio filio cæſo, cum

so cum cæteris Baronibus decollatur. Bailum itidem Venetorum, reliquosque delectos nobiles, & filium gladio extingui iubet: Consulemque Caraconensium, cum duobus: pariter etiam Catharinum Contarenũ, virum humanissimum, cum sex nobilibus Venetis, iam primum redemptis, contra omnium fidem, nisi septem milibus aureorum vitam emissent, morte vtique affecisset. Expletis autem Bacchanalibus, concessa licentia, traditis in captivitatem Græcis, fortè patriam non visuris, in suas regiones Turci revertuntur. O miseros & miserabiles Græcos, qui Latinos prohibuere, ne sacra contrectarent, vel aris libarent suis quas iam profanis & collimosis dederint: & qui vnionem fidei contempserunt, iam quoque dispersi in vnum peccati pœna convenire non possunt. Hæc præcogita, Pater beatissime: qui vices Christi geris in terris: cuius interest tantas Christi iniurias & fideliũ vlcisci. Igitur moveat te divina pietas: & miserere Christianitatis tuæ: qui scis & potes: cui ad nutum omnes Christiani principes vindicaturi Christianorũ iniurias facilè obtemperabunt. Alias scito in tantam iam superlatum Pompam: vt non erubescat dicere, sinum Adriaticum penetrare, Romamque se venire velle. Moveat igitur te iterum, Pater beatissime, fides Petri. moveat Christi inconsutilis amictus, spongia, & mucro perditi, delaceratæ Sanctorum reliquiæ, ædes sacræ eversæ, & profanata sterquilinijs Dei templa.

Sed vide connexam pariter iacturæ tempestatem: vt Perenses dum vrbem captam vident, in fugam quasi amentes vertantur. Fiunt ex ipsis qui nondum naves ascenderant Turcorum ad ripam incursantibus, fustis in prædam: captiuantur matres liberis relictis & econtra. Alij æquore compressi merguntur: gemmæ sparguntur: & invicem se ipsos sine pietate prædantur: vt verum sit, quod fugit impius, nemine persequente. Quid dicam? ô potestas Peræ! ô pravum & insulsum tuorum Consilium.

Oratores terrore concussi à Perensibus Regi vt claves offerant, mittuntur. Ille periucundè intelligens, quod potestatem non habeant, suscipit, in servosque fœderatos acceptat. Constituit Turcum rectorem: proscribit fisco omnium perfugorum substantiam: Turres murumque civitatis dirui iubet: obtemperant, & se, vt salvi sint, ei, neglecto Genuæ mandato, mancipant: Turremq;, in cuius acumine Christi signũ crucis, à quo & denominabatur, vsque ad fundamenta evertit: Sicque qui liberi erant, pacemque tenebant, iam servi sunt non sine pœnitudine: à qua vix vnquam liberari poterunt, nisi à te Pontifice summo: Quem vt DEVS animet ad vindictam, oramus fidentius, supplicesque precamur. Datum ex Chio. XVI Augusti, MCDLIII.

 ISIDORVS.

ALPHONSVS REX ARAGONVM Sacro Cardinalium Collegio.

Reverendissimi in Christo Patres & Domini, amici singulares: Post memoriam nostram nihil profecto cecidisse recordamur; quod nos adeò commoverit, aut tantam indignationem animo injecerit; quantam Constantinopolitanæ vrbis casus, & Græcorum miseranda atque inaudita calamitas. Neque vero ob id solum indignamur: quòd Græciam, quæ magna pars est Christianæ gentis, amissa libertate oppressam, ac in manum & servitutem infidelium per Christianorum negligentiam redactam, & Christiano corpore distractam atq; discissam videmus. (Quanquam est id gravissimum, quod & omnium mentes atque animos magnopere commovere atque excitare in vltionem debet) sed etiam quia turpissimam & indignissimam notam nomini Christiano ob eam rem inustam cognoscimus; & quæ vix vnquam vllis consilijs, periculis aut laboribus aboleri posse videatur. Quid enim tam indecens, tam turpe, tam pudendum Christianis, quàm pati Christianos à barbaris opprimi, & acerbissimo servitutis iugo subijci, fidemque nostram labefactari atq; funditus everti? Pro qua tuenda atque conservanda dubitare debet nemo, qui Christianus sit, mortem impigrè oppetere. Sed hæc communis culpa sit. Dum enim alij alios intuemur, ante Constantinopolis calamitatem; si quis in eius defensionem arma capiat, & obsistere iniuriæ conetur; illa civitas interim capta est; & illa omnis Græcia concidit. Capite enim confracto, & cætera membra cassata sunt. Cùm autem quotidie intelligamus ex multorum sermonibus ac literis; ipsum Turcum principem in eam insolentiam ac furorem provectum esse, ob res secundas, quæ solent animos extollere, atque inflammare; eumque non contentum Græciæ captivitate, cæteris Christianis arma inferre: atque è Græciæ claustris in Italiam velle erumpere, Imperium orbis terrarum sibi promittentem, & Christianam fidem evertere molientem; Instituimus animo, illius furori pro virtutibus nostris obsistere; conatusque eius nefarios, quantum in nobis fuerit, reprimere atque refringere: Sperantes, Christo Deo nostro autore & fautore, pro cuius fide defendenda hanc expeditionem gloriosam suscepturi sumus, vt & alij principes ac populi Christiani vna nobiscum ad salutem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exemplo nostro excitentur; ac fore vt illum atrocissimum fidei hostem non solum vlciscamur, & intra Græciæ terminos cohibeamus; sed etiam recuperata omni Græcia ipsum è tota Europa depellamus; ac ne in Asia quidē sua quietum esse sinamus. Quæ cum ita sint, Reverendiss. Patern. vestrā oratam esse volumus; primum vt vos ipsi, qui fidei Christianæ duces estis, in eam tuendā & conservandam omnes vires ac studia vestra conferatis; nec eam ruere patiamini, cuius protectores accerrimi meritò esse debeatis; vt alijs exemplo sitis qui ad vos oculos referūt, & quicquid agitis, intuentur,

cum

cū ad vos primum, qui estis religionis capita, acceptam iniuriam & cladem hanc pertinere existiment. Deinde vt cunctos populos principes & reges Christianos per Legatos & literas, quoad fieri possit, exhortemini atq; excitetis, vt & ipsi vestro nostroq; nomine hoc & necessariū & gloriosum bellū suscipiant, & ꝑ eo gerendo, quas possint, copias, classes, arma & comeatꝰ parēt. Si pro fide nostra tuēda, in qua est salus nostra reposita, nō depugnamus, pro qua dimicare sustinebimus? Si feramus iniurias Christo Deo nostro factas, cuius ille imagines delevit: sanctorū ac martyrū statuis eversis, reliquijs luto provolutis; sacris virginibꝰ incestatis: filiabus è cōplexu parentū ad stuprū raptis: parentibus ipsis crudelissimè necatis: si has (inquā) feramus, cuiꝰ tandē iniurias vlciscemur? si religionē nostrā per negligentiā ruere patimur, vt omittamꝰ ignominias, vincula, cædes, quę Christianis impendēt, quidnā sperare ampliꝰ de animarū salute possumus? Multis sanè ac summis principibus (vt Constantinū & Iustinianū omittamus) tū domus nostræ, quæ barbarorū semꝑ oppugnatrix fuit, tum aliarū nationū ac gentium, maximo honori ac gloriæ fuisse scimus, Christianū nomen auxisse ac diffudisse. Quantò igitur nobis omnibus honestius & gloriosius fiet, illud à ruina & manifesto interitu vindicasse? Quod si nulli nobis adiutores fuerīt ad tantā iniuriā vindicandā, malūq; propulsandū: ꝙ existimare non possumus: nos tamen propositū nostrū exequi contēdemus, sperātes in Christo Deo nostro rē prospere successurā: In qua etsi mori cōtigerit, læto & cōstāti animo moriemur. Datum in castro nostro Neapolis, I. Aprilis. Anno LIIII.

ANONYMVS M. GOTSCHALCO DE Meschede Theologo.

CVpis à me, vir insignis, & vt verius multorum iudicio dicam, doctissime, ruinam Constantinopolitanæ vrbis, quæ ab alijs longiusculè descripta est, brevi sermone lucidaq; oratione perstringi. Quod etsi recusare statuerā, ꝓpositūq; mihi esset, ob ieiunas ingenij vires calamū nō movere, malui tn̄ de mea sentētia deijci, q̄ amicitiæ vestræ iacturā in me fieri; cū pro iure tuo in me quiduis impetrare possis. Gerā igitur tibi morē, atq; volūtati tuæ obsequar: tu nūc quod cupis, accipe. Excitꝰ in furorē Deꝰ, peccatis nostris exigētibꝰ, misit Turcorū Regē potētissimū, q merito Flagellū Ecclesię sanctę Catholicę, atq; Christianorū ōiū, appellari poterit. Hic cū sit adolescēs audax, ambitiosus, turbulētꝰ, Christicolarūq; hostis severissimꝰ; in Christianos toto mētis ardore furere cępit, neq; finib. regni sui cōtētꝰ, finitima & circūvicina loca Christianorū occupare nisus est. Hic itaq; Turcorū Rex Christiani nominis capitalis hostis, Cōstātipolin vrbē potētissimā in suam ditionē subiugare satagebat: quod quia fraudib. dolis, insidijs & proditionib. vt antea tētaverat, nō poterat explere: cępit occupare eā vi armatorū atq; potētia militū. Aggressus igitur Cōstātinopolin cū trecētis & vltra millibus pugnatorū, ꝑ militiæ magistros circūquaq; dispositi sūt in castra & papiliones, vt tutius & commodius se servarent. Horum

Horum maior numerus equestris erat: pedites alij, qui magis pugnabant. Horum multi Christiani quondam, & Christianorum filij fuerunt; sed religione mutata, retrorsum conuersi sunt. Primum itaque vt vrbem aggressi sunt; captatur per eos vrbis situs; disponuntur machinæ, locantur bombardæ, prout congruebat; virgulta contexuntur ad modum craticularum; quibus pugnantes tegerentur, & in quæ tutò se reciperent. In his struendis tanta eis promtitudo fuit & alacritas; vt quisque belli dux admiratus fuisset, tantam in rebus bellicis apud eos esse prouidentiam. Cùm verò primò vrbem bombardis peterent: ea quæ maior erat, confracta est; quam vix centum quinquaginta iuga boum vehebant. Inde statim multo maiorem Rex conflari iussit; quæ tamen ad perfectionem non est perducta: alijs verò mediocribus multisq; & innumeris machinis collidere vrbem, & confringere muros tentabant. At contra nostri, qui vrbem tuebantur, non minus alacres contra hostes machinamenta parauerunt: miseruntque in hostes tela, quæ tamen parcè lædebant: hostes enim tuti in suis latibulis vix tangi poterant. Interdum bombardæ, ex vrbis muro turribusque emissæ, tam tentoria, quàm ipsos homines, conterendo exterminabant. Sic vicissim cadunt tam nostri, quàm Turci. Aliquando etiam congrediendo ad manus concertabant; sicque in dubio certamine nostri & vincunt, & vincuntur: maior tamen victoriæ gloria nostris dabatur: eo quòd intrepidi egrediebantur, quasi mortem optassent: Turci verò pauidi & metu concussi visi sunt decertare. Interea muri vrbis ictibus bombardarum machinarumque collisi & dirupti sunt. Sed ingenio cuiusdam Iohannis Longi Ianuensis, de Iustinianorum prosapia, qui cum CCC. armatis mare decursitans, in subsidium vrbi venit, mira strenuitate reparati sunt: nam vasa vinaria humo repleta in eam partem, qua murus erat confractus, reponebant. Quare Turcus videns se deludi, parumque sic proficere: iubet minerarum fossores atque magistros accersi: qui subterraneos meatus & vias occultas clàm pararent, sicque vrbem furari cogitabat. Actum est per fossores, vt lignea instrumenta adueherent: atque solerti cura tentant fundamenta suffodere. Sed opus hoc detectum est industria & sagacitate Alemanni cuiusdam Iohannis Grandis ingeniosi militis, & rerum bellicarum doctissimi, qui & Centurio à Iohanne Iustiniano, militiæ duce, conductus erat. Sicque repulsi igne & sulphure hostes è latebris & vijs subterraneis, spe & opinione sua sunt frustrati. Componebant proinde turres ligneas humo plenas, pellibus boum circumtectas; ex quibus in fossata vrbis terram & quisquilias immittebant, vt fossatis repletis, facilis pateret ingressus. Contexebant præterea crates innumeras ex virgultis, quibus se tegerent; struebant carros oblongos, scalas rotatas, currus castellatos, multaque alia machinamenta, quæ vix Romani aduersus Pœ-

nos construxissent. Postquam verò Rex murum reparatum vidit, ad alium locum dimoveri bombardam iubet, vt peteret turrim, quæ Bactatinea vocatur, iuxta S. Romani portam. Lapis ex ea missus, qui æstimatione erat mille trecentarum librarum, turrim hanc collidit; collisam concutit; concussam exterminat, ita vt ruina eius fossatum repleret, æquaretque; & quasi via hostibus, qua decurrere possent, parata esset. Sed hîc eodem ingenio, quo priùs, reparatio facta. Quod nisi actum fuisset, sine dubio hostes impetu vrbem intrassent. Itaque postquam Turcus iterum restauratum murum vidit, qui prius ita demolitus erat: Non Græcorum (inquit) hoc sed Francorum ingenium est: vt tanta resistentia fiat, quos nec sagittæ innumeræ, nec machinæ deterrent. Interea fatigati nostri de præsidio diffidebant. Nam non ex Ianua, neque ex Venetijs subsidium mittebatur: sed sola spes ex Deo erat; quem contra Græcos infidelitas, irreligio, magnaque crimina potiùs irritabant. Continuatur itaque obsidionis tempestas; venit interea contra vrbem disposita classis ex diversis Asiæ, Thraciæ, Pontiq; littoribus, in qua triremes sedecim, biremes sexaginta & reliquæ cymbæ & barculæ, plenæ sagittarijs, vehebantur: quæ tamen portum ingredi non valebant. Cinctus enim erat catena, atque munitus navibus rostratis Ianuensium septem & Cretensium tribus: & cum proximare non auderent, longè à portu ad stadia centum anchoras figunt: Interdum mare sulcantes, ligna, lapides, aliaque machinamenta castris opportuna deferebant. Cumque iam Turcus tribus in locis muros discussisset, sed aditus ad portum impossibilis sibi esset; cogitavit rem miræ novitatis, suggestione cuiusdam Christiani; vt videlicet naves quinquaginta, quas biremes vocant, ex ripa ad terram traherentur; pòst ex colle in summitatem, de qua rursus in declive inter mare vehebantur. Sicque mirabili ingenio & incredibil artificio trahebant naves per terram ad stadia LXX. Ita nostri magis territi, cogitabant eos igne aut lapidibus exterminare. Sed nec hoc profuit: nam machinis fuerant vndique tutatæ. Sic iam quasi perdito portu, necesse fuit, vt nostri maritimos custodirent muros. Aliud etiam evenit, quod magis nostros terruit. Construxit pontem longitudinis stadiorum circiter triginta, ex ripa vrbi opposita, ex vasis vinarijs colligatis, sub constructis connexisque lignis, quo exercitus ad murum decurreret. Nihil ergo nostris agendum restabat; nisi vt catenam navesque in portu tuerentur; quæ transitum & ingressum classis prohibebant. Interea ex Chio in Christianorum subsidium tres Ianuenses naves, armis, militibus frumentoque refertæ, mare decurrebant; item alia navis Imperatoris, quæ frumento onusta ex Sicilia veniebat. Quas cum Turci vidissent, qui in classe excubabant, statim tympanis strepentibus, tubisque sonantibus, invadunt; fingentes primum Imperatoris navem sese aggredi velle.

Turcorum Rex ab alia parte in colle expectans eventum, prospicit. Fiunt tunc celsi clamores, triremes maiores navibus hærent, invadunt imperialem, sed protectio à nostris audacius aggreditur: certamen ineunt; ignem machinis inijciunt, sagittas emittunt: sic atrox pugna committitur. Naves aliæ tres, quæ Ianuensium erant, gubernatore eorum imperante, repugnant, atque arduam pugnam persequuntur. In qua in Turcorum classem à summitate navium infiniti lapides demittuntur. Tuetur se egregiè Imperatoris navis: bombardæ perstrepunt: fit vlulatus in cœlum: confranguntur Galearum remi: Turci sine intermissione sauciantur. Rex Turcus, qui ex colle circumspicit, classi blasphemat: vrget equum in saltum, vestimenta cum furore conscindit: Ingemiscunt pagani, & totus exercitus affligatur.

Quid vltra bellum recenseatur? invalescit pugna: tantis classis telis lapidibusque obruitur: vt omnino Turci succumberent. Exploratorum relatu didicimus, decem propè millia ex eis cecidisse. Alij gladijs peremti & sagittis & machinis: alij vulneribus confossi, miseras animas efflarunt. Nostræ verò naves non læsæ, nec vno homine perdito: aliquot tamen vulneratis, noctu cum iucunditate portum intrant. Interea crescente timore & angustia, consultum est, tentandum esse, si aliquo modo intromissas hostium naves vrere nostri possent. Quod attentatum clanculo vna dierum ante lucem. Nam dispositæ sunt naves duæ per Iohannem Iustinianum Capitaneum cum aliquot cymbis & biremibus; in quibus machinæ, quibus ignis iaceretur, positæ fuerant. Sed heu gravem sortem! Mox vt ab hostibus cernuntur, bombardas Turci emittunt, navis vna statim lapide per medium penetratur; atque cum armatis omnibus absorbetur: cæteræ verò, quia res patefacta est, cum confusione retrocedũt. Ita dum nostri percutere voluerunt, percussi ipsi sunt. Aliqui ex mersis supernatantes ad littus, capiuntur ab hostibus: quos impius Rex ante oculos die crastina decollari iussit. Nostri è converso vice versa exacerbati, quos habent captivos, trucidant supra muros in hostium conspectu. Sicque impietas crudelitati commixta bellum atrocius facit. Simulavit post hoc Turcus, se pacem facere velle: atque fictè referebat, pœnituisse eum, quòd guerram, quasi stimulatam ab Vngaris, excitasset. Sed omnia hæc ficta erant. Nam ea, quæ contra vrbem struxerat, demoliri non proposuit, neq; ea, quæ vastaverat, restaurare. Sed ideo finxit se optare pacem, vt Deum in generali certamine petita pace sibi faceret propitium: quem alij non petita pace sentirent iracundum. Istum ei morem fuisse intellexi. Nostri verò anxij omnem salutem suam Deo cõmiserunt: dies denumerantes in amaritudine cordis: statueruntque Deum placare, letanijs, sacrificio, thure, prece, ieiunijsque supplicantes, vt solus pro eis pugnare dignaretur.

Sed

Sed quid prosunt ad Deum preces missæ, si ex puro corde non sint? si pollutæ manus habentur? si impia & infidelia consistunt? Itaque quem propitium sperabant habere Deum, habuerunt scelerum suorum vltorem. Interea Dominus Cardinalis omne studium habuit in ferenda ope, & in formandis turribus & muro: Imperator verò quid agat, perplexus ignorat. Nam ei & sumtuum penuria & expensarum inopia fuit; deficiebatque pecunia, quam militibus alijsque laborantibus structoribus erogaret: qui rem suam, non publicam, attendentes; ad opus ire recusabant, nisi ex denario convenisset. Consulit ergo Barones & Consulares suos: qui suadent, ad sacra recurrendum esse: neq; exactionibus molestandos ciues præ temporis angustia. Conflata igitur ex sacris templis sancta Dei vasa, ex quibus moneta signatur, atque pro necessarijs erogatur. O Græcorum impietatem! ô patriæ direptores! ô avaros! quos cum sæpe Imperator rogasset lachrymis, vt pro militibus conducendis pecuniam vel mutuarent, vel contribuerent, gravabantur vt inopes & exhausti: qui postea repertis eorum thesauris ab hoste, ditissimi inventi sunt. Pugnant rursum inter se: aliqui ex Græcis imbelles necessitate magis, quam arte militabant: alij doctiores galea tecti, lorica induti, gladio cincti, lanceis decertabant: multi arcu & sagitta docti erant, quibus tela mittebantur. Sicque cadebant Turci, qui audacius accedebant. Sed quid si centum in die cecidissent? Nam quantò plures cadebant, tantò plures resurgere videbantur. Græci verò ad sex millia bellatorum non excedebant: reliqui verò vel Veneti, vel Ianuenses alijque, qui in subsidium convenerant, vix numerum trium millium attingebant, Sed quid agnus in ore lupi? quid vnus contra mille infideles? illi enim quasi innumerabiles videbantur. Afflictus est ergo Imperator angustia: cogitans, quod amodò satis esset, si vallum vrbis antemurale tutaretur: reponens spem suam omnem in Iohanne Iustiniano, belli duce, atque generali Capitaneo: qui cum Imperatore in ea parte, qua magis vrgebat pugna, cum trecentis commilitonibus Ianuensibus stetit. Alij verò duces, milites, tirones, qui in defensione vrbis armati fuerant, circumquaque per distincta murorum loca ordinati sunt, viriliterque bellum sustinent. Monachi & sacerdotes supra murum collocati, pro salute patriæ vigilabant. Aliqui tamen ex Græcis territi ex vrbe recesserunt: alij ad agros colendos aut vineas: alij voluptatibus laxati: alij inopiam suam accusantes: fingentesque rei familiaris curam se habere, vrbem declinabant. Qui cum ab aliquibus arguerentur, respondebant: Quid nobis de vrbe, si periculum siue penuriam sustinent domus nostræ? Labor itaq; magnus erat reducere homines ad muri custodiam. Hoc videntes hostes, tentant aggredi murum atque devastare: detrahunt vncis vasa, quæ in reparationem muri composita fuerant. Non aderant, qui eo tempore prohiberent,

vel repellerent. O quàm magnum præsagium ruinæ futuræ, quādo velut Tigris torrens, totus irruet in vrbem exercitus. Ordinatur præterea in vrbe, vt æqualis fiat distinctio panis per familias; ne illius gratia se quisquā subtraheret: atque famem potius, quàm gladium, expectaret. Erant aliqui è Græcis, qui vel occultare frumentum, vel precium eius augere prætendebant. Sed hæc iniquitas non fuit causa mali, sed ordinis confusio. Severitas non fuit in Principe; neque compescebantur gladio aut alijs tormentis hi, qui obedientiam neglexissent; sed iratum Imperatoris animum blandimentis demulcebant. Sicque bonus Imperator delusus à suis, dissimulabat iniurias. Interea Capitaneus generalis Ioannes Iustinianus, quia clamorem Turcorum præsentit: curauit omnia, præsertim reparationem murorum, quos machina contriverat: petivitque sibi præsentari à quodam magno Consulari, Cyrluca nomine, bombardas vrbis omnes, quas contra hostes affigeret. Has cùm primò superbè denegasset: indignatus Capitaneus, exinde rei bellicæ providentiam remissius gerebat. Multi etiam Græci odiosè ferebant, quòd gloria saluandæ vrbis fuit data Latinis: atque de hoc, licet secretius, murmurabant. Consultu tamen & iussu aliorum primorum Græcorum Iohannes Iustinianus curam rei bellicæ suscepit: acies munitionesque refecit: & in his tantam providentiam gessit, vt ipse Turcus eius industriam commendaret. Dicebat enim, ô quam vellem, penes me esse Iohannem Iustinianum, illum præfectum honorandum. Post hoc tentavit Turcus eum donis auroque corrumpere, cuius tamen flectere animum non potuit. Tota postremo cura nostris fuit, vt vallum fossatum & antemurale protegerent. Nam alto muro se nō confidebant: qui ab imbribus scissus & ruptus fuerat, & ob negligentiā propugnaculis carebat: qui vtinam à primo, dum propositum guerræ supervenit, reparatus fuisset repertus: quia & manu teneri poterat; nisi eorum negligentia fecisset, qui ex officio muros reficere debuissent: qui non conservatores reipub. sed prædones dicebantur. Nam quæ in testamentis bona relicta muris adscribi debebant: ea ipsi privatis, potius commodis impēdebant. Iccirco vrbs sub tantis prædonibus neglecta perijt. Quam si postea reparare & reservare voluissent, duo defuerunt, scilicet æs & tempus. Omnem ergo spem suam in fossatis & antemurali posuerunr: à quibus si tandem pellerentur; non fuit eis facultas, altum murum aggredi; ob angustationem hostium irruentiū. Inter hæc fit vox in castris Turci quòd naves aliquot ab Italia in subsidium Christianis mitterentur, & Iohannes, Pannonum dux, contra Turcum egressus exercitū duceret. Quare timidi hostes effecti sunt; exercitus eorum discindltur, contra Regem Turci clamāt, frustra eos muros aggredi, exercitū omnem stare in periculo, & quanquam maximus eorū numerus esset, de victoria tamen diffidebant, verebanturq;
vrbem

vrbem aggredi. Consuluit ergo suos Turcorum Rex. Vetustior Consularis suus, Calilsbascia nomine, gravitate, cōsilio & rerum bellicarum experientia pollens, atque favens Christianis, Regi dissuadet, eò quòd munita sit fortitudine situs: & rerum copia, & fertilitate, atque optimè provisa & gubernata, non solum providentia Græcorum, sed etiam Latinorum. Etiam patris tui (inquit) atque proavorum guerras iam multis annis toleravit, qui in vanum multa conantes, vrbem capere non poterant. Idem timorem incutiens, ait, Christianorum Reges & populos facilè ad eam tuendam recuperandamque provocari. Tu ergo Rex, inquit, pacem da tuis: noli Ianuenses & Venetos vicinos hostes reddere: atque iram Christianorum omnium adversus te gentemque tuam provocare. Maxima est potentia: hanc tamen pace maiorem reddes, quàm guerra. Finis enim belli varius est: quem sæpenumero magis adversitas, quàm prosperitas comitatur.

Hic surgens secundus Consularis, Baro minor, Sagan nomine, orationem suam incipit: atque, vt hostis Christianorum bellum suadens, maximamque dicens sui regis potentiam, adversus quam nulla gens posset: consulit bellum sumi contra Græcos, potentiam nullam habentes: neque concitari debere Regis animum de ementita voce, quæ de subsidijs Græcorum in castris conficta est: Nullum, inquit, ab Italia expectant præsidium. Ianuenses inter se scissi sunt: Veneti à Duce Mediolani oppressi sunt: nullum missuri subsidium: ob id nos facilè, si aggrediamur, vrbem obtinebimus. Eunuchus, tertius Consularis Baro, hæc dicta confirmat. Teuratam, traialis militiæ princeps, non audens commendare propositum Calibasti, ad guerram Regem animavit. Iuniores verò belli duces: O rex, inquiunt, valeat, quisquis nobis timiditatem incutit. Decet invictissimum Principem nostrum res magnas & cogitare & aggredi, & quemcunque eventum magnificè ferre. Sagan interum, vt vidit, multitudinem in sententiam suam convenire: Fac (inquit) bellum, ô Rex: quia Dijs faventibus, victoriæ gloriam indubitatò consequêris. His verbis factus Rex animosior: Fortunam, inquit, tentare licebit. Nullus vnquam aut genitor meus, aut auus, aut proauus tanta potestate, tantis machinis, tanta vi armorum, vt ego, vrbem hanc oppressit. Alexander Macedo totum sibi cum minore exercitu subiugabat orbem: mihi hanc vrbem cum maiore militia aggredi licebit. O Sagan, inquit Rex, constitue diem belli: compone exercitum: circumvalla Perenses: ne subsidium ferant hostibus: & omnia ad militiam necessaria cum maturitate dispone. Hoc dicto cùm generale certamen definitum esset: proclamatum est in castris, vt 4. Cal. Maij videlicet Martis, prævijs diebus trib. luminaria Dijs accendant, Deos invocent, orent, deprecentur, parati sint omnes ad prælium: quia Rex

daturus est Christianis generale certamen. Iurat præterea Rex per immortalem Deum, per quatuor millia Prophetarum, per Machumetum, per animam patris, per libros & per ensem, quo cingitur: omnem prædam, & omnem depopulationem, & omnem vrbis thesaurum, & vtrunque hominum genus bellatoribus deberi: atque eis libere donare: neque vllo pacto, quæ iuraverit, violare. Clamant Turci in cœlum horridè elatis vocibus: Illola Illola Machumet rusalcilla, h.e. DEVS est, & semper erit, & Machumetus est servus eius. Factum igitur per eos, vti imperatum erat: accenduntur Deo luminaria: orant, ieiunant, per diem nihil vsque ad noctem gustantes: ad invicem se salutant, osculantur, brachijs amplexantur: sibi invicem valedicunt, quasi ad inferos die certaminis simul ituri essent. Nostri verò religionem infidelium admirati, Deum nostrum, profusis lachrymis vt propitius sit, precantur. Reliquias igitur & sacras imagines processionaliter per vrbem deferunt: turbæ virorum mulierumque nudis pedibus sequuntur: cum cordis compunctione Deum orantes: ne hæreditatem suam demoliri permittat: & vt fidelibus suis in tanto certamine dignetur porrigere dextram auxilij salutaris; spéq; totam in Deo ponentes, constitutum certaminis diem expectant. Ab Imperatore & à belli ducibus confortatur populus: atque eorum dictis incitantur pugnatores; ne trepident, aut timore concutiantur: hortantur eos ad defendendam patriam adversus hostes Christi: vt qui constantes & magnanimi sint pro eorum vrbe tuenda: quam invidus Turcus duos & quadraginta dies coangustauit. Hic sermo multus habetur; quo inflammatus Christianorum cœtus, constantem se habere animum responderunt. Confortati post hoc Græci sunt, qui primum quasi pauidi bellum declinabant: disponunt propugnacula: ordinantur singuli ad resistendum: atque in nocte præcedente certamen intra vallum vigilantes pernoctant: clauduntur valvæ vrbis, ne quisquam retrocederet. Audiunt tunc ab hostibus parari machinas, vehi castratas bigas, atq; scalas admoueri vallo & antemurali. Ab alia parte disponitur classis: circundant portum & vrbem omnem: pons, quem de vase construxerant, applicatur: omnia machinamenta instantius præparantur. In aggrediendo dant ordinem, vt minus robusti minusque ad bellum docti præcedant: vt, dum lux diei veniret, robustiores milites sint recentes. Certamen inchoant: Turcis nostri cum magna animositate resistunt: atque repellunt hostes machinis & balistis: ex vtraque parte proportionaliter occiduntur. Abscedit nox, dies oritur. Consurgit totus exercitus in gyrum conglobatus: fiunt in cœlum terribiles clamores. Sic vna hora totam vrbē terra mariq; inuadunt: excutiunt primum machinas: emittunt sagittas in tanta multitudine, vt cœlum oscuraretur resistunt Christiani horribili pugna.

Sed

Sed Turcorum exercitus iterum resumunt vires & conglobantur: præsumuntque maxima audacia vallum intrare. Cadunt multi, qui lapidibus obruuntur, & quam plurimi moriuntur, quos cæteri conculcantes tentant muros scandere: sed à nostris strenuè repelluntur. Multi post ex nostris vulnerati, declinant: multi confortant populum, dicentes: O viri fortes, iam laxatur exercitus hostium: corona victoriæ nobis dabitur: Deus nobiscum est: agite constantem pugnam. Inter hæc malo fato Iohannes Iustinianus, generalis Capitaneus, sub axilla sagitta configitur: qui mox iuuenis, & inexpertus vulnerum, perterritus est: & vitam perdere metuens medicum quæsiturus, clam ab acie discessit. Qui si alium in locum suum surrogasset, salus patriæ non perijsset. Imperator sentiens Capitaneum deèsse, ingemiscens percontatur, quò pervenerit? Populus verò postquàm vidit, se sine duce & gubernatore esse: fugere è locis incipit: Turci inualescunt: horror nostris incutitur. Tandem veluti impetuosus turbo vno impulsu muros ascendunt: mox ad mœnia vexilla figunt: clamantes victoriam; & quantum possunt, conantur nostros vel subijcere, vel exterminare. At Imperator infelix videns Capitaneum desperatum: O me miserum, inquit, peritne vrbs? Mane, mane precor Capitanee: nam tua fuga incitat alios ad fugiendum: non est mortale vulnus tuum, patere paulisper dolorem: & sta viriliter, vt spopondisti. Et iste factus pusillanimis, vecors & pauidus ex ictu sagittæ, refugit in Peram: qui postea nauigans, ex vulnere vel tristitia inglorius moritur. Franguntur ex hoc omnium commilitonum animi: insequuntur Capitaneum fugientem: reseratur porta: quam omnes cum maxima pressura transire nituntur. Imperator videns populum dare terga, atque hostes irruere in eos, clamat ad proximos: Estne aliquis, qui me meo gladio transfodiat: ne maiestas Imperatoria istis nequissimis hominibus succumbat.

In porta igitur, in quam fugientes procurrerant, multi ex compressione maxima è nostris vitam finiunt: inter quos Imperator oppressus, è vita demigravit. Pereunt itaque è nostris, id est ex Latinis & Græcis, numero circiter octingenti. Inde Turci altum murum decurrunt: lapides ex alto demittunt: tandemque in vnum globati, omnes nostros cum magnis clamoribus in fugam compellunt. O rem mirabilem & stupendam! Tota vrbs ab hostibus in prædam commutatur: nondum Sole orbis hemisphærium perlustrante, omnes per vrbem decurrunt: quoscunque resistentes gladio perimunt: iuuenes, decrepitos, leprosos, infirmos. Admirandum tēplum S. Sophiæ, quod Salomonis templum preciositate sua superat, ingrediūtur: Deo & sanctis blasphemant: omnes cōtumelias in sanctas imagines exercent: oculos sanctorum effodiunt: sacras reliquias vel dilacerant,

rant, vel dispergunt: sancta Dei vasa sibi vsurpant; omne aurum & argentum sanctorum imaginumque suis sarculis inferunt: fit clamor & vlulatus in cœlum. Omnis denique sexus, omnis homo, omne aurum, omne æs, omnis supellex, omnis substantia in prædam vertitur: thesauri omnes absconditi in manus perfidorum deveniunt: qui tanti reperiuntur & novi & veteres: vt nulla vrbs sit, quæ tantis abundet & affluat. O Græci iam miseri & miserabiles, qui inopiam fingebatis! ecce iam in lucem veniunt thesauri, quos pro vrbis subsidio denegastis. Traducitur ad castra omnis substantia & præda: atque omnes Christiani vincti funibus ad sexaginta millia deducuntur. Cruces ex templis evulsæ pedibus conculcantur: violantur mulieres: virgines deflorantur: mares iuuenes in turpitudinem maculantur: sanctimoniales turpiter fœdantur. O Deus meus, quam iratus, quàm immisericorditer faciem tuam à fidelibus tuis avertisti! Tantam contumeliam in sacras Dei & sanctorum effigies exercent: vt neque narrare sine rubore quis possit. Parce Deus, si enarro. Ad terram eas posternunt: & non solum super eis crapulam, sed & luxuriam complent. Post hoc Crucifixum in castris suis deludendo deportant: & vt in passionibus præcedentibus iterum sputis, blasphemijs & opprobrijs eum crucifigunt. Habita autem victoria, dies festos & Bacchanalia Turci celebrant. In his temulentior factus Rex, sanguinem humanum Baccho misceri voluit. Vocat igitur ad se præter Cyrlucam, consiliarium Imperatoris, atque alios Barones consulares (quos reprehendit, eo quod non suasissent Imperatori, pacem petendam, vel dedendam vrbem) Venetos & Perenses: nam illos dixit arma, milites & consilium præstitisse: quorum gratia Imperator resistentiam fecit.

Etiam accusauit Calilbasciam Baronem Turcus. Hic amicus maximè fuit Græcis: & crebas literas ad Imperatorem occultè destinabat, quibus secreta nunciauit. Has literas Cyrluca observaverat: atque in testimonium Regi præsentavit. Quare intensè commotus Rex, Calilbasciam vinciri iubet, atque turri mancipari. Deinde omnibus bonis priuatus, ductus est Adrianopolin: vbi eum priuari vita iussit: Huius mortem lamento flebili totus ferebat exercitus. Cyrluca verò malitiæ suæ pœnam non evasit, nam primò in bello liberos duos maiores perdidit: tertium, verò filium cum cæteris Baronibus Imperatoris ante oculos vidit decollari. Alij prærerea Veneti & reliqui nobiles multi gladio extinguuntur. Expletis verò festis, traducuntur in captivitatem Græci, amplius fortè patriam non visuri. Turci verò relictis gubernatoribus & officialibus, qui vrbem manutenerent, in suas regiones revertuntur: in tantam elati superbiam atq; audaciam: vt non vereantur dicere, se Romam venire, & mare Adriaticum penetrare velle. Quod Deus suorum misertus avertat: atque capita inimico-

inimicorum confringat: qui solus scit & potest: quem oremus fidentius, supplicesque precemur: vt incitatus ad vindictam, Christiani nominis iniurias vlciscatur.

ÆNEAS SYLVIUS EPISCOPUS SENENSIS, SBIGNEO S. Rom. Ecclesiæ Cardinali, ac Pontifici Cracoviensi.

Legi partem vltimam Epistolæ tuæ, & libentissimè legi, Reverendissime Pater: in qua pro rege Vladislao facis Apologeticum. Multa in laudem tanti principis scribis: quæ dicta sunt adversus eum, non minus ornatè, quàm cautè refellens. Cogitavi & ego futurum hoc, cum librum Epistolarum ad te direxi: neque inutile reputavi, adversus scripta mea te dicere: quæ ipse non tanquam visa, sed tanquam audita retulissem. Sic enim veritas facilius invenitur. Tu ergo modo, quãvis & prudẽtissimè & fundatissimè Regis causam tueris, das tamen mihi causam, nonnulla vt rememorem, tecũq; paulisper contendam: non quia te velim impugnare, sed quia magis instrui cupiam. Nam etsi magni viri fuerunt, quibus aures præbui; & quorum dictis historiam struxi meam: plus tamen tuo nomini tribuo: tum quia rebus, de quibus locutus sum, interfuisti: tum quia & naturæ, & dignitati, & ætati tuæ mentiri alienum est. Sed audi pauca, quæ me obsistere tuis dictis impellunt. Dixi prioribus meis literis, nobilissimum adolescentem Vladislaum Poloniæ Regem, suorum concilio victum, regnum Vngariæ occupasse.

Hoc durum & à vero remotum tua dignatio esse contendit: affertque rationes, quæ iustum illum Vngariæ Regem possint ostendere. Quarum maxima illa est; quia defuncto Alberto, Regina & vniversi regni accolæ Vladislaum Regem accersiverint: cuius ope & auspicio Catholica fides & regni populus ab infestatione Turcorum defendi possit: qui tunc Vngariæ vicini, clades quamplurimas inferebant. Addis & Oratoribus, qui ob eam causam missi fuerant, apertum dictum apertè extitisse, quia Regina prægnans ex Alberto remansisset, non licere Regem exterminium regnum transire, illosque confutasse, quicquid petitionibus rerum obijceretur victis: Insuper & decreti copiam, quo regni Prælati & Proceres, quæcunque adversus coronationem Vladislai dici possent, inania esse definiunt. Fateor omnia ista ita gesta esse, vt scribis: neque de tuis dictis adimo quicquam. Sed audi, quid me moveat. Dicis Albertum Vngariæ Regem fuisse, mortemque relicta vxore obijsse, natumque Ladislaum eius filium: addo ego & coronatum Regem, priusquam Vladislaus eius Vngariam ingrederetur.

Quid hic dicimus? Nunquid Regum filij solium paternum tenere debent? Quis excluso Regis filio, regnum possidens, non dicitur occu-

 pator?

pator? Aut successioni locus est, apud Vngaros: aut electioni, cum Rege mortuo filius in promptu est. Si patri succedit filius; non video, quid iuris in Vladislaum popularis electio transfuderit: Si Regem electio facit: attribuo tuæ parti victoriam: Mihi tamen, qui regni se more affirmant succedere patribus, apud Vngaros in regno filios iniussu populi dicunt: idemque Romanum pontificem definivisse, Apostolicis demonstratur apicibus.

Neque menti meæ satisfacit, quod de Turcis in medium proponis; tanquam necesse fuerit pro regni salute, pro CHRISTI nomine tuendo, Regem habere qui regeret. Namque si hæc permittimus, rarus patri in dominatu succedet filius. Poterat Vladislaus, si zelo fidei succensus erat, si vicinorum saluti consulere volebat, si tanta cum charitas movebat, & Vngaris succurrere, & pupillo infanti regnum conservare, ac veluti tutor vicini Regis regnum administrare. Sed vteris tu mecum ea purgatione, qua Trogus Philippum Macedonem defendit, cum regnum nepotis vsurpavisset. Itaque, inquit ille, Philippus diu non se Regem, sed tutorem pupilli egit: ac vbi graviora bella imminebant, servumque auxilium in expectatione infantis erat, compulsus à populo regnum suscepit. Melius tamen Lycurgus, qui cum fratri suo Polydecti Spartanorum Regi successisset, regnumque sibi vendicare potuisset: Charilao filio eius, qui natus posthumus fuit, cum ad adultam ætatem venisset, regnum summa fide restituit. Sed pauci sunt, quos dominandi non frangit cupiditas. Placet cunctis proverbium Cæsaris: Si violandum ius est, regni causa violandum est. Non videtur aut mater, aut populus aut instans belli metus, ius infanti auferre, atq; alteri concedere potuisse: nisi tua sapientia novis me rationibus instruxerit. Scio illud, quod dicis, Regnum Poloniæ longè lateque florentissimum esse: neque vires illi, neq; opes deesse.

Constat inter omnes, qui terram circumierunt, Polonos & fortes homines esse: quibus qui dominatur, inter Christianos & clarissimum nomen habet, & abundat divitijs, & potentissimus creditur: & satis illi superque satis honoris est: si quicquam mortale pectus satis existimat. At dives Asia Xerxi non sufficit: Græciam imperio cupit adiungere. Alexander victo Dario, Babylonia capta, Ægypto subacta, superatis Indis, *Aestuat infelix angusto limite mundi, Vt Gyro clausus scapulis, parvaque scapha.* Annibalem non capit Africa: addit imperio Hispaniam: Pyreneum transilit: superat Alpes: ingreditur Italiam: nihilque actum à se putat, nisi vexillum in Capitolio ponat. Atila Rex Hunnorum, totius Scythicæ gentis solus imperium tenens; invasor Germaniæ: Galliarum populator, vastator Italiæ: inopem miserumque se iudicat: nisi primas mundi

gentes,

gentes, Romanos Vesogetasque sibi subijciat. Sed quid miramur viros. Conditrix Babyloniæ Semiramis, non contenta quæsitos regni terminos tueri, Aethiopiam imperio adiecit: Indisque bellum intulit: quò, præter illam, Dionysium, Herculem, & Alexandrum, armatus intravit nemo. Insatiabilis est dominandi cupiditas: nulli satis ampla sua potestas videtur: semper in alieno melior seges agro: vicini formosior coniux; pinguius apud alios pecus apparet.

Nimirum si Vladislaus adolescens, alto sanguine natus, spiritu fretus nobili, gloriæ cupidus, Vngariæ regnum affectavit: humanus est hic morbus, adeoque communis, vt iam vitio detur animus paterna hæreditate contentus. Si quis est, cui sua placent, inter principes otiosus, paci deditus, nulli molestus, belli execrator: En (inquiunt) deses homo est, meticulosus, pusilli animi, ventris semique servus: Monachum esse, non regem, oportuit: mulieri, non viro, servimus. Huiuscemodi sæpe voces regum atria implent: inde commoti, quibus fervet animus, iuvenes iniusta bella suscipiunt. Quod si Vladislaus hac re ductus in Vngariam venit: secutus est, (vt Philosophi volunt) erroneam viam; vt populi sentiunt, laudabilem & gloriosam: dignus qui fortibus vmbris animum meretur.

Hæc placuit ad tua scripta referre: non quia impugnare illa velim: sed vt solutionem eorum à te suscipiam, quæ mihi dubia supe- rant. Nam etsi multæ sint & maximæ laudes, quæ Vladislao Regi, suisque Prælatis vel Proceribus, attribui possint: cupio & hoc illis asscribere præconium sine controversia posse, quod Vngariam non humano solum, sed etiam divino iure sibi subegerint. Quod verò præsente Rege victos & etiam prostratos à Polonis Turcus astruis, sequor testimonium tuum: quamvis Iulianus Cardinalis S. Angeli, qui tunc in Vngariam legatum Apostolicum agebat, suis literis omnem belli victoriam in Ioannem transtulerit: quem ego ad Pontificem Pataviensem scribens, habui testem.

Cætera, quæ de Vladislao refers, nullo apud me in dubio sunt. Cognovi ex omnibus, qui eum novere: fuisse illo in adolescente vastum animum, singularem prudentiam, summam liberalitatem, ingenium perspicax, admirandæ iustitiæ grandem curam: nullam in eo desideratam ex his, quæ regiæ virtutes appellantur: ob quam rem optarem, si fas esset, cum tua dignatione, in hunc vsque diem vixisse illum: melius, vt arbitror, regno Vngariæ, melius Christiano sanguini successisset.

Neque fortassis memorabilis illa civitas Bizantina, Orientalis

Ecclesiæ caput, Græciæ columen, in potestatem Turci redacta, cum tam magna Christianorum clade fuisset: quæ per Constantium primum instar Romanæ vrbis amplificata, fatali quodam decreto, sub vltimo Constantino devicta, & spurcicici Saracenorum tradita est: quam vivo Vladislao nec intueri Imperator audebat. Sed obiit ille (vt ais) Rex clarissimus, cum maiori quam credidimus, non Poloniæ solùm, sed Vngariæ totius & Ecclesiæ damno: Verumque illud ostendit, quod ad sororem scribere Methodorum Anneus Seneca tradit; *Mortale esse mortalium omnium bonum*. Vale. Ex Nova civitate Austriæ, VI. Cal. Nouemb. anno MCCCCLXIII.

IACOBVS REX CYPRI SOLDANO ÆGYPTI AC totius Arabiæ Imperatori, Alessirapho Asnali.

SVpplex ad te confugio, Regum maxime atque potentissime. Tu mihi Dominus es: &, vt clementia tua spondet adiutor & tutor eris. Ioannes pater meus qui tibi quotannis tributum pendebat, superioribus diebus è vita discessit: nec præter me virilem sobolem reliquit.

Soror mea virum sibi ex Gallis accersivit, eum Cypri regem susceperunt; me posthabito, quem regnare par fuerat. Sed tuum est regnum Cypri: tuum est definire, quem regnare oporteat. Natura masculis, non fœminis, imperium dedit: nec æquitas permittit regum filios extraneis cedere. Respice oro fortunam meam: nec me regem natum, regno privari sinas. Paternam hæreditatem à te postulo, qui meus iudex es: Nisi causam meam suscipis; exul à patria, regius sanguis mendicabo panem. Indigna hæc tuo nomini inuretur nota: qui subditorum iustas causas non defenderis: nec è re tua fuerit, me repulso, cuius maiores tibi servire didicerunt, Gallicum hominem Cypriorum regno præesse. Nosti superbiam gentis: & quanta Ægyptiorum imperio attulerint Gallorum classes incommoda. Nunquam Alexandria aut aliæ maritimæ vrbes pacem habebunt, tenentibus Cyprum Occidentalibus regibus.

Quod si me foveas, tàm tua Cyprus, quam Ægyptus, erit. Nec tu difficilem rem crediderìs, paternum atque avitum regnum mihi restituere. Multi sunt, qui rebus meis student: nec aliud optant, quàm tuo favore præditum me redeuntem cernere. Parva me classis in solium paternum collocabit: satis amicis meis fuerit tua signa vidisse: & tuis auspicijs bellum geri: cætera ipsi expedient. Nec dubita: breui me servum tuum Cypri regem videbis: Tantum facito, vt te velle intelligam.

SOLDANVS ÆGYPTI ET TOTIVS ARABIÆ Imperator Ludovico Sabaudiæ Duci.

VEnisti ab occiduis partibus; vt alienum regnum in Oriente invaderes: & paterna hæreditate filium exucres. Vana est cogitatio tua: Cyprus mihi vectigalis est: & meum est de rege iudicàre. Nisi quàmprimum

mum abieris, Ægyptio peribis gladio. Si vxor tibi cordi est, potestatem facio, vt eam tecum auferas: si tamen prius decesseris, quam secundo monearis. Cairi.

STATVS ET ORDINES REGNI CYPRII, SOLDANO Aegypti & Arabiæ Regi.

FAlsò ad te perlatum est, Rex maxime, Ludovicum Sabaudiæ ducem de iure tuo aliquid ablaturum, in Orientem venisse. Iohannes Cypri rex Carlotam filiam vnicam suscepit ex matrimonio: quam secundum leges Christianas reliquit hæredem. Iacobo ex concubina nato regnum neutiquam debetur: Maritus pro coniuge coronæ iura sortitur. Itaque ne regni consuetudines confundas, neve Christianis Christiana inter se iura neges, sedulo hortamur. Promittimus Ludovicum tibi in omne tempus amicum futurum, tributumque suis temporibus præstiturum: ac præterea Iacobo decem millia aureorum singulis annis, quoad vixerit, traditurum.

MAHVMETES TVRCORVM IMPERATOR Soldano Regi Ægypti.

ACcepit amicus tuus Turcarum Imperator Mahumetes: te Iacobum Cypri regem appellasse: eumque in patrium regnum statuisse restituere. Digna res, quæ de tuo solio manaret: & nostræ religioni accommoda. Sed renunciatum postea est, te mutato consilio pacem cum rege Gallo pacisci: & quem iuuare cœpisti, velle deserere. Quasi verò ignores, quanto persequatur odio gentem nostram Gallicus sanguis. Neque Gotfridi Balduinive aut aliorum eiusce gentis facta mente teneas: qui sæpe maiores nostros magnis cladibus afflixerunt. Vide, quid agas. Si pax tibi cum Gallico genere cordi est: cum nostro bellum exspecta. Nec tibi cum solis Turcis inimicitias futuras putes: Ægyptij, Syrij & Arabes, quibus præes, summo te odio prosequentur: nec tuus tibi filius hærebit: qui religionem nostram Gallicano sanguini prodideris. Quod si promissam fidem Iacobo servaveris, classemque pararis in Cyprios: Mahumetes quoque alteram parabit in Rhodios: & vtriusque insulæ spolia tua erunt: solum tantum Insulæ Rhodi Mahumetes sibi servatum cupit.

IVRAMENTVM IACOBI Regis Cypri.

PER Deum magnum & altum, misericordem ac benignum, formatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, & per sancta hæc Evangelia, per sanctum baptisma, per S. Ioannem Baptistam atque omnes san-

ctos, & per fidem Christianorum promitto & juro quod omnia, quæ novero, aperta erunt Domino meo altissimo Soldano Ægypti, & totius Arabiæ Imperatori, Alerestapho Asnali: cuius regnum Deus fortificet. Ero amicus amicorum suorum, & inimicorum inimicus. Nihil enim celabo, neque piratas in regno meo patiar: neque his victum aut auxilium dabo: Ægyptios, qui regno meo serviunt, emam: & libertate donabo: auri quinque millia numûm Cal. Septembris aut Octobris, tributi nomine, in templis altissimis Hierusalem & Lamech, singulis annis offeram. Collossæos prohibebo, ne piratis arma ministrēt: quæcunque digna cognitu noviter emerserint, Soldano renuntiabo: in iustitia & veritate Pædami nihil in mea partem fraudulentum erit. Quod si aliquid horum neglexerim: ero Apostata, & mandatorum sancti Evangelij Christianæque fidei prævaricator: dicam, Evangelium falsum esse: negabo Christum vivere: & matrem eius Mariam virginem fuisse: super fonte baptismatis Camelum interficiam: & altaris presbyteros maledicam: divinitatem negabo: & illæsum nuntium humanitatem adorabo: super altari cum Iudæa fornicabor: & sanctorum patrum maledictiones omnes in me recipiam.

FRANCISCVS PHILELPHVS IOACHIMO
Ambrosioq; Theologis.

ERunt fortasse, qui mirentur: quid ego vos veniam in summis vestris laboribus adeo hortaturus: quæ nondum à quoquam vel tentata sunt, vel scripta: vt quoniam satis superque omnis Iudæorum de Christo Iesu pervicacia, obdurataque insania, inexpugnabilib. tam multis illisq; verissimis & argumentis & rationibus; quas viri penè innumerabiles, ingenio, doctrina, sanctimonia excellentes in medium attulerūt, prostrata iampridem atq; convicta iacet: incipiatis iam tandē, cum docetis, in populū convertere orationis gladios in sceleratum illum & impium Mahometum: quē figura & immanitate truculentissimæ bestiæ, Ioannis Apocalypsis nobis denunciavit. Nonne videtis, Patres sapientissimi, iam vniversum propè terrarum orbem parêre per omnem intemperantiam nefarij illius abominalisque latronis spurcissimis satellitibus? Nonné Africa tota servit Mahometistis? Nonne idem patitur Asia? Nam Orientalis Æthiopia quantulā est ad Asiam vniversam? At Europa, quam ab Asia dividit Tanais, permulta iam regna cum Scythis & Turcis, tum etiam Afris subiecta intuetur: eoq; adducta est calamitatis, vt de Italia sibi nunc metuendum sentiat. Mirentur ergo imprudentes, vt lubet. Ego enim ita sentio, longe maiorē vos fructum splendidioremque gloriam ex his pugnantib. atque infestis Mahometistis reportaturos: quam ex Iudæis, non modo non repugnantibus, sed latè iam diu fusis humique iacentib. Quod secundo loco vos hortor, id totū est de Græcis. Satis hi magnas dederunt pœnas, si quid errarunt: q; patrio

trio solo exterminati sunt: quòd parẽtes, filios, vxores, bona omnia amiserunt: quod mendicant: quod serviunt: verum & homines certè sunt, & Christiani. At schismatici, at hæretici: Hæretica Constantinopolitana Ecclesia nunquam fuit: ætate nostra Schismatica fortassis aliquando: non tamen scissa ea à Turcis capta est: sed publicè coniuncta cum Romana Ecclesia, nam alieni cordis arcana temere iudicare peccatum est: nec item minus persæpe Deus bonos, quam malos, affligere consuevit. Nam ob peccata quæ ipsi perpetrassent, tantas acerbitates passi sunt martyres: passi Apostoli: passus Christus Opt. Maximus. Præterea sanus pastor relinquit vniversum gregem in solitudine: vt requirat amissam ovem. An minus advertitis, neminem in hac vrbe vti charitatis munere in hos Græcos: qui optimo genere nati mendicant stipem: vt se ac suos à Turcis rediment? Hæc certè inhumanitas magna est: cuius ne vos silis in causa, providete. Quin hortemini, per Deum immortalem, populum vniversum: vt & afflictis, & Christianis benefaciant: ne indignetur Christus læsus eos contemni: qui suo nomine opem quærunt. Valete, Patres optimi. Mediolani ex ædibus nostris. V. Idus Martias. MCCCCLIV.

FRANCISCVS PHILELPHVS Ioachimo Theologo.

TVum istud doctrinæ genus, quo ad Christianam veritatem in populum vteris, mihi certè probatur plurimum. Sunt enim aliqui hebeti adeò obtusoque ingenio: vt nihil ex sese invenire audeant: ijs contenti duntaxat, quæ prisci scriptores sapientissimè excogitarunt. At hi quidem omnes, etsi doctrinæ ac diligentiæ cuiuspiam iure laudari possunt: quod acute ab alijs subtiliterque inventa, & copiosè ipsi, & memoriter in medium proferant: nullam mihi tamen ingenij sui præstantiam declarant: cum ad cumulatum omni virtute virum ingenium inprimis requiri soleat. Tu verò nova permulta, eaq; salutifera, ex te eruis. Nam signa cœlestia, quibus videmus circulum, quẽ Zodiacum vocant, insignitum ab astronomis, trãsferre in Christianã fidẽ ꝑpulchrum est. Sed de hoc plura alias. Quę adversus Turcos & Mahometistas sapienter aggressus es: vt omni studio & industria persequaris: te vehementer & hortor, & rogo. Nam quantum videre videor: nisi funestæ huic teterrimæque pesti propediem occurratur: ita brevi invalescet incrudescetque: vt nullum sit remedium exceptura. Græcis autem his nobilibus assiste, vt cœpisti: iacentes tolle ac fove: vel in hisce incõstantiam atq; mutabilitatem rerũ humanarum tecũ animo voluta. Omnis huius mundi fastus, omnis honos, omnis gloria, vanitas: sol' mihi videtur felix, qui in virtute & Deo suum omne bonum collocarit. Miserescendũ est humanæ fragilitatis: quod miseriæ in alijs intuemur: id nobis quoque metuamus necesse est.

Mendicant opulenti: humiliantur excelsi: serviunt Principes.

Facoro

Facoro, vt, quoniam hos pudet conditionis suæ, aliqui boni viri eam sibi provinciam suscipiant, petendi viritim charitatis munus. Vale. Mediolani. Kal. April. MCDLIV.

CHRISTIERNVS REX DACIÆ NORVEGIÆ & Gothia, Friderico Rom. Imp. semper Augusto.

PErlectis novissimis Imperialibus literis nobis directis, mœrore mentis & cordis anxietate indicibili vrgebamur: Cùm videamus tandem virus pestiferum in Christianam fidem dudum congestum, viperam illam Halymamech Turcorum tyrannum feraliter euomuisse: & quod in suæ impietatis contentaculis fabricavit, incentivum suæ jam crudelitatis detexisse. Hunc non ambigimus imaginem bestiæ illius gestare; quam Iohannes Evangelicus vates ascendentem de mari prævidit; tertiam partem stellarum ad ima trahentem. Imo Asiam & Affricam, & iam suis execrabilibus spurcitijs Europæ terminos defædantem videre videmur, serenissime Imperator, & frater charissime; quod cum singulari mœstitia referimus: statuum omnium & sexuum omnium, religionem, fidem & vrbanos mores, in populo Christiano adeo à iustitiæ tramite declinasse; quod divinam non cessent irritare & provocare vindictam, illos præcipuè, qui aliorum vitæ & exemplo deberent merito esse ductores; vnde vltione condigna hoc nostro tempore, quo peccata magis & vitia subrepunt, flagellis & plagis gravioribus excribrantur. Nullos enim Christianorum fines per vniversi orbis machinam à peste, cladibus vel incursionibus hostium eximi videre aut cognoscere valemus; omne quoque solum, vbi Christi nomen colitur, crebris agitari & oppugnari contrarijs: neque propterea vllam divinæ miserationis & pietatis recuperandæ maiorem adesse fiduciam: quam quod incipientes à capitibus, divinis institutis & bonis moribus secundum Evangelicam legem resumtis, priorem culpam & noxas emendemus in melius: quatenus placata divinitus suorum cultorum felicibus propitia non desit optatibus.

Hæc sunt, invictissime Cæsar, arma fortissima, propugnacula munitissima, & sacra præsidia: quib. aptius & facilius, imò felicius & fructuosius hostium vires & frontem superbiæ demoliri conveniat, quam militaribus cuneis, quam bellicis munimentis. Hoc quoque exemplariter Physicis traditionibus comparatur, quod medici satagentes nóxiales à corporibus chymos repellere, per prius antidotis & cataplasmate congruentibus preparatas, ad exitum superfluitates deinde formato expellunt. Sic ergo imperialis Maiestas erga DEVM cæli devota superioribus & inferioribus suggerat melioris vitæ fervorem. Interioris enim conscientiæ pœnitentia, cilicio, sacco, & cinere, non auro vel argento, non exquisitis monilibus, nec in arcu fortium, aut robore potentatus, Ninivitæ divinum contra se

conci-

concitatum placavere furorem: tunc Augustalis maiestas superno adiutorio comite, cum exercitibus Christianis, hostium castra penetrabit secura; omnesque barbarorum constringet conatus: ausus armis & potentia vindicabit. Eruntque hostium vires, angelo Domini cohortante, sicut stipula ante faciem venti: & titubabunt pavore, & timore sordescent: O Saluberrimum & iucundissimum omen si fata præstassent, quod regnorum nostrorum rebus compositis, quæ varijs inpræsentiarum contrariorum detinentur anfractibus, cum proceribus nostris, quos numero & solertia militari ornatissimos obtinemus, cum vestræ serenitatis contubernio, pro fide Catholica, pro gloria immortali, pro illius nomine, qui nos suo sacro cruore redemit, pro fidelium ibidem à Turcis oppressorum tutela, in Cæsarea comitiua adesse possemus! Testamur Deum nihil nobis gratius, nihilque optabilius; quam quod in tam sancto opere adesse liceret: Condolentes ex ipsis cordis visceribus Imperiali Constantinopolitanensium vrbi, & venerandæ Patriarchali Ecclesiæ, quam Constantinum Magnum primum post Philippum Orthodoxum Cæsarem prædecessorem vestrum fortissimis mœnijs obfirmatam, suo nomine, quæ prius Bizantium dicta est, & præsentia legitur decorasse, vbi summa Ecclesiasticæ & imperialis Maiestatis viguit sanctio: Vbi fuit Legum Sacrarium: fidei viguit norma, & religionis specimen institutis & observantijs religiosissimis prærornata. Licet & tibi quandoque Sathan non abfuit, qui Arium, Sabellium, Manichæos, Nestorium, Macedonium, Dipstorum, Eutichem & cæteros excitavit hæreticos: qui in agro Domini, in tritico fidei zizania seminavit verumque impedimentum huic nostro sincero proposito præstitit, quod vestras imperiales literas, duntaxat decem diebus festum Sancti Gregorij præcedentibus, præsentato recepimus baiulo. Cum verò regnum nostrum Daciæ, vbi residemus, ad præsens insulis intersecetur, diversis vadis Ponti à se distantibus invicem; & primo tempore Parlamentum regni nostri prædicti, cuius consultatione in rebus gravioribus affectari solemus, absque prolixi temporis intervallis congregare minimè potuerimus. tum etiam quia sumus in procinctu ad regnum nostrum navigandi Norvegiæ cum expeditione, contra hostium nostrorum incursus, quos frequentius sustinemus: eapropter Cæsarijs vestris desiderijs & hortatibus pro nunc satisfacere minimè potuimus.

Si verò in præfata diẹta pro sancto isto & pio opere celebranda, aliqua salubria atq; vtilia concludentur: de quibus nos cerciorari duxeritis, quantum nobis possibile fuerit, salvis regnorum nostrorum negotijs, animo gratissimo faciemus. Cæterum in caussa ordinis Prutenorum beatæ Mariæ Hierosolymitanæ, ex literis vestræ Serenitatis plenius intelleximus. Cum verò talis inter ordinem, militiam & patriam sit exorta di-

ſcordia: vt peiora magis indies nocitura veriſimiliter formidemus: ac præterea tractatus concordiæ magis quotidie difficultari metuamus: in quo ordini & patriæ ex intimis medullis condolemus: ſi tamen fuerimus requiſiti obtentu veſtrarum Imperialium literarum, omnem ad ordinis profectum, & patriæ concordiam, & pacem efficacem libentiſſimo animo operam conferemus. Vale Sereniſſime Princeps, & frater chariſſime in illo, qui in cœlis habitat & imperat, cuncta ordinatione ſua gubernans feliciter & longæve: cui nos afferimus animos præparatos: petentes à Celſitudine fraternaque charitate veſtra, hanc præſentem excuſationem noſtram coram Illuſtribus Principibus & Sereniſſ. Regum oratoribus, & Legatis Apoſtolicæ ſedis, qui dietæ conſtitutæ præſentes exſtiterint, legi atque recitari. Datum in Civitate noſtra Roſchildæ, die Dominica Palmarum, MCDLIV.

MAONENSES CIVITATIS ET INSVLÆ CHII, Rom. Pontifici.

ETſi videmus, Beatiſſime Pater, maximis noſtris periculis nos obiectos furori Mahometi Turcarum Regis: qui in omnes Chriſtianos promiſcuè arma ſumpſit: huc vſq; tamen quadam animi alacritate ſæuas illius minas, & illata plurima mala ideò perferebamus: quia certam conceperamus ſpem Chriſtianos, clade tam nefaria accepta, pia arma ſumpturos: & ſummo conſenſu ac faciliore eventu hoſtem infidelem atque nimis inſolentem oppreſſuros: cumque in dies graviora ab ipſo capiti noſtro imminerent: non aliter eadem ſoliti eramus pendere: quam vt quoddam commune Chriſtianorum incitamentum ad vindictam acceleraremus. Quibus rebus ſpem noſtram foventes, omnibus artibus & præſidijs contra eius vim nos muniebamus. Sed (heu ô nimis longam ſpem!) Chriſtianorum arma nimis delata; ſiquidem omnibus quieſcentibus iam oppugnamur: iam ingens vis & rabidus furor in nos converſus eſt.. Non erimus nunc in eo occupati, Sanctiſſime Pater: vt veſtræ Sanctitati explicemus, emiſſam nuper in nos claſſem, & damna plurima illata. Illud potius eſt præſentis terroris: illud inſtantis & maximi diſcriminis: quod inſpecta loci opportunitate, primo proximo vere, eadem claſſis auctis viribus, & comparatis bellicis operibus, quæque ad oppugnationem pertinent, in nos eſt reditura: quod ita fore, non vano rumore, ſed certis auctoribus comperimus: Contra quos impetus vt perſtare poſſimus fidelis quidem & conſtans animus non deſperat.

Sed

Sed quantæ ſunt vires noſtræ ? quonam ſe pacto ſine communi Chriſtianorum auxilio tam modica colonia defendet ? Quæ licet parva, quanti tamen ſit momenti, omnibus Chriſtianis transmarinis haud ignotum putamus: cuius ruina plurimos in eandem ſecum trahet calamitatem.

In tantis igitur noſtris & aliorum Chriſtianorum periculis ad Sanctitatem veſtram ſapientiſſimam confugimus : quam non dubitamus divina providentia hoc potiſſimum tempore ad Apoſtolicam ſedem aſſumptam : vt ſuo impulſu & auctoritate vniverſalis fides & Chriſtianum decus inſtauraretur.

Apud eandem, quas præſens neceſſitas exprimit, preces fundimus: obſecrantes, cauſam noſtram & Chriſtianorum foveat: & cœptum ne deſerat Chriſtiani concitentur: ſumantur arma : quæ ſi non ita ſtatim inferri terra marique poſſunt : at illud ſaltem maritimi auxilij non denegetur : quò tantiſper hanc paratam vim ferus hoſtis contineat : & nos ſalvi eſſe poſſimus. Hæc ita fieri non maximi laboris eſſe putamus : & Apoſtolicæ auctoritati non difficile. Conſervantur autem non Græci: non ſchiſmatici : Sed Italici generis antiquiſſimi Chriſtiani: qui ſemper ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro affectu & dediti & obſequentiſſimi fuerunt: & quorum tutela aliorum pericula propulſantur. Quòd ſi ea infelicitas eſſet vt, tam iuſtæ preces apud Chriſtianos deperirent : IESVM CHRISTVM DOMINVM noſtrum iudicem invocamus: veſtram Sanctitatem teſtantes: nos impiè à ſocijs Chriſtianis deſtitutos, pro fide tamen vſque ad extrema pericula pugnaturos : paratiſſimi ſemper omnibus obſequijs Beatitudini veſtræ: cuius pedes humiliter exoſculamur. Ex Chio. XIV. Auguſti. MCCCCLV.

PETRVS FREGOSIVS DVX IANVENSIVM, REGI Aragonum & vtriuſque Siciliæ.

COgitationes, quod bella adverſus nos ſæpenumerò, Sereniſſime ac Excellentiſſime Rex, iniuſtè ſuſcepiſti, magnitudinem animi tui, etiamſi plura forſitan cupit, quam capere poſſit, admirari & extollere aliquando potuimus.

Sed vbi apertè deprehendimus, nullam inter nos belli cauſam eſſe: niſi ſi tuos movet prædæ aviditas: id indignum tanto Rege, nemo eſt qui neſciat.

Non admirari tamen non poſſumus ſapientiam tuam : cum

per ætatem, tum rerum graviſſimarum vſu, tum periculis edoctum, toties adverſus nos malè expertam fortunam tuam rurſus velle tentare: eo magis, quod vos tot veteribus totque recentibus iniurijs, quot tua Maieſtas nobis intulit prorſus abiectis: ſummique Pontificis tui conſilio & precibus moti: ſuperiore anno ad inducias ſemeſtres pervenimus. In quo etſi pro fide tanti numinis, & pro noſtra animi æquitate, ac in tuam Amplitudinem devotione, iam animum tuum ad tranquillitatem pacemque confirmatum credidimus: exiſtimavimus pericula Turcorum, quibus ſine tua & noſtra pace tutò ſatis occurri non poterat, non modò ſervandæ paci, ſed augendæ inter nos benevolentiæ prodeſſe poſſe. Nam cum ſciremus hanc animi tui eſſe magnitudinem: vt in gerendis bellis vera gloria conſtituta eſſet: oblatum tuæ Maieſtati hoſtem eſſe videbamus: cum quo non humanam modò, ſed cæleſtem gloriam poſſes adipiſci: in quo gerendo etſi per te potentiſſimus videbare: nos propitios ac omnino obſequentes tibi habere potuiſſes.

Quæ igitur, ſapientiſſime Rex, cauſa excitare te aut compellere potuit: vt rurſus & tam repentè bellum adverſus nos in tot calamitatibus orbis Chriſtiani ſuſciperes: vbi nihil à nobis non modò agi, ſed nec cogitari videres, quod tuæ Amplitudini, tuæque dignitati obeſſet? At ſaltem ſi tanta nobiſcum pugnandi cupiditas te movet: quæ certè movere non deberet: quomodo fœderis percuſſi inter nos oblitus es: vt prius triremes ad noſtra damna præmiſeris: quam id modo aliquo denunciatum nobis fore volueris? Eſtne hæc fides tanti Regis: vt triremes tuæ, quas paulò antè amicas hoſpiteſq, & omni commeatu ac humanitate plenas à nobis dimiſeramus, vix portu noſtro egreſſæ, ad noſtra damna diſcurrere non erubuerint? Quis eſt inter Chriſtianos Principes, qui tam iniuſtè, tam repentinè bellum ſuſcepiſſet? Rex es, qui multa per ætatem tuam expertus es: ita vt per felicitatem tuam, qui te diligunt, & qui te non norunt, plerunque poſſint extollere: quive nullius conſilio indigere videre. Sed memento tamen, nihil tam firmum ac ſtabile eſſe, cui periculum non ſit ab invalido. Hæc iam laborum vitæ tuorum pars ſupereſt: vt quam pugnando gloriam adeptus es, pace demum & ocio magis, quam diuturnis laboribus ſervare poſſis.

Plura reges pactis artibus iuſtitiaque, quam armis adepti ſunt: & plures fuere, qui iniuriam inferentes plerunque ſunt ab impari hoſte ſuperati. Si tamen vllam Maieſtas tua querelam deferre velit: habes Pontificem, ſunt Reges: ſunt alij Principes: quorum conſilio omnis noſtra controverſia dirimi poſſit. Quod ſi fugis: ipſemet, iuſtè an iniuſtè facias, facilè iudicabis: Sin nos, vt cœpiſti, laceſſere non deſines: Deum fidei & cauſæ noſtræ teſtem iudicemque obteſtantes, ſaluti noſtræ ita conſulemus: vt

huius

huius suscepti consilij Maiestatem tuam aliquando pœniteat. Ianuæ. XVII. Iulij. MCDLV.

RAPHAEL DVX ET CONSILIVM IANVÆ, PHILIPPO. Duci Burgundiæ.

SCimus non oportere, Illustrissime & præclarissime Princeps, vt hoc loco dicamus, quo studio ac observantia omni tempore coluerimus clarissimos parentes, avos, cæterosque maiores vestros, ac deinde Sublimitatem tuam: quoniam si hæc, vt sunt, Excell. vestræ nota sunt, non est, cur hæc ipsa nunc recenseamus. Hoc vnum dicimus, cum primum innotuit nobis, triremas vestras contra Imperatorem Turcarum Hellespontum petere: mandata dedimus, non modò Prætori nostro Peræ: sed cæteris insuper Rectoribus nostris transmarinarum vrbium: vt earum præfectos trierarchasque omni humanitate ac benevolentia foverent: portasque illis vrbium patefacerent: & portus commeatusque præberent: ac demum nullum prætermitterent benignitatis officium: quo non in illos vterentur. Hæc illis à nostris an præstita sint, Excell. vestra curiosius exquirat: nobis à Præfectis nostris illarum vrbium renunciatum est, fuisse à se præceptis nostris enixè obtemperatum: vestrosque non secus omni commoditate earum vrbium vsos fuisse: quam si civitates illæ sub nomine Amplitudinis vestræ gererentur.

Nam præter portus commeatusq; amicè præstitos, præter fores confidentissimè patefactas, & se vestris convivia præbuisse: & sua omnia liberaliter detulisse: inter quæ nec illud obscurum est, magnificum D. Gotofredum Præfectum triremium, cum non longe à Phaside fluvio in regione Colchorum in terram armatus descendisset, captusque ac vinctus fuisset: opera viri nobilis Hieronymi de Nigro civis nostri servatum, & vinculis solutum. Hæc autem à nobis ita contexta sunt: vt Amplitudo vestra intelligat: quam indignè ab ijsdem triremibus nostri postea læsi sint. Nuper nobis à Rectoribus nostris Caphæ redditæ sunt literæ: quibus nunciant, has vestras triremes, sub auspicijs D. Gotofredi mare Ponticum ingressas, multas cepisse nostrorum naves: qui licet vel infideles, vel schismatici forent subditi, tamen nostri sunt, & si cum infidelibus bellum geritur, non adversus illos saltem geratur, qui in Christianorum oppidis habitant: quique se, vitam & opes fidei nostræ commiserunt. Est præterea hæc iniuria maior: quod vniversum mare Ponticum tutelæ defensioniq; Ianuensium supra annos centum commendatum est: quibus seculis ita est à nobis custoditum: vt vel nunquam, vel rarò admodum piratæ vlli illò vsque penetrare ausi fuerint.

Si quis in eo mari iniuria afficitur: nostrum est subvenire læsos & eum ab iniuria tueri. Cum autem ij nostri directi ac spoliati ad nostros Præsides querelas detulissent: & ipsi apud D. Godefredum pro reddendis ablatis agerent: respondisse dicitur, esse sibi bellum cum omnibus infidelibus. Nec profuit memorasse, tutelam nos illius maris gerere: & quod efficacius est; illos esse subditos nostros: & intra mœnia oppidorum nostrorum habitare: quoniam perpauca admodum fuere, quæ reddita illis sunt: & quod etiam auget iniuriam, quidam levi parte ablatorum accepta, coacti sunt chirographo aut alio scripto fateri sibi cumulatissimè satisfactum. Quæ omnia adacti necessitate, sublimitati vestræ nunciamus: non tam, vt contra D. Godefredum querelas deferamus (id enim perquam inviti facimus: & alioqui virtutes eius admiramur) quam vt sublimitas atque Excellentia vestra, re cognita, iubeat, quæ iniquè ablata sunt, reddi: & si qui captivi ex nostris detinentur; sive infideles, sive alio errore implicitisunt; protinus exsolvi.

Nam si contra Regem Turcarum arma capta sunt: quid meruit Persa? quid Armenius, aut Sarmata? qui maluit in nostris vrbibus habitare, cur diripiuntur aut capiuntur? Oramus præterea iustitiam vestram: vt sive hæ vel aliæ triremes trans maria rediturae forent, vel vllæ ibi remansuræ: dignetur ea illis dare præcepta; quibus sese à damnis nostrorum abstineant. Ianuę XXIV. Septemb. M C D X L V.

IANVENSES PAPÆ CALISTO.

NEmo propè est, Beatissime Pater, & Domine nobis colende; qui nesciat; quantus terror & animi consternatio populos invaserit Pontici maris tunc, cum capta Constantinopoli Mahometus Turcarum Rex Thraciam Bosphorum ita clausisse visus est, vt Pontum inaccessibilem fecisse putaretur.

Nam cum illic Europam ab Asia angustum dirimat fretum; Rexque in vtroque littore immania tormenta disposuisset; claustra iniecisse mari, non sine ratione dictus est: tantusque pauor in omnes, qui mari negociantur, effusus est; vt intra annum nemo introrsum penetrare ausus sit. Paravimus autem nos ingenti quidem mercede naves duas, in quibus arma, viri, tela, & reliqua necessaria Capham mittebantur.

Sed navium magistri, cum pervenere Peram, falsis pollicitationibus decepti, descendentes in vrbem, capti & in vincula coniecti sunt: atque ita conatum nostrum perfidia regis irritum fecit. Interim terrestri

ſtri via frequentes ad nos afferebantur literæ; quibus miſerabiles illi populi opem orabant. Horum cum nos pericula lachrymæque flexiſſent; alias iterum naves maiori ſtipendio conductas, omnia portantes quæ deſiderabantur, Capham penetrare iuſſimus; quæ, Aprili ſuperiore ſalvæ eo pervenerunt;tantumq; ſpei trepidis populis iniecerunt, vt qui de deſerenda patria conſilia ſæpius agitaverant, non modo in fiduciam erecti ſint; ſed alij quoque invalida oppida relinquentes, Capham migraverunt: arbitrantes eiusmodi auxilia ſibi nunquam defutura eſſe.

Verum cum redeuntibus navibus ipſis,earum altera tormentis icta, mox obruta mari ſit; certum videtur,civitates illas in priorem deſperationem collapſuras eſſe: nec facilè inveniri poſſe navem, quæ audeat, etiam geminata mercede, tam certo diſcrimini ſeſe obijcere. Hæc dum cogitamus ſanctiſſime pater; facilè prævidemus, populos iſtos deſperata ſalute animum abiecturos eſſe; niſi vel navis auxilijs, vel ſpe certa foveantur. Et ne quis forſitan putet nos pro vili plebecula verba facere: habet Ponticus ille angulus Imperium Trapezontanum, claris vrbibus frequens: habet Capham, non ambitu quidem mœnium, ſed populorum multitudine, Conſtantinopoli facilè præferendam: Habet Soldaiam; habet Simbolum, haud contemnenda oppida: habet denique Amaſtram, vrbem quondam celebrem, ſed ſanctorum Epiſcoporum fama celebriorem. Præter quos inſuper populos extenditur latè ora maritima; quam Hoſtiam vulgò nominamus; quam ſoli incolunt Chriſtiani.

Cum igitur, vt perſpicuum eſt nobiliſſimarum vrbium ac maximorum populorum ſalus aperto in diſcrimine verſetur; qui ſine ope ſanctitatis veſtræ ſalvi eſſe nequeunt: orandam duximus benignitatem veſtram, velit ad eorum calamitatem animum oculosque convertere: eamque illis opem ferre, quæ pro rerum ac temporum conditione præberi poteſt.

Super quibus omnibus venerabilis ſacrarum profeſſor Deodotus à nobis pridem miſſus ad Beatitudinem veſtram ſi quid opus fuerit, particularius verba faciet.

Quem vt audire & exaudire dignetur, eam iterum atque iterum precamur; cui nos & noſtra omnia ſupplices commendamus. Ianuæ M CCCC LV. die V. Novemb.

PETRVS

PETRVS DVX ET CONSILIVM GENVENSIVM
Calixto Papa Romano.

LEgimus, Beatissime Pater, & Domine nobis colendissime, literas Sanctitatis vestræ XXIII. die Maij superioris datas. Legimus item exempla literarum Reverendissimi Domini Cardinalis Sancti Angeli, quas ex Vngaria XVII. die mensis Aprilis misisse videtur. Ex his cognovimus, quanta sit serenissimo illi Regi spes reposita in classe sanctitatis vestrę, quamque cupiat, eam littora terrasque Turcarum mox incursare. Nobis multa cogitantibus, verba profectò desunt; quibus studium ardoremque vestræ Sanctitatis ad fidei defensionem dignè extollere satisque laudare valeamus. Quid enim addi posse dicemus tanto animi feruori: qui erogatis auro, argento, gemmis, seipsum cupiat pro suo grege in captivitatem dare. Verum quoniam hæc pia animi vestri conscientia, in DEO requiescens, humanas laudes aspernatur: missa hæc facimus. Quod nos respicit, Sanctissime Pater: non est ignotum sapientiæ vestræ, hanc Remp. etiam priusquam Mahometus Constantinopoli potiretur, non exiguum Turcici belli pondus subijsse. Ex eo omni tempore navibus, viris, armis, tritico, vrbibus Pontici maris succurrere cepimus: vixq; vnquam postea eiusmodi sumptus cessavit.

Postquam autem à conspectu vestræ Beatitudinis redierunt Legati nostri: cum Rhodus, Chius, Lesbus, aliæque vrbes & insulę manifestis periculis obiectæ viderentur, præter Ponticarum vrbium curam, ad has quoque terras consilia convertere necessarium fuit. Itaque naves duas cum viris circiter quingentis, armisque & instrumentis bellicis, Chium misimus, vnam Mitilenas cum ducentis, & omni telorum armorumque genere: tritici autem tantum conveximus Chium: vt si vel Rhodus, vel alij vicini populi esuriant, inde fami eorum succurri possit. Capham autem, & ad alias Ponticas vrbes, duas item misimus alias naves, magnam frumentorum vim ferentes: quarum altera omnium maxima quæ Mediterraneo mari navigavit, fulmine icta malo, & antennis ambustis, facta invtilis est; ingruitque necessitas aliam loco eius quærere, quæ in pontum penetret; & onus incensæ, non sine novo & gravi sumptu, illuc perferat. Hæc quicunque rectè cogitare voluerit: licet gens aliqua, & hosti formidabilis classis à nobis comparata non sit: inveniet tamen nos hoc longo & assiduo bello tot naves, tot viros armasse, tantum pecuniarum profudisse; vt longè minore sumptu prævalida classis parari potuerit. Lætamur classem sanctitatis vestræ nunc solui, & Orientem petere: quæ vtinam Calendis Maijs (vt fama erat) in Asiam pervenisset. Fouisset enim bona spe Christianorum populorum animos: quorum quidam perterriti, abiecta spe Occidentalium præsi-

præsidiorum, pacem cum Rege Turcarum agitare feruntur. Nos, Beatissime pater, quanquam diuturni belli mole defessi, non desinemus tamen terris & Insulis, quas nominamus, opem ferre, quandiu vires patientur: Et si reges ac populos Christianos Beatitudo vestra in vnum consensum adducet, præclaram aliquam magnificamq; expeditionem adversus Turcas parare annitemur: profectò spei, quam de nobis Sanctitas vestra concepit, respondere: nec promptitudine, vel ardore cuipiam cedere conabimur: quinos nostraq; omnia Benignitati vestræ propensius cōmendamus. Ianuæ die XI. Iulij. M.C.DLVI.

PETRVS DVX, ET CONSIL. GENVENSIVM SACRÆ Regiæ Maiestati Angliæ.

ETsi nobilissimum illud regnum Angliæ, Serenissime & præcellentissime Princeps, remotum est admodum ab Imperio Turcarum: arbitramur tamen, non esse ignotum Maiestati vestræ: quanto in periculo versentur vrbes illæ insulæque Christianorum, quæ Turcis propiores sunt. Chius certè, Lesbus aliæque his vicinæ insulæ, & Amastrata præterea, ac Simbolum, Caphaque & aliæ Pontici maris civitates, adeò attonitæ & tremefactæ sunt; vt, nisi præsidijs nostris servarentur, vix in diem vsque præsentem perdurare potuissent; Nos, annus iam tertius elabitur, ex quo his populis adversus Regem Turcarum naves, viros, arma, triticū assiduè propè subministramus: tanto quidem sumptu, vt defessi & inexausti vix spiritum trahamus. Non ignoramus, præclarissime Princeps, ex ijs quæ rerum gestarum scriptores prodiderunt, perrarò vnquam adversus infideles bella esse suscepta: in quibus inclyti quondam Reges Angliæ, viri Christianissimi, & divini cultus zelantissimi, magnam laborum ac periculorum portionem non subierint.

Quæ nos movent Maiestatem vestram orare; vt ad reprimendam insolitam hanc Turcarum ferociam, velit iam oculos & cogitationes suas convertere; ita quidem vt Christiani populi in Oriente ac Septentrione positi tanti Regis auxilia sentiant; & rex ipse Turcarum, apud quem omnes Reges nostri irrisui sunt, sciat esse sublimitati vestræ vires; quę sibi terrori ac formidini esse possint. Cæterum injecta nobis suspicio est; quosdam tentare, vt cives nostri Londini negotiantes, contra ius fasque contraque fœdus & colligationem, quæ multis iam annis est cum Maiestate vestra, subijciantur novis gravaminibus: de quibus aliquando suscitata cùm fuissent, virtute eius fœderis libere ab ijs absoluti fuere. Non arbitramur, æquissime Princeps, humanitatem vestram expectare à nobis hoc loco preces exaggerari. Nam quo excelsiore loco sublimata est serenitas vestra; eò magis decet promissorum suorum curam habere. Ex quo, vt duorum saltem meminerit, summa sit precum nostrarum, primi, nostros: vt

diximus, in reverentiam eius fœderis iam dudum absolutos fuisse: reliqui, quod cum celeberrimæ memoriæ Domino quondam parente vestro Heinrico, gloriosissimo Rege fœdus contractum est, quod ob memoriam eius decet, Maiestatem vestram, longè maiore studio observare, ac tueri: in cuius gloriam sumus omni tempore cupide parati. Ianuæ Anno M. CCCCLVI. die VII. Aprilis.

FRANCISCVS PHILELPHVS SVMMO Ecclesiæ Romanæ Pontifici Calixto III.

ETsi nonnullos existimabam fore, Beatissime Pater: qui meam erga te observantiam audaciæ nomine depravaverant: malui tamen honestatis & officij mei, quam aliorum, adversus me calumniæ habere rationem. Nam qui pluris facit commodum, quam virtutem: is mihi videtur totus ex fortuna pendere: quæ vt instabilis est & fallax: ita omni virtuti maxime adversa atque inimica.

Quare non quid imperiti sentiant: sed quid sentiendum sit, mihi fuit considerandum. Itaque ijs omissis omninoque reiectis ita mihi agendum est cum tua Sanctitate: vt intelligant omnes, nihil mihi fuisse potius quam favere laudi tuæ: quam qui de se negligit: is vt Apostolo Paulo repugnat: ita se hominem esse obliviscitur. Quid enim magis est hominis, quam omni studio atque diligentia sequi amplexarique virtutem? At laudem quid aliud esse dicimus, quam orationem eam, qua virtutis magnitudo amplitudoque demonstratur. Itaq; absurdum est, qui bonis actionibus delectatur, eas pati in obscuro esse: quasi, quod invidorum est proprium, alios nolit sui imitatores. Vt igitur dignitatis gradu cæteris omnibus mortalibus præstas: ita operam te dare oportet, vt amplitudine præstantiaque virtutis & sapientiæ cunctis hominibus superior iudiceris. Etenim, vt graviter ac recte Cyrus ille superior dicere solitus perhibetur) neminem decet imperare, qui subitis sit deterior. Et Bias ille Prienensis, qui vnus est inter septem sapientes numeratus, pulcherrime monebat, Imperium virum demonstrare.

Quod si morum similitudine benevolentia generatur natura: dissimilitudine verò odium: quis ambigat eundem esse & bonum & doctum virum; qui bonorum doctorumque virorum consuetudine ac familiaritate vtitur? Quantam sibi gloriam comparavit Nicolaus V. qui te modo antecessit in Pontificatu: cum ad cæteras virtutes suas vitæque sanctimoniam, tanta eruditione, tanta sapientia, tanta eloquentia polluit: vt omnibus benefaceret: omnes ad se accerseret: quos vlla vel ingenij, vel doctrinæ præstantia insignes esse audiret. Videmus vnius illius optimi sanctissimique Pontificis, vel diligentia, vel munificentia esse factum: infinita pe-

ne Græca volumina, quæ nostris hominibus erant ignota, de rebus maximis atque clarissimis à Græcis Philosophis, historicis, oratoribus eleganter scripta, in Latinum esse traducta sermonem. Idemque factum est de libris Theologicis atque Mathematicis: adeò vt non multum iam invidendum sit Græcis auctoribus: cum ita multos apud Latinos legere liceat.

Quod si diutius aliquanto fuisset in vivis: cum reliqui rerum aut optimarum aut admirabilium scriptores: tum Poëtæ ipsi, maximeque nobilissima illa duo divini Homeri carmina, quibus hominum vita in omnem partem instituitur atque ornatur, Latinitatem induisset. Quid? quod post vrbis Constantinopolitanæ captivitatem, atque miseram illam & infortunatam depopulationem, nuncios suos & negociatores clam misit per vniversam illam & Europam & Asiam, quæ Turcis paret: conquirendos emendosque Græcos codices: nulli neque labori parcens, neque impensæ? Neque id negocij frustra susceptum est.

Nam innumerabilia propè volumina ingenti etiam precio advecta sunt in Italiam. Itaque iure optimo dici potest, non perijsse Græciam: sed in Italiam, quæ olim Magna Græcia dicta est, vnius illius Nicolai Pontificis clementia, commigrasse.

Et ne omnino se Græcum dici, quam Latinum haberi mallet: & nuncios & negociatores misit quam plurimos per vniversam Europam cum grandi pecunia: qui diligenter vbique odorarentur; si quid Latinæ gravitatis & elegantiæ vsquam lateret: idque nullius precij habentes rationem omnino ad se devehendum curarent.

Scio vnum ex ijs fuisse Enochum Æsculanum: qui quondam fuit Florentiæ auditor noster, vna cum Ænea isto Sylvio: qui nunc Senæ gerit Episcopatum. Is enim Enochus in Daciam vsque profectus est: &, vt referunt aliqui, in Scandinauiam vsque: quæ quàm longissimè vltra reliquas omnes insulas, de quibus extat memoria apud priscos rerum scriptores, posita est in mari Oceano è regione Germaniæ ad Septentrionem. Itaque eò tibi maior cura iniecta est, Pater beatissime: quod ei in Pontificatu successisti: cui nihil potius fuit; quam consulere communi omnium bono: quam prospicere publicæ Christianorum omnium vtilitati & gloriæ: quam ea sequi atque complecti, quæ Romano Pontificatui & ornamento & splendori futura essent.

Non suos ille curabat aut locupletare, aut magnos reddere: qui sciret iam sibi nullam esse sui potestatem: intelligeretque turpissimum duci viro gravi & sapienti, mentẽ cũ ore non cõvenire. Nã quid absurdius dici queat, quã cũ agere quicquã imperiosius, & pro animi impotentia: qui se in omnibus suis literis scribat Servum Servorũ Dei? Rectè igitur Nicolaus V.

in omnibus suis actionibus assidue Deum præ se ferebat: suorumque omnium oblitus commodorum; referebat omnia ad dignitatem & amplitudinem Romani Pontificatus. Et ne vllam sapientiæ partem neglexisse videretur: intelligeretque non solum duo vivendi esse genera: alterum contemplativum, alterum activum: sed rursus actionum alias esse bellicas, alias vrbanas: quicquid temporis ab intelligentia rerum admirabilium atque divinarum supererat: id omne ita ad virtutes bellicas transferebat, vt vrbanas nunquam à se reijceret: & hæc tamen omnia ad Dei & Christianæ religionis dignitatem & gloriam. Parabat magno conatu & viribus bellum adversus Turcas: quos animadverteret quotidie magis magisque invalescere: nec aliud animo volutare, quam perniciem & exitium nominis Christiani. Itaque belli nervos, hoc est, pecunias, & ab alijs comparabat: & sibi ipse non parcebat. Intelligebat enim omnia oportere esse communia pro Christo Iesu: classem adornabat ingentem & validam: copias vndique accersebat: nihil denique prætermittebat, quod ad belli gerendi, quod ad consequendæ victoriæ rationem attineret. Neque tamen, hæc dum ageret, literarum & humanitatis studia à quotidiana sua consuetudine aliena faciebat: sed cum sciret eum se virum esse, qui divinum in terris solium regeret atque gubernaret: omnem in sese hominis excellentiam repræsentabat: vt non minus in omni vitæ actione, quam in vniversæ intelligentiæ studio, reliquis mortalibus præstaret. Itaque viros doctos & eloquentes assiduè apud se habebat: neque vllum omnino negligebat: in quo præclaram ingenij vim aliquam intueretur. Quanta verò in omnes huiusmodi viros munificentia vteretur: nemo omniũ melius novit, quã ipse tu, Pater Beatissime. Faciebat autẽ & prudẽter & rectè: cũ nosset, nihil esse ad excitanda ingenia, alendasq; disciplinas accommodatius, honoratione ac beneficentia. Quo quidem consilio atque benignitate id effectum iam videbamus: vt non Latini modò, sed cæteræ etiam nationis in omni orationes & doctrinæ cultu expolirentur. Revocavit illum ad se Deus omnipotens: qui agit omnia semper pro summa infinitaque providentia: & ei in Pontificatu succedere te vnum idcircò, vt mihi persuadeo, voluit: quoniam prudentissimum innocentissimumque cognosceret.

Quid enim tibi deesse ad prudentiam possit, qui & extremum senium vivis: & in negocijs semper maximis, varijs, difficilimis, summa cum laude tua es versatus? Videmus te illam actionis partem, quam ille temporum calamitate coactus inierat, quam diligentissimè persequi. nam tui quæstores vbique ex populis Christianis pecunias exigunt ad conflandum per continentem in Turcas exercitum: Classis quoque exædificata est, rebus omnibus ornatissima & maxima: virtuti bellicæ, quantum in te est, per-

pulchrè

pulchrè consulitur: sed reliquum est, ne vrbanæ fiat iniuria. nam si viris eruditis & eloquentibus à nobilissimo illo & sanctissimo Pontifice Nicolao V. prudentissimè constituta præmia sustuleris: quid de te vno relinquatur desiderandum, non obscurè suspicari potes. Noli obsecrò, qui scientissimus sis, à quoquam insimulari inscitiæ. Quod eò facilius accidet: quod accusant nonnulli, non tuam, qui innocentissimus sis, sed tuorum quorundam, non tam subreptionem, quam incuriam istius Bibliothecæ: quæ tanto nuper labore tantaque impensa ex vniverso prope terrarum orbe comparata est. Huic igitur crimini, quod nulla tua culpa conflatum est, vt & quam primum, & quam accuratissimè occurras, oportet. Nam confictis etiam rumoribus prospiciendum est: ne quam tibi tanta probitate Pontifici famæ notam, vbi neglecti fuerint, possint inurere. Animadvertimus enim fieri malo hominum more: vt flagitiosorum famulorũ errata in iustos etiam integerrimosque dominos nonnunquam referantur. Itaque tibi providendum arbitror: dum bellum paras in Turcas: ne domi prædam ipse patiare. Frustra enim foris iusti existimemur: si domi iustitiam non seruamus: in his præsertim rebus, quæ nostræ non sunt; sed Reipublicæ: sed Ecclesiæ Romanæ: sed Christi Iesu. Quare cum diligens librorum ratio est habenda, ne pereant: tum, qui eos & exercent & norunt, honorificè simul & commodè retinendi. Cui enim vsui sint futura, tot & tam præclara in omni genere disciplinæ Latina Græcaq; volumina, sine his viris, qui & Græcè & Latinè sunt eruditissimi? Neque arma bellica sine militibus ac duce vtilia sunt: neque triremes sine remigibus & gubernatore. Sed hæc tu, Pater Beatissime, longè prudentiùs & meliùs dignoscis: quàm ipse norim exprimere. Libuit tamen, quæ mihi veniebant in mentem, pro mea erga te pietate, non præterire silentio: vt intelligeres, mihi splendidissimum tuum nomen curæ esse non mediocri. Quòd si qua fortassis in re tuas aures offenderim, id imprudentiæ ascribe non voluntati. Vale, Pater clementissime, & me commendatum habe. Ex Mediolano IX. Kalen. Martias. M CCCC LVI.

ALPHONSVS REX ARAGONVM ET VTRIusque Siciliæ, Principi ac Senatui Genuensi.

QVi vos fortassè non norunt, ò Dux Baliæque Præsides: si modo aliqui in terra vitam agunt, qui vos non nôrint: poterunt hi quidem ex literis vestris metu aut admiratione aliqua affici. Ego vero, qui toties iactantiam vestram, toties levitatem atque perfidiam expertus sum: non solum, quod scribitis, non magnifacio, neque formido: sed is potius sum, cui facere videamini, quod impudica mulier solet: quæ si semel animo pudorem abiecerit; in castas probasque obiectare adulteria non desinat.

Etsi vobiscum verbis contendere consilium non sit: respondebo tamen abunde satis pro tempore literis vestris: quo mortales atque immortales omnes intelligant, me nequaquam bellum contra nationem Genuensium in præsentia suscitasse: cum qua & amicè, & benevolè vivere perpetuò, nisi nobis publicè fiat iniuria, decrevimus. Immo verò pro civitate Genuensi, id est, pro optimatibus summisque viris, ac civitatis flore, qui vestra vi atque opera extorres degunt, nos contra fœdifragos triremes nostras immisisse: pro his inquam, quos multis antehac experimentis inspectos, sciremus firmos & constantes publice & privatim in proposito perstitisse: humanitatem atque iustitiam colere consuetos: quosque haud dubiè speremus, si nostris auspicijs, nostraque ope in vrbe restituret, Rempub. capessant, melius fidem, gratitudinem, fœdus, pacem & decus omne nobiscum servaturos.

Ac primum omnium, si qua vobis rerum præteritarum memoria exstat, primam atque secundam inter nos pacem vestra avaritia atque perfidia violatam invenietis.

Sed vt nimis vetera omittamus: & ad hæc recentiora, de quibus querela & controversia est, veniamus: precibus vestris demum factum est: vt Calixtus Pontifex nos ad inducias, seu (vt vulgò dicitur) ad treugam vobiscum ineundam compulerit.

Quæ res tametsi parum duratura pro moribus vestris mihi videbatur: tamen Pontifici Domino nostro potius parere volui: quam de fide vestra parum confisus videri.

Sed neque illud præsertim Gothardo dictante, iactare debuistis: pacem scilicet inter nos factam consilio & precibus Pontificis mei. Aderat quidem Gothardus ipse tunc Legatus vester: cum Episcopus Atrebatensis, communi omnium Legatorum nomine, diserta quidem oratione me oraret: vt Genuenses quoque in vniversalem pacem susciperem: cumque ego responderem, Genuenses pro sua perfidia, pœna potius, quam pace, dignos videri: exclamasse Gothardum genibus provolutum? Tua nos saltem clementia, ô Rex humanissime, communi hac pace dignos efficiat.

Factæ igitur precibus Gothardi, sed interventu Pontificis, induciæ: fœdus ictum: cum id Pontificis saltem auctoritate aliquandiu sustentari posse existimarem: præsidium, quod in terra Corsica habebam, revocavi.

Vos interim occasione oblata, oppida, quæ illic Regia domus nostra possederat, vt erant propugnatorum vacua, occupastis; præfectos & populares nostros fœdissimè trucidastis: pacem de Pontificis sinu adhuc

huc calentem exstinxistis: fœdera, iusiurandum, fidem, pietatem, religionem pro nihilo existimantes: inter hæc etiam naves nonnullas subditorum nostrorum nihil hostile metuentium cepistis, diripuistis, abduxistis.

Quibus de rebus cum ego per Franciscum Castelletum Legatum nostrũ & item Bernardum præfectum classis nostræ, apud vos sæpius quererer, nec non apud Pontificem, per Solerium, nobilem Theologum, ita vbique super ea re negligentes extitistis: vt lætari atq; exsultare potius malo, quam illud corrigere velle videremini. Nam quas frivolas & ineptas excusationes, aut rectius præstigias adfertis: Magistratum (quem vos Divi Georgij cognomento appellatis) huiusmodi facinus patrasse, non vos: quasi caput ad ventrem culpam reijciat, venter ad caput. Facitis sanè, vt sacerdos ille Herculis apud D. Augustinum: qui solus vtraque manu alternante, dextra quidem pro se, læva velut pro adversario, tesseris ludebat.

Num itaque nos temerè aut repentè (vt dicitis) contra vos triremes immiserimus: qui toties per Solerium, toties per Præfectum nostrum, toties per Legatum, qui apud vos adhuc agit, damna illata à vobis frustra repetiverimus, studentes, quantum in nobis esset, amicitiam cum improbis etiam servare: si modò compillationum aut errorum illos aliquando pigeret pæniteretque? Illud autem admirari satis non possumus, quomodo Turcarum pericula nominare vos non pudeat: quippe qui probè scire debeatis, quo de genere Christianorum sint, qui prius ex Asia in Europam onerarijs navibus, precio & singulari avaritia ducti, devexerunt: quamve vbique terrarum conatus omnes Regum Ducumque Christianorum pro virili subverterint, subvertantque quotidie: Mahumetanis arma, tela, commeatum contra ius fasque subministrando. Rursum & hos nosse debetis: qui nunc cum Turca contra Christum perpetuò ferè coniurantes, expeditionem nostram, quantum in ipsis est, impedire conentur.

Nam, (per Deum immortalem) quid aliud est, pacem inter nos initam frangere: quam Turcarum causam agere? quam Christum abiurare? quam Christianorum omnium exitium optare? Viderit Christus ipse, cuius causa agitur, nos semel atque iterum pacem Italiæ summa diligentia procurasse, atque firmasse: cum ob alias causas: tum vel maximè, quod Christianorum in Turcas faciliores essent conatus, atque animi alacriores? Quod quoniam per vos nunc, ô Dux Octoque viri Genuenses, disturbatum iri palam est: in vos merito conatus nostri, veluti in novos Turcas exortos, in Italiam convertantur oportebat: nec prius ab incœpto destituri sumus; quam vos, Christo ipso bene adiuvante, supplices

ces nobis reddamus. Nec minus, Christo duce, in Turcas Asiaticos expeditionem, quam semel suscepimus, vobis invitis executuri sumus: palamque facturi, nos ea tantum cupere, quæ assequi aut capere facilè valemus. Postremo nos haudquaquam prætérit: victoriam alternam rem esse: nec hominum potentia, sed Dei Opt. Max. arbitrio constare: idcircò accidisse aliquando, vt ab invalidis fortiores vincerentur, plures à paucioribus: Vos contrà latere non debet: fortiores vt plurimum victores evadere solere: si iustam præsertim Deoque acceptam causam sustinent.

Quod si victoriæ alicuius recordatio vos subijt: memineritis simul & in ea fœderis violati: vt quantum ex victoria lætitiæ, tantum ex perfidia mœstitiæ contrahatis. Posthac verò vobis persuasum sit; non dolo aut perfidia amplius, sed armis & iustitia vincendum esse. Datum in Castello Novo nostro Neapoli, X. Augusti. MCCCCLVI.

PETRVS FREGOSIVS DVX GENVENSIS ALPHONso Regi Aragonum.

INfinitas propè à te, præclarissime Rex, pacis bellique temporibus nos accepisse literas meminimus: eam quidem verborum moderationem habentes: vt liquido appareret, eas & à Rege, & à moderatissimo Rege profectas esse. Hæ verò, quas X. Augusti die datas nuper legimus, adeò ab illis omnibus degenerant: vt, si tuum nomen tollas, asseverandum sit: eas neque tuæ Maiestatis esse, neque civilis alicuius viri. Tanto enim studio hic eius operis architectus væcordis in maledicendo facundiæ gloriam affectasse videtur: vt quid quomodoque loqui Regem deceat, oblitus sit. Nos verò quos falsas admodum obiectiones diluere cogis, ita causam nostram agemus: vt quemadmodum veritate ac iustitia, ita sermonis quoq; modestia maledicentem superemus. Obijcitur ante omnia priorem secundamque pacem à nobis fuisse violatam. Cuius criminis quoniam neque rationem, neque argumenta vlla in medium adferuntur, hoc dixisse sit satis, nos assiduas temporibus illis ad Maiest. Tuam querelas detulisse: cum triremes tuæ in spoliandis amicis & hostibus nullum discrimen haberent: & orasse, ad alicuius communis amici arbitrium controversias mutuas deferri: idque nunquam à te impetrari potuisse. Transis post hæc ad has inducias, opera Pontificis Rom. contractas: quas vter nostrum religiosius custodierit: testes sunt cœlum ac mare, & tot infelices ex nostris mortales: qui triremibus tuis vincti continentur: qui fiduciâ renovati fœderis, securi capti, ac spoliati, remoque addicti, crudelius à tuis, quam à Barbaris, habentur.

Verum quoniam direptionum & prædarum facinus in tuis credibilius

lius est: ad res Corsicanas statim converteris: obijciens, cum ea, quæ Corsicæ habueras, præsidia inde abduxisses: nos in oppida defensoribus vacua fecisse impetum: ijsque captis quosdam à superioribus quondam Regibus Aragonum possessos fœdè trucidasse. Nolumus hoc loco, præcellentissime Princeps, durius aliquid eloqui: ne, quam spopondimus, modestiam abiecisse videamur: hoc tantum dicimus, sublimitatem tuam in ordine rerum gestarum maximè falli. Nam discessisse tunc Corsica vllum præsidij tui, quem ibi tenuisses, fieri nequit: & longè ante contractas inducias miserat illuc Magistratus S. Georgij copias ad prædomandos rebelles, qui imperium exuerant. Sed ne videamur ex hac verborum brevitate nolle intelligi: Ranucius Leocanus longo antè tempore seque ac filios & terras suas tutelæ nostræ commiserat: in qua fide adeò constanter perseveravit: vt pro Repub. pugnans armatus in acie cæsus sit. Cum succedentes filij vellent & ipsi fidei suæ pignus aliquod dare: Genuam venere: seque iureiurando obstrinxere ad fidelitatem & obedientiam Magistratus S. Georgij.

Nec his contentus, Raphaël è fratribus se in Auriam familiam adsciscì petijt, & impetravit. Hic quieta consilia perosus, cum sententiam mutasset: & paterni proprijque promissi immemor, seque ac suos in rebellionem præcipitasset: misso exercitu captus est: & quas meruerat perfidiæ pœnas luit. Hunc si tua Maiestas virum in suos transferre velit: iam nunc palam conventa franguntur. Cautum est enim ex secunda pace: neutri partium licere, vrbes, terras ac subditos partis alterius, se etiam spontè dedentes admittere: Ex quo fateare oportet, aut licuisse nobis in eum & suos animadvertere: aut, si illos à te receptos non diffiteris, contra pacem fidemque ac iusiurandum receptos fateare necesse est. Fabulam autem illam, quæ adfertur, nos in excusationem causæ nostræ adducere solitos, Magistratū S. Georgij, non nos, hæc iussisse: velut ex eodem corpore membrum, in membrum aliud culpam regerat, quicunque confinxit: vanè, non solum astutè, vt creditur, confinxit. Nos profectò nihil vnquam tale, vel scripsimus, vel diximus. Quod si quid tale loquantur literæ nostræ: proferantur in lucem: sintque testimonio contra nos: id nisi fiat, palam fiet, Epistolam tuam, cum vera in nos crimina congeri non possent, vanitate & commentis fuisse refertam: neque religionem Christique vicarium, ipsumq; fœderis testem, & vltorē Deum teveritum fallere.

Nos quidem, quæ Magistratus ille, nobilissimum Reipub. nostræ membrum, vel decrevit aliquando, vel gessit, laudamus omnia: & veluti à nobis iussa, in nos referri facilè passi sumus. Sed respondeat, si potest, Sublimitas tua: si prohibebant induciæ, animadvertere nos in Corsos con-

tumaces nostros: cur non saltem ad Pontificem Rom. earum auctorem ita querelas detulisti: vt vocaremur, & admissi nostri rationem redderemus? Cur semestris intervalli, quod fœderi adiectum est, moram proferre nequivisti? Nimirum fecit nimia felicitas: vt fœdere ac religione Deique vicario contemptis, omnia tibi licere arbitrareris.

Sed iam ad Turcarum pericula veniendum est: quorum nos causam agere prædicas: nec pudet Christianum populum, cuius tu beneficio imperas, Italicos Turcas appellare. Nam vt omittamus, quantas quamque præclaras res Genuensis populus in Palæstina gesserit; cum vi & armis Hierosolymitanum regnum CHRISTO restitutum est: quantas deinde, quamque magnificas: cum pactum tueri, & postremò amissum recuperari oportuit: vt prætereamus etiam decennale bellum, quod pro defensione orientalium Christianorum contra Baiasitem, huius Mahumeti proavum suscepit, & strenuissimè administravit: Dertusa certè nobilis civitas, multaque egregia oppida in ripa Iberi fluminis posita, classibus nostris expugnata, cæsis infidelibus, vero cultui colla submiserunt: atque ita in regnis tuis nondum pietatis nostræ vestigia deleta sunt. Nam quod in nos referre conatur Sublimitas tua primum Turcarum ex Asia in Europam transitum: apud doctos eius historiæ ridiculum est. Liquet enim, cum duo Græcorum Principes de imperio contenderent, alterum Constantinopoli eiectum, ad Turcarum opem confugisse: pactaque mercede Callipolim arcemque eius, conventorum pignus Turcæ tradidisse: atque ita multa eorum millia ex Bithynia in Thraciam fuisse traiecta. Sed mavult, scimus, Excellentia tua de ea expeditione, quam in Turcas te moliri tamdiu prædicasti, sermonem haberi. Quocirca non nos fugit, iam propè triennio circumacto, pollicitam esse Sublimitatem tuam, classes exercitusque: quibus eorum ferociæ occurreres: perfacile id ita fore nobis persuasum est. Nam quis est Christianorum Regum, quem propter vicinitatem ea magis pericula movere debuerint? Classem ab Hydrunte manè solventem, excipiunt vespere Turcarum littora clamoribus resonantia: astruebat promissæ expeditionis fidem, quod videbamus Siciliam & Sardiniam exactionibus assiduis exhauriri; reliquos populos insolitis tributis oppressos: in sacerdotes adeò acerbè sæviri: vt in comparationem reliquarum extorsionum, levis videretur decimarum præstatio: famaque fuerit, tantum pecuniarum vndique corrasum esse: quantum ipsam Charybdim explere potuisset. Nos interim certa spe tuæ classis confirmati: singulis annis naves, viros, arma, triticum Christianis Orientalibus suppeditare: vtque forti animo calamitates suas ferrent, literis ac legationibus exhortari: brevi affuturas vires opulentissimi Regis, quæ Turcas trans Caucasum trepidos fugent. Sed lenta fuit adeò hæc toties iactata expeditio: vt nisi nos, non vna, sed plu-

ribus

ribus classibus, discrimini eorum subvenissemus, deserti ac perditi Turcarum fauces non effugissent. Circumspiciat omnia nunc Prudentia, tua, ac iudicet: vter Turcas foveat: nosne, per quos multæ insulæ, multi adhuc populi Christum colunt? an is, qui tot florentibus regnis subnixus, collecto auro, quod in multas expeditiones satis esset, eos sævissimis hostibus prodit, pro quorum salute collatum est? De civibus nostris, quorum te charitate moveri dictitas, hæc sibi persuadeat Maiestas tua: illi quidem, cum sanam mentem resumpserint, redibunt in patriam, non suis viribus, sed mansuetudine nostra: præoptabuntque æquo iure cum suis agere: quam fidem tuam rursum experiri. Bellum autem & minas tuas eo accepimus animo: quo & reliqua gessimus tecum bella: eoque maiore in Deum fiducia: quod is novit, vter nostrum ius, fas, religionem, iusiurandum, Christi vicarium, ipsumque Deum, emissa in nos classe, superbè contempserit. Reliqua Epistolarum tuarum capita prætermittere, & modus Epistolæ monet: & illud simul, ne quod diluendi criminis facere necessitas iussit, maledicendi animo, fecisse videamur. Genuæ, XV. Septemb. MCCCCLVI.

PETRVS FREGOSIVS DVX ET CONSILIVM GENVENSIVM Sac. Maiestati Portugalliæ.

OBlectaverunt nos, Serenissime & præclarissime Princeps, magnaque spe simul & voluptate affecerunt literæ Maiestatis vestræ, Pridie KL. Maias datæ, sed hodie demum nobis redditæ: quibus cognovimus, eam statuisse susceptum adversus immanissimum Christiani nominis hostem Mahometum, Regem Turcarum, bellum pie ac strenuè iuvare. Qui certè ardor vestræ Sublimitatis est admirabilior, & maioribus laudum præconijs extollendus; quod in tam longa navigatione multo plus laboris ac sumptus ei subeundum est. Discedentibus enim è regno vestro, quod in extremo prope Europæ positum est, Thraciamque & Constantinopolim petituris, pars maxima longitudinis terræ habitabilis metienda est. Quo fit, vt longè præclarius sit, hoc fidei vestræ propositum, & omni commendationis genere prædicandum. Accedunt, (vt literæ vestræ pulcrè loquuntur) curæ ac labores tuendæ Cæsareæ, quæ in littoribus Mauritaniæ sita, & infidelibus populis vndique cincta, armis ac insidijs barbarorum peropportuna est. Sed has difficultates ac labores contempsisse videtur generositas animi vestri, probè sciens hanc illi militiam præstari, cui debemus omnia: per quem sumus ac spiramus: apud quem meritorum præmia, vt immensa, ita perpetua sunt. Quod autem Excell. vestra nosse cupit, quidnam & nos in id bellum moliamur, quæ qualiaq; paremus: libenter cupiditati vestræ morem gerimus.

Nos, cum primum Mahometus iste Murathi patri successit, suspectũ

habere cæpimus ingeniũ eius: quod & sæuus ac sanguinis avidus ferebatur, & in omnes omnis generis Christianos odium profitebatur: propter quæ naves, arma, propugnatores ex tunc fidelibus populis in Orientem misimus. Postea verò quam Constantinopoli potitus, reliquas vrbes terrore ac formidine complevit: tum demum, velut suscepto bello necesse fuit, Chium, Lesbum, Capham, Simbolum, Amastram, aliaque oppida Pontici maris, aut præsidia mittere, aut infelices illos populos in exitium corporum & animarum sævissimis hostibus prodere. Itaque quartus annus circum agitur, ex quo naves, viros, arma, tela, triticum his, alijsque vrbibus suppeditamus. Qui tam assidui sumptus quanquam nos plurimum exhauserint; cum tamen Reges ac populi Christiani ingentem aliquam expeditionem parare cæperint: annitemur & nos, nec dignitati nostræ deesse, nec ad divini cultus amplitudinem inter postremos haberi. Nunc autem neque numerum, neque reliqua satis explicare possumus: eoque minus, quod serenissimus Rex Arragonum, fractis indignè inducijs, nuper cæpit nos mari terraque vexare. Conatus verò vestros Excellentissime Rex, vt maximi habendi sunt, ita nos plurimi facimus, eoque pluris, quòd plerique Reges ac principes, cum viderint Maiestatem vestram in altero propè orbe positam, tam multa moliri, dedecori sibi fore ducẽt, si ipsi propinquiores in communi omnium Christianorum bello cessarent. Siquid autem est, aut erit rerum nostrarum, quod huic expeditioni vestræ conducere possit: id quicquid est, & nos ipsos paratos semper deferimus in omnem gloriam vestram. Ianuæ. die III. Septemb. M. CCCCLVI.

PETRVS DVX ET CONSILIVM SACRÆ REGIÆ MAIEstati Aragonum & vtriusq; Siciliæ.

ADmonuerunt nos nuper, Serenissime Princeps, ex transmarinis regionibus ad nos missi Legati duo. Peræ: pauidi adhuc recordatione periculorum, quæ æstate superiore ægrè deuitarunt, pauidiores novi terrore belli, quod adversus Constantinopolim & Peram Mahometus, Turcarum Dux in ver proximum summa vi molitur. Namque hic præcipitis consilij iuuenis, recenti Imperio ferox, eò conatus omnes obstinatissimo proposito vertisse videtur: vt has, quas diximus, vrbes ferro excindat, & Christiani nominis memoriam in tota regione illa penitus deleat: eo forsitan consilio, vt quemadmodum prior Mahometus accepta Asia, & Africa inter clarissimos viros colitur: ita hic secũd' subacta haud ignobili Europæ parte ingens sibi nomen comparet. Dumq; implorantibus Legatis ipsis properè ad se præsidiũ mitti, omnia diligentius percunctamur: renunciaverunt nobis, Oratorem ab Imperatore Græcorum ad Maiestatem vestram mox esse venturum: qui oret imperio illi iam senescenti ac defesso ocyus succurri.

Nos

Nos Imperatoris Consilium & laudavimus sæpe, & iterum iterumq; laudamus: quod post Romanum Pontificem spes omnes suas in Maiestate vestra collocaverit. Nam quem sperare potuit Christianorũ Regum æquè velle ac posse sibi adversus hunc Mahometũ opem ferre: quã in sublimitate vestra & sperare & certo sperare debuit? Ab his.n. Regibus ortum ducit clarissima domus vestra: qui multis iam seculis occupantes Bæticã, Mauros vi ac ferro domitos, ex ijs sedibus eiecerunt: plurimasq; vrbes, & quidem nobilissimas Christiano cultui restituentes, vix vnquam positis armis à persecutione infidelium quieverunt. Ac sic succedente temporum serie, eo parente genita est Maiestas vestra, qui suscepto adversus Granatanum Regem bello, multas illi terras, multa parvo tempore oppida eripuit: nec infideles modo populos Hispaniam involantes, sed ipsam quoque summotam freto Mauritaniam, velut fulmen quoddam belli solo nomine plerunque terruit.

His accedit, quod vestra Sublimitas mari ac terra latissimè imperans, sex & quidem opulentia regna, in ditione habet longa pace florentia: nullo hostis incussu, nullis minis exagitata: quorum quædam adeo Græcorum imperio vicina sunt: vt, Cypro excepta, cætera Christianorum regna in eorum comparatione alio propè in orbe posita videantur. Quæ cum ita sint, iure optimo exigere creditur Deus, cuius est regna dare, atque eripere, ne patiatur Excell. vestra hanc Christiano nomini maculam inferri, vt Orientale Imperium, totque fideles populi, Occidentalibus auxilijs destituti, calcandi aut dilacerandi pollutis gentibus relinquantur. Nos, quibus solis Peram tueri necesse est, vt precibus etiam salutem illius Imperatoris adiuuemus, Maiestatem vestram orandam duximus: vt hæc, quæ diximus, cogitans, velit cum pro gloria, tum (quod maius certiusque præmium est) pro causa DEI, infelicibus populis illis ocyus succurrere: neque expectare, vt Reges in longinquo positi, & gravibus præterea bellis impliciti, dum serò auxilia moliuntur: interim ferro Christianorum Imperium eruatur.

Nos autem ne quis ociosos putet, arma, viros, tela, naves magna festinatione paramus, vt, si faverit Deus, illuc præsidia nostra veris initio perveniant: pro vi semper in omnem gloriam vestram parati. Ianuæ.

PETRVS FREGOSIVS DVX GENVENSIS, Calixto Pont. Max.

QVid rei esse dicemus, Beatissime pater, & Domine nobis colendissime, quod capta iam biennio ab Rege Turcarum Constantinopoli, & nunc perdomita, aut vastata ea parte Mysiæ, quam Serviam vocamus, exterritis aut in ditionem redactis omnibus propè Ægei maris insulis, omnes

sopiti esse videamur? Accipimus frequenter ex Lesbo, Chio, Rhodo, Cypro, alijsque insulis literas, quibus certi reddimur, infelicibus illis populis exitium suum oculis aspicientibus, omnem esse salutis spem in subsidijs Regum Christianorum repositam: qua si destituantur, reliquum est, vt aut desperatione celebrentur: aut abnegato Christi nomine Mahometicarum cœno spurcitiarum sese immergant. Hæc si ætas nostra spectatura est, sanctissime Pater; si hæc malorũ omnium suprema in ævũ nostrum eruptura sunt; quanto satius esset non vixisse: & ex vtero, vt flens ille cecinit, ad tumulum esse translatos? Ad hos precipuè questus nos nũc movet; quod fama est, eius Regis classem, & quidem prævalidam Chium infestam pervenisse; qua si potiatur insula; frustra Cypro alijsque Insulis succurretur. Ex quibus orare statuimus sanctitatem vestram; dignetur primum, si quæ in Italia reliquiæ sunt contentionũ aut bellorum, vel Iacobi Piccinini, aut aliorum, eas vtcunque tollere, quod supremæ quidem sapientiæ vestræ pronum ac facile fuerit. Deinde cogitationes, consilia, totum denique animum ad defensionem fidei vertere. Pacatis enim civitatibus ac populis Italiæ; inveniet profectò Beatitudo vestra cætera vel prona, vel non admodum difficilia. In his si vt confidimus, versentur consilia vestra: præter laudes humanas, quę virtuti debētur, expectet sanctitas vestra immortales illas quæ fideli servo promissæ sunt. Nos deniq; & omnia nostra benignitati vestræ peculiariter commissa esse, pręcipuè votũ nobis est. Ianuæ. XXVI. Aug.

ÆNEAS CARDINALIS SENENSIS, IOHANni Cardinali S. Angeli. S. P. D.

PErsuaues &, (vt optavi) perlongas Epistolas tuas redditas nostris XI. Ianuarij die cognovi; quas conscribis de conflictu Turcorum: illum scilicet non sine cura & diligentia tua divinitus datum. Nec ego secus quid arbitrabar; quamvis scripserim, dignationem tuam mea opinione ægrè ferre; quod, vbi gesta res est, non interfuisti. Non est quod his addam aliquid. Doleo obijsse illum Christiani exercitus ducem Vuaiuodam, sive, vt aiunt, Huniadem. Nam morte illius spes quoque nostra interijsse videtur. Nihil enim reliqui Christianorum principes cogitare videntur: nemo opponit pro nostra salute manum. Pontifex Maximus clamat, & non timetur: & quod sua Beatitudo potest, non sufficit tantæ bellorum moli. Rex Portugalliæ adventurus fertur: Sed timeo ne aliorum desidia illius diligentiam impediat. Quid. n. solus agat, ex vltimis terrarum & Occidentis finibus in Græciã Asiamq; profecturus, nisi data opera vt Teutones, Bohemi, Hungari communi animo copias parent, non intelligo, quid alij acturi sint. Hæc dixi Patri Optimo: Papiēsis Cardinalis ex Alemania decretaq; sibi provincia reversus, ait Teutones ad expeditionem inclinatos esse sua opera, si modò conventus agere permittantur: sine conventibus nihil putat

putat eos acturos. Cardinalis Neapolitanus propediem ingressurus creditur cum rege Aragonum: Non est ea sinceritas, quam negocia nostra requirerent. Ex Francia multa referuntur, quæ mihi pro nugis sunt. Rex vester Castellæ in Granatum ducturus copias dicitur: Patitur & decimas & indulgentias in suis regnis prædicari; medietatem pecuniarum inde provenientem sibi in id bellum recipit, alteram medietatem contra Turcos Papæ largitur. Domino S. Marci Cardinali commissum est, vt de vacatione Ecclesiæ Pragensis se informet; vt ille præficiatur in Archiepiscopum datarius Papæ. Hæc habe ex nobis, & dilige tuum Æneam vt soles. Tum omnem familiam cũ dignatione tua optimè cupio valere. Ex vrbe. VIII. die Martij. Anno M CCCC LVII.

ÆNEAS CARDINALIS SENENSIS ALPHONSO Regi Aragonum S. P. D.

SI Maiestati tuę rarius scribo, nihil obsecro vel negligentię vel adversæ voluntati ascribatur. Cupio siquidem frequentes literas meas in manus tuas dari, Nam sic potentissimè memoriã mei tua mansuetudo tenacius apud se haberet. Verum materia, quã ego scribere vellẽ, nõ occurrit: quę occurrit, hãc scribere nolo. Neq;.n. tutũ est, omnia mandare literis; & hoc pręsertim tẽpore, quo nec qui via recta incedunt, suspicione carent. Cęterũ quę hac in Curia geruntur, sunt quã plures, qui tuę Sublimitati ea conscribunt: & nonnulli quidẽ multo plura & secretiora, quã ego, noverunt. De Germania tantũ est, sic arbitror, quod ęmulante nullo significare possum. Curabo igitur, quoties ex illis regionib. aliqua ad me perferuntur notu digna, ne per me tuã Maiestatẽ lateant: nũc vero quæ habeã, paucis explicabo. Vlricum Ciliæ comitẽ apud Albam Græcam, occisum iamdũ accepisti: hoc oppidum nostri Belgradũ vocitant: apud veteres Taurinũ dictum invenio qui Sauũ flumen inseri Danubio apud Taurinũ tradunt: in quo loco nunc Belgradũ iacere constat. Occisorẽ Comitis non est ambiguũ Laidislaũ fuisse filiũ Ioan. Huniadis: eius qui sępe Turcos debellavit: & hoc anno superbiã Mahometis apud eundẽ locum confregit. Creditũ est non minus filium ꝓfuisse Reip. Christianę in occisione Comitis; quã patrem in profligatione Mahometis; cum Mahometes & Comes hostes religionis essent: Ille externus, iste domesticus. Memorabilis hic annus est, quo Turci debellati sunt; & magnus Comes, magni Regis gubernator, obtruncatus est. Cometes qui visus hoc anno est, opinioni quę de se fuit, abũdè satisfecit. Apud Taurinũ namq; quę dicta sunt patravit: Terrã in regno tuo supra auditum antea sic horribiliter movit, in plerisq; civitatib. seditiones excitavit: maximè apud Senã vrbẽ; vnde nõ parva civiũ pars exclusa est. Pestis multis in locis debacchata, magnã populi partẽ, & pręsertim in Vngaria deleuit. Caritas annonę non Italiã modo, sed Germaniã, Gręciã, & Orientis plurimas regiones afflixit: sed maiora sunt, quę astrorũ periti vel vates timenda prædicant: quos vt Deus ipse mendaces arguat optandum est.

Sed.

Sed, vt ad Germaniam redeam, morte Comitis apud Austriam cognita, non parva de hæreditate eius controversia suborta est. Quæ fuerunt illi bona sub corona Vngariæ, ad Regem Ladislaum sine contentione pertinent, quæ sub Imperio jacent, multi ad se pertinere asserunt: alij ab intestato, alij ex testamento hæredes se dictitantes; vt Albertus & Sigismundus Austriæ duces: tum Michael comes Magdeburgensis: & Vlricus Comitis Goritiæ filius; sed potissimum ius ad imperatorem spectare visum est. Concilium Prælatorum Baronumque & Civitatum Stiriæ, Carinthię, & Marchiæ, Sclavonicæ haberi placuit apud Grezium Bajoracum. In eo auditi sunt omnes, qui Comitis Ciliensis hæreditatem dixerunt ad se pertinere: Denique definitum est, oppida, castella, arcesque quæ Comitis Ciliæ sub imperio fuissent, in manu Imperatoris tradi: Tum si quis ius in illis sibi competere dixerit, ab eo petendum esse: atque hoc pacto Præfecti vrbium locorumque possessionem Imperatori tradidere. Ita multo melior hodie Cæsaris conditio est, quàm pridem fuit; quando non solùm ab hoste liberatus est pessimo; sed & quæ fuerunt illi vires, sibi accesserunt. Hæc volui scribere serenitati tuæ; haud ignarus, cuncta ei esse gratissima, quæ ad gloriã Cęsareæ maiestatis cedũt: Imperatrix ipsa Augusta optimè valet: De apparatu contra Turcos in Vngariam cum nihil certi habeam, nihil scribo. Sanctissimus tamen Dominus noster, & Germanos, & Vngaros nunc literis, nunc nuncijs excitare atque vrgere conatur. Mihi non magna spes fuerit; nisi viderim Celsitudinem tuam classe instructa in magnæ illius memorandæ navis puppe armatam, signum profectionis contra Turcos dare: Nam reliquis orbis principibus, etsi voluntas est, non adest facultas, qua Græciam invadere possint. Tuæ sublimitati si voluntas adfuerit, nihil deerit. Ex Roma, VI. Kal. Aprilis. Anno M CCCC LVII.

ÆNEAS CARDINALIS SENENSIS DIVO Friderico Imperatori.

QVæ nunc scribam, pauca sunt; Fama hîc est, Despotum Rasciæ seniorem obijsse mortem: filios eius ad Turcos defecisse; iamque Christiãnis insidiari: quod an ita sit, credimus non latere Maiestatem tuam. Accipio illorum sororem esse in castro Ciliæ, quæ fuit vxor Comitis. Cavendum est, ne mulier fraternam labem sequatur: At puto Sublimitatem tuam id non negligere. Quia tamen aliqui iusserunt me hoc scribere, non fuit consilium, vt reticerem.

In partibus motus est futuri belli, & multa eius rei signa sunt: Deus melius consulat. Civitas Senensis discordijs civilibus agitatur. Rex Aragonum suo more venãtionibus operam dat; fuitque (vt aiunt) in periculo proximis diebus, ne per aprum interficeretur; cum cecidisset, in quo se-

debat,

debat, equus. Rex Portugalliæ venturus cum classe affirmatur mense proximo; quod mihi non fit verisimile: cùm nec terrestris per Vngariam paretur exercitus; nec ex Italia classis alia paranda putetur, nisi Apostolica. Indigemus Dei auxilio: si bene optamus nostras res dirigi. Commendo me tuæ Sublimitati ad eius mandata promptissimum. Ex Roma, die IV. Aprilis. Anno M CCCC LVII.

ÆNEAS CARDINALIS SENENSIS IOANNI Cardinali S. Angeli.

BReves more tuo scripsisti ad me nuper epistolas: Legi eas libenter: quia significabant te ex Bosna reversum, propè Vngariam degere, ac bene valere: quod præ cæteris mihi iucundissimum fuit. Spero has literas te in Austria reperturas inter mitiores gentes: vtinam ita fiat. nam præsentia tua futurum opinor: vt Principes illarum partium prorsus componantur. Ait Cardinalis Papiensis, se, cum anno superiore in Austria ageret, omnes lites inter Imperatorem & Regem Vngariæ adeò attenuasse: vt parum superfuerit ad integram concordiam. Composuisset omnino partes ipsas; vt est opinio: nisi coactus fuisset Nurenbergam ascendere. Existimo igitur te haud dubiè fide debita terminaturum, quod ille infectum reliquit: si tamen ita est, vt compositioni huic tam parva, vt referunt, res defuerit. Vtcunque sit, elaborandum est de eo negocio: nec minus erit, composuisse Imperatorem & Regem, quàm Turcum delevisse: & ego quidem hanc coronam tuæ Dignationi auguror & opto. Rex Aragonum maximam habet in mari classem Galearum supra XXX. magnarum onerariarum VII. minorum navigiorum complurium: in Cathaloniam se iturum dicit: vt inde fortior redeat contra Turcos: inde factum, vt Rex Portugalliæ adventum suum suspenderit. Genuenses hanc Regis classem contra se armatam putant: simulque cum eis Florentini & Senenses timent: certitudo nulla est, quid tandem Rex intendat.

Dominus noster sanctissimus iterum duas Galeas cum pecunia ad Legatum mittit in Orientem: facit pius Pater, quod potest: sed relinquitur à Principibus: nec solus potest tanti belli molem sufferre. Imperator Turcorum contra Mytilenam missurus classem fertur non modicam: sed Dominus Insulæ spe Legati fretus, & auxilio Genuensium, navale bellum instupidus manet. In Albania scribunt Scanderbeium magnalia perpetrasse contra Turcos: quod si verum est, melius tua Paternitas Reverendissima, quæ per id temporis propè fuit, exploratum habuit. Cupio tandem, vt redeas: nec velis triennium complere: nisi Principes contra Turcos excitari posse confidis. Ex Roma die XI. Septemb. M. CCCC LVII.

AENEAS CARDINALIS SENENSIS, ALPHONSO ARragonum Siciliaque, Regi.

HAc ipsa die Rex inclyte ac potentissime, allatæ sunt literæ ex Vngaria summo Pontifici, omnemque curiam conturbarunt. Referunt enim Mahometem Turcorum Dominum cum Soldano Ægypti, cum Caramanno Ciliciæ, cum Tartaro Scythiæ inito fœdere, coactis ingentibus copijs rursum ad Vngariam properare. Albam (quod alij castrum Belgradum vocāt) summis viribus obsessurum: Iamq; iter accepisse: nec dubium est, quin diebus quindecim cum toto exercitu ante oppidum sese collocet. Ferunt quoque iurasse eum, etiamsi Asiæ maiorem partem amissam audierit, non sese retro abiturum. Hęc Albenses legato Apostolico scribunt, pleni metu, quippe quibus sola spes de cœlo est: neque enim tam securi homines DEI, quin humanum expectent auxilium. Incredulum est mortale genus, neq; illud ponderat quod scriptum est in sacris eloquijs, Maledictus homo qui confidit in homine. Sed miserandum illis est, si semel divinitus liberati, rursus pietatem divinam tentare verentur. Percussit de cęlo Deus hoc anno Turcos: neque enim humana victoria fuit, quæ apud Albam parta est. Voluit experiri Deus quidnam Reges agerent, cæteriq; Christiani populi recterers: profligavit hostes: occidit, qui ferociores videbantur: Abstulit innumerabiles machinas; spacium dedit, quo, si vellent Christiani sese accingerent, Turco armati occurrerent. Sed quanto magis indulget Deus, tantò negligentiores sumus, abutentes ocio. Ecce redit hostis, & nemo est qui laboranti Vngariæ opem ferat, & vereor, ne Vngaria pessum eat, & nobile illud regnum hostilis gladius evertat. Quod si Deus tulerit: cadit murus nostræ religionis, & itinere plano per Carnos & Forum Iulij in Italiam Turcorum turmæ decurrent. Ad hæc accedit filiorum olim gubernatoris Vngariæ captura: qui per Regem in arce Budensi deprehensi custodiuntur. Cumque his non parvi nominis Prælatus interceptus est Ioannes Varadiensis Episcopus: feruntque & alijs plerisque nobilibus inclyta vincula. Incomperta est adhuc caussa: sed verosimile est, necem Comitis Cileæ hoc peperisse. Infelices Christiani, quos tanta cæcitas exagitat, vt nec prementibus hostibus domestica deponant odia. Surgat igitur tua serenitas & quod potuerit, huic periculo remediū adhibeat. Cęteri Principes in Tuā Sublimitatem cuncti ferè contorquent oculos: eam ipsam quidquid egerit secuturi. Neque enim Rex est in orbe Christiano: apud quem plus autoritatis, quam apud te, sit; qui regnorum potentia, rei militaris peritia, experientia rerum multarum, & incredibili sapientia cæteros Europæ principes antecellit. Hæc per me ad Tuam Mansuetudinem fide dicta sint. Datum Romæ die septima Aprilis, Anno MCCCCLVII.

EPISTOLARVM TVRCICARVM

LIBER V.

FERDINANDVS ALPHONSO REGI *Aragonum patri.*



Vod vnum ſemper optavi, Rex triumphator ac mi pater, vt pro ſummo Pontifice, ac matre Eccleſia, contra ipſius hoſtes pugnare poſſes, & virtutem tuam oſtendere: id planè Dei numine conſecutus es: effeciſtique brevi tempore; quod nemo alius maiori tempore, pluribus copijs, gravioribus laboribus potuiſſet efficere. Deſperata enim iam erat Marchia ſummo Pontifici: ad quam recuperandam nec vis Eccleſiæ, nec Papalis auctoritas, nec vlla alia potentia ſuppetebat: eam tu tamen tum ſcientia rei militaris, tum admiratione victoriarum, tùm fama virtutum recepiſti: ereptamque tyranno, ſummo Pontifici reddidiſti. Qua gloria nulla eſt, nec novorum, nec veterum Principum maior. Itaque & mihi videris ſolus tu Hannibalem atque Haſdrubalem ſuperaſſe: ſiquidem prius expulſo ex hac parte Italiæ hoſte tuo, certe Hannibalem expuleras. Nam vt ille multis commoratus annis, ita hoſtis tuus hinc exire coactus eſt. Nũc alter hoſtis, qui ſupererat, ex eadem regione abs te fugatus eſt: ex qua Haſdrubal cum ſuo exercitu fuit eiectus, atque vi extractus. Quare vt iterum dicam, tu vnus Hannibal & Haſdrubal victor es.

Ex quibus rebus licet ego ſummam præter omnes, te excepto, voluptatem capiam, vt debeo: tamen ſummopere optarem, vt me participem huius gloriæ faceres: ſicut feciſti & regni. Forem autem mi Pater, tuæ gloriæ particeps: ſi tecum militarem: Si laboris aliquid, imò voluptatis, in re bellica ſentirem. Hoc namque modo aliqua pars laudis & victoriæ ad me redundaret.

Et quod maius eſt, obſecro ſumme Rex & optime Pater, quod mihi diſcendum eſt, ſcientia rei militaris: ſine qua nullus rex qualem tua benignitas me futurum eſſe vult, verè rex dici poteſt.

Hanc ſcientiã ſub quo Imperatore melius diſcere queam, quã ſub te ſummo Imperatore aut quo tempore melius, quàm ineunte ætate? Quanquam, optime Pater, non ſolum meâ cauſa hoc flagito: ſed etiam tuâ: videlicet, vt poſſim pro te nonnunquam in rebus levioribus ſubire labores, gerere negotia, ſuſcipere curas. Quamobrem, ſumme Rex ac

sacrosanctè Pater, vt maturè possis ex me aliquem fructum capere: te quæso, vt velis maturè mihi procurationem rei militaris iniungere. Quod si facies, vt opto & spero: maturius spe tua, prout confido, ex me gaudium fructumque recipies. Vale.

ALPHONSVS REX ARAGONVM Ferdinando filio.

COmpulsus tandem Florentinorum iniurijs, quas nobis ac Venetis socijs & amicis nostris quotidie inferre pergunt: constitui animo, te, quo nihil habeo in vita charius, adversus eos cum exercitu mittere: sperans Dei ope, qui iustitiæ favet, & tua militumque virtute, fore, vt acceptas iniurias vlciscamur: simul vt cognoscant, iniustè se fecisse qui cum hostibus nostris fœdus atque amicitiam iunxerint: seque in eo errasse: neque satis rectè Reipub. consuluisse.

Et quò id alacriore animo suscipias agasq;: hosce veteranos, commilitones meos, mihi charissimos; quos tibi magnæ gloriæ, si eorum vti consilio noveris, futuros reor; trado tuæque fidei commendo: quorum virtus ac fides multis meis magnis laboribus ac periculis, superioribus bellis mihi nota & spectata est: Quorum etiam opera omnes ad hunc diem victorias, & Neapolitanum hoc regnum triumphumq; adeptus sum: quibus denique adiutoribus bellatoribusque magnam Italiæ partem maiorum nostrorum imperio & gloriæ adiecimus.

Hos velim vt inprimis ames charosque habeas: putesque nihil, ne vitam quidem ipsam, à me tibi commendari posse diligentius: Quod cum feceris, meam à te gloriam amari & expeti tum denique existimabo: Hos vide, ne temerè in discrimen mittas.

Nec verò multum à te cohortandi, aut oratione incitandi erunt: si quid periculi subeundum erit: magis à te reprimendus moderandusque quã verbis accendendu animus erit. Tales tibi viros ad necessarios casus reserves facito: in quibus scilicet de dignitate tua agatur, aut fama. Nec verò apud me dubium relinquitur: cum eos ita habiturus sis: quin Imperatorem eundem habere se sentiant.

Id autem te ante omnia monitum velim: ne tantum tuæ aut tuorum militum fortitudini fidas: vt arbitreris absque divina ope à te hostes superandos esse. Victoria etenim non ex hominum consilijs, sed ex summi Dei voluntate ac potestate proficiscitur. Tum denique tibi militares artes profuturos scito: cum Deum tibi pietate ac iustis factis propitium reddideris.

Eum

Eum igitur, si vincere expetis, pura mente colito: spemque omnem victoriæ in eo reponito. Et si quando (quod solet in bello contingere) tibi quicquam adversi acciderit: quo existimare poteris, ipsum Deum tibi subiratum esse: vide ne ab eo per impatientiam atque animi perturbationem discedas: sed potius satis faciendo, ei reconciliari stude. Solet enim Deus, quos diligit, interdum malis afficere: & quos constantes in adversis videt, rursus in meliorem fortunam restituere. Existimationis tuę diligentissima tibi ratio habenda erit: putandumq; nihil ea re in rebus humanis pluris esse, aut fieri debere. Quippe cum victoria nonnunquam magis existimatione & famâ quam militum robore ac virtute comparetur. Et victoria quidem sæpe cladibus mutatur: at fama, si cum probitate ac fide coniuncta fuerit, & permanet, & cum omni ævo perdurat. Honestati itaque à te incumbendum erit: qua detracta, nec principi illi Deo placere, nec apud mortales auctoritatem vllam stabilem aut gloriam consequi possumus.

Venetorum verò amicorum ac sociorum nostrorum Rempub. nostram esse existimato: eamque non minore studio ac diligentia, quam regnum nostrum, defendito: pro qua quidem conservanda, nec sumptui, nec militum labori parcas, iubeo. Cum ijs eo animo societatem iunxi: vt, quandiu nobis vita contigerit, omnia eorum prospera & adversa mihi communia habiturus sim. Nec te ab hoc proposito deterreat, aut pecuniæ, aut alius cuiusdam rei indigentia. Namque omnia, quæ bello vsui fuerint, tibi à nobis abundè suppeditabuntur. Et, vt vno verbo agam, non magis tibi, quam mihi, ipse defuturus sum: vt scias si modò tibi ipse nō defueris, nihil tibi per nos defore. Illud postremò observato, ac mandato memoriæ: in quo tua laus & gloria elucescet: si qui ex hostibus, antequā oppugnentur, in ditionem veniant: eos benignè in fidem tuam recipias. Ac si qui fortasse obstinatioribus animis diuturnam obsidionem pertulerint: cum in potestatem tuam venerint: clementiam tuam potius, quam illorum pertinaciam, respicias: magisque, quid te ac gente nostra, quæ semper crudelitatem odio habuit, quam quid illis dignum fuerit, cogites. Quæ si observaveris (observare autem omnino debes) & nobis lætitiam, & tibi gloriam paries. Vale.

CALIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI
Ioanni Cardinali S. Angeli.

EX literis tuis Duaci XVII. Iulij datis intellreximus: te in partibus illis commoraturum per aliquod tempus: vt quid Turci agant, quidve parent, facilius cognoscas: ac nobis & filio charissimo nostro Regi Vngariæ quam celerrimè significes. Intelleximus & antea, quæ gesseris in regno Bosnæ.

Laudamus opera tua,& omnia per te gesta prudenter & accuratè recognoscimus:commendamus quoq;circumspectionem tuam & animi cōstantiam ac bonitatem:quæ dum Christi Dei nostri negotium agit, nec labore frangitur:nec timore deijcitur:nec periculo vllo à sancto proposito deterretur. Multa tibi debet sedes Apostolica: & quidem pro singulari virtute tua,proq; gravibus laboribus,quos perpessus es,scimus nos plurimum tibi obligatos:conabimurq; vita comite pro tuis meritis personam tuam honorare. Nunc tamē vel maximè necesse est, vt perseveres in sancto hoc opere: personamq; tuam à labore cœpto non retrahas: sed pro tua excellenti prudentia in his continues:quæ salus Ecclesiæ à te deposcit. Cumq; ad res fidei contra Turcos prospectè dirigendas maximè necessarium sit: vt charissimi in Christo filij nostri Fridericus. Imperator Romanorum, & Vladislaus Vngariæ Boëmiæq; rex, inter se conciliati arma in Turcos convertant: sitque modò quædam diæta inter eos indicta ad pacem tractandam:in qua dilectus filius Ludovicus Bavariæ Dux tanquam mediator futurus asseritur: vtile nobis videtur & quodammodò necessarium; vt tu, quoque eò te conferas,in tam sancto opere partes tuas nostro nomine adhibiturus. Ea propter mandamus tibi, vt, nisi alia causa necessaria magis in Vngaria te retineat, ad Imperatorem & Regem præfatos, quantò ocyus gressus tuos dirigas: eos ad pacem ducere coneris : & omnia facias, quæ tibi videbuntur ad reconciliationem ipsorum Principum necessaria. Etenim videtur rebus agendis omnino conducere, quod tu Principes hos ipse adeas : sive per ipsum Ducem arbitrum ante tuum adventum pax concludatur, sive non. Namque si pacem factam inveneris: id quod Deus pro sua misericordia largiatur: habebis expeditam viam, qua Principes ipsos ad ducendum contra Turcos exercitum efficaciter invitare possis: & alia multa sunt in Alemania gerenda, quæ tuam præsentiam exposcunt. Sin verò, quod absit, concordiam nondum factam inveneris: laborandum tibi erit totis viribus, vt eam perficere possis. Nisi enim Principes ipsi depositis inter se discordijs ad commune bonum vnanimes fiant : non videmus, quid per Vngariam contra Turcos patrari possit laude aut existimatione dignum. Datum Romæ, XVI. Octobris. MCDLVII.

CALIXTVS PAPA VLADISLAO Regi Vngariæ. S.

INtelleximus non sine gravi displicentia mentis nostræ & amaritudine cordis, quod adhuc inter charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem Augustum,& tuam Serenitatem, non solum discordia, sed apertum bellum perduret: & hinc inde subditi vestri vexentur & lacerentur. Quæ res tanto molestior nobis est, quanto magis exinde Reipub. Christianæ detrimentum resultat.

Est

Est profectò res detestabilis, quod vos, qui vna ex familia nati estis, proximi sanguine, fratresque patrueles, tantis ad invicem odijs fervetis, vt etiam armis decertetis. Dolendum est, quod opulentam & nobilem patriam vestram, nunc ferro, nunc igne, dissensio vestra devastat, & quod illas vires inter nos consumitis, quas deberetis in hostes fidei pro tutela Christianæ religionis effundere. Et quamvis Imperatori præfato, tanquam primo inter seculi principes advocato Ecclesiæ, & protectori fidei Catholicæ, potissimè incumbat: pace in suo imperio procurata, totis conatibus in eos militaria signa transferre; qui nomini Christiano insultare nituntur: tibi tamen non minus cura esse debet, ad hostes fidei propulsandos, & maximè Turcos: qui regno tuo Vngariæ latissimo & quondam florentissimo non solum vicini sunt, illique molestias indies inferunt: sed etiam non parvas eius provincias sibi vsurpaverunt. Dolemus certè, & angimur vehementer: cum indies ex illo regno Christianos capi, & in barbaricam deduci captivitatem accipimus: miramurque te non maiori studio teneri pro defensione ipsius Regni, quam videmus: qui dum in Austriã cum Patruele tuo contendis: præfati regni curam postposuisse videris: tanquam plus doleas, vnam tibi per Christianos villam auferri: quam si per Turcos vna provincia surripiatur.

Certè illud palam est, quod cum tu & Imperator invicem discordes estis, & domestico bello impliciti: non solum Vngaria, sed tota fere Christianitas in periculo ponitur. Nam quomodo Galli & Hispani vel Angli contra Turcos exercitum ducere curabunt in remotis agentes: quando vos, qui propè estis, & quorum potissimè res agitur, inter vos dissidentes, nihil cogitare videmini super his, quæ Turcorum perfida gens adversus Christianos indies molitur. Est igitur, supra quam dicere possumus, periculosa hæc vestra discordia, nec aliud videmus, quin mala infinita prorumpant, nisi quam celerrimè tu & Imperator simul concilieмini. Audivimus tamen vnum, quod nobis consolationi est: dilectum filium, nobilem virũ, Ludovicum Bavariæ ducem in Austriam descendisse, concordiam inter vos, tanquam communem amicum, facturum. Nos autem dilecto filio nostro Ioanni Cardinali S. Angeli, Apostolicæ sedis Legato, qui iamdudum pro salute regni tui Vngariæ, proque communi Christianorum vtilitate non sine magnis laboribus & expensis ibidem commoratus est, literas dedimus: vt ad Imperatorem & tuam Serenitatem confestim se conferens, omne studium suum ad id convertat, vt tandem lites vestræ tollantur, & penitus sopiantur: redeatq; ea inter vos benevolentia, quam propinquitas vestra requirit, & nos desideramus. Interea dilectus filius Laurentius Rovallera S. Theologiæ professor, nuncius & subdiaconus noster, simul cum dilecto Duce ad eam pacem pro viribus se agitabit.

Velit

Velit igitur tua serenitas ad ea, qui pacis sunt, animum inclinando: ita se habere: vt iam denique finis imponatur domesticæ dissensioni vestræ: nec velis audire eos, qui fomenta suggerunt discordiarum: sed modos quoslibet idoneos perquire: vt in Austria cæterisque tuis Dominijs pacificatus, ad defensionem vngariæ prædictorumque Turcorum exitium insurgere possis: & ita efficias, vt Imperator tuam erga se charitatem intelligens, vna tecum, vocatis ex Alemania subsidijs, exercitum pro tutela fidei & regni tui salute ducere invitetur. Insuper quia nonnullos per Germaniam rumores esse audivimus: tanquam nos nationem ipsam diversis modis aggravemus: mittimus copiam literarum nostrarum, quas Imperatori dirigimus, tam super pace tecum habenda, quam super rumoribus huiusmodi, vt si fortè ad aures tuas oblocutiones eiusmodi pervenerint, habeas ex nobis, vnde sinceritatem & innocentiam nostram tueri atque ostendere possis: Hæc scripsimus tibi pro ea charitate, qua personam tuam prosequimur: qui postquam te hic Romæ in minoribus constituti vidimus: & tuam indolem adhuc in ætate tenera consideravimus; ab illo tempore personam tuam singulari quodam affectu dileximus: & existimantes te pro magno aliquo Christianitatis bono ad maxima reservari: de bona valetudine tua ac felici statu semper curiosi fuimus. Tuum nunc est, quæ à nobis scribuntur, bona mente recipere: & spem, quam de tua bonitate concepimus, adimplere. Datum Romæ. Anno M.CCCCLVII.

CALIXTVS PAPA FRIDERICO Romanorum Imperatori.

QVamvis Apostolicæ sedi, sicut placuit altissimo, præsidentes, ea nos semper cura tenuerit: vt inclytæ nationi Germanicæ pro nostra possibilitate placeremus, & omnibus illis ad nos concurrentibus faciles & benignas præberemus aures: nuper tamen (sicut nobis relatum est) nonnulli ex venerabilibus fratribus nostris ac dilectis filijs, nobilibus viris, Romani Imperij Electoribus, & alij plerique Principes & Prælati nationis eiusdem, diæta quadam sive conventu inter se celebrato, Oratores suos ad nos miserunt: qui de nobis deque Curia nostra non paruam querelam facientes, inter cætera exposuisse feruntur: quod nos diversis modis nationem ipsam aggravantes, quæ inter te nomine nationis & antecessorem nostrum, felicis recordationis, Nicolaum Papam V. concordata fuerunt, minimè adimplere, aut observare curemus. Quibus ex rebus etsi non dubitemus Serenitatem tuam, pro sua erga Romanam Ecclesiam eximia devotione, illorum querelas acriter ac debitè refutasse, dignum tamen putavimus, super his, quæ nobis obijciuntur, sinceritatem & innocentiam

innocentiam

nocentiam nostram tuæ sublimitati perspicuam ac manifestam efficere, vt siquando posthac similes querimoniæ ad tuas aures deferantur, habeas ex nostris literis, quod murmurantibus atque detrahentibus hominibus respondere atque obijcere possis. Equidem cum nos omnes Christiani orbis nationes benigne, quantum cum Deo possumus, tractare curemus: præcipuè tamen Germanicos Principes ac Prælatos singulari quadam charitate & præcipuo prosecuti sumus affectu. Neque enim nos latet, quo favore amplectendi sint Ecclesiarũ Præsules, & seculi Principes quo honore præveniendi: vt illos fratrum, & istos filiorum loco, sua cuique dignitate servata, habere debeamus. Sunt Euangelica sacra semper ante oculos mentis nostræ: sanctorumque patrum decreta sedulo in animo volvimus.

Novimus quid Episcopis liceat, quid principes deceat: quid officio summi sacerdotis incumbat. Neque cordi nostro quicquam tenacius hæret: quam ita sacros Canones observare: vt idonei mysteriorum Christi dispensatores inveniamur. Nota est omnibus Apostolicæ sedis autoritas: manifesta cuique Primæ sedis dignitas: vulgata per orbem Vicarij Dei potestas: cui dictum est à Domino: *Pasce oves meas*; & *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*, & reliqua: quibus in Euangelio Romani præsulis eminentia divinitus declaratur. Quibus ex rebus enim est, cur aliquis opera nostra criminari possit, tanquam latius evagemur, quam nobis liceat, aut tanquam in alienam messem falcem mittere videamur: cum non huius & illius provinciæ, sed vniversi orbis præsulatum, in Apostolicæ sedis specula consecuti sumus. Quæ cum ita sint, scimus tamen eos, qui vocati sunt in partem solicitudinis, non esse turbandos: suamq; cuique iurisdictionem, nisi forsitan abutantur, servandam esse non ignoramus. Ea propter ita nos gerere in hunc vsque diem curavimus: ne de nobis cuiuis homini querela competere possit: nec putamus aliquos esse, qui se læsos aut spretos à nobis dicant: nisi fortasse aliqui fuerint, qui desideria nostra non rectè metientes: tunc se contemtos ac gravatos arbitrantur: cum petitionibus eorum iniustis non annuimus. Sed audivimus, tanquam nos aurum ex natione tua, supra quam deceat, extorqueamus.

Iniuriantur profectò nobis, & à vero longè recedunt, qui talia dicunt, nihil vnquam nostro nomine ab his extortum est, quibus beneficia contulimus, vt illi garriunt: nihil exactum, nihil petitum, præter annatam vetusto iure debitam. At si qui contra Turcos pecuniaria nobis subsidia obtulerunt, non recusavimus: nec recusare quidem debemus, pro tanta Christianæ religionis necessitate. Pecunias autem huiusmodi & alias vndecunque venientes, non vsurpamus nobis, non recondimus in arca: non

exponimus in iocalibus; non consumimus in delicijs, sed in defensionem fidei convertimus, & in oppressionem perfidæ Turcorum gentis, ad nostrum exterminium semper intentæ. Innumerabiles nobis, & intolerabiles sunt, quas indies subimus, expensæ: nunc in Orientem Legato classis nostræ: nunc in Albaniam Scanderbego fortissimo Christi athletæ, indefessoque bellatori: nunc Legatis & Oratoribus in diversas mundi partes emissis: nunc istis, nunc illis per Græciam & Asiam laborantibus, ne destituti periclitarentur, pecunias mittimus. Nec fuerunt inanes huiuscemodi sumptus. Licet enim nobis in Domino gloriari; qui per ministros suos, torpentibus ac pene dormientibus cunctis fermè Christianis principibus, nobis tantummodo instantibus atq; vrgentibus Turcorum superbissima cornua, & insolentissimas acies apud Vngariam confregit: magnumq; illum & potentissimum exercitum prostravit: qui sibi non Vngariam modò, sed Germaniam totam, Galliam atque Italiam proterere, legemque Christi funditus evertere promittebat. Itaque liberavit Dominus populum suum Præsulatu nostro, plebemque suam ex ipsis quodammodo faucibus crudelissimi & immanissimi draconis eripuit. Nunc quoque classis nostra tuetur Rhodum, Cyprum, Mitylenē, Chium, & omnes in Oriente Christiani nominis insulas: quæ sine tali præsidio haudquaquā Turcarū navibus indies incursantibus resistere potuissent; quodq; laudabilius est, ac divino nobis munere cōcessum: non tantū, quas diximus, insulas Legatus noster sua prudentia & animorū robore tutatus est, sed alias plerasq; Turcorum Domino servientes, ad Apostolicæ sedis devotionē obedientiamq; redegit: novissimeq; non pauca eorundē Turcorū navigia, ad oppugnandas Christianorū Insulas exeuntia, potēter invasit, debellavit, in potestatē redegit. Nec Albania ingruentes Barbarorum impetus inclinare potuisset: nisi nostrarū intervenissent pecuniarū auxilia quæ Scanderbego misimus. In his nos rebus pecunias consumimus: in his profundimus: quicquid vndequaq; corradere possumus auri vel argenti: Honorē Dei, non nostrū quærimus: pro salute populi nobis cōmissi laboramus, non pro privata vtilitate nostra: Curamus, ne nostro tempore Christianorū nomen spurissimi Turcorum pedes cōculcare possint. Sed non sunt hæc eiusmodi onera, quæ nos soli portare queamus: vel quæ sedes Apostolica valeat per se ipsam tolerare: facimus tamē ꝙ possumus: & quiescētibus alijs, qui nobis auxilio esse deberent, instamus; nihil omittimus ex his quę facultates nostrę permittūt: necessaria nobis detrahimus, vt incūbenti necessitati pro parte nobis possibili subveniamus. Quæ cū ita sint, audent tamen nonnulli, parū quidē religiosi, & ad cōmune bonū minus intenti, nos redarguere; quod ab his pecunias recipim⁹, qui promoventur, quāvis sponte oblatas in classem cōtra Turcos emissam: quod quam iniquè agant, iā plane perspicis. Sed agunt pleriq; concordata, (de qui-

(de quibus mentionem supra fecimus) per nos minime observari: affirmãtes Electionem Episcoporũ, aliorumq; Prælatorum nos parvipendere, aut prorsus abijcere. Quod pari modo neq; vere, neq; iustè nobis obijcitur. neque.n. electiones Prælatorum in Germania factas quovis pacto contemnimus, neq; ex cõcordatis omnes passim electiones confirmare tenemur, sed illas tantummodo, quæ Canonicæ reperiuntur: quod quidẽ à nobis diligẽter custoditum est. Nunquam.n. aliquam electionem reperimus esse Canonicam: viros autem complures illis Ecclesijs præficimus, in quibus electiones etiam minus Canonicæ prætendebantur. Quod si aliqui sunt, qui confirmationẽ petentes non obtinuerint (sunt autem paucissimi) sciant, se idcirco ex sua petitione cecidisse: quia nec Canonica fuerat eorũ electio: nec promotio Ecclesijs, ad quas vocabantur, fuisset vtilis. Potestate autem illa, quæ nobis ex divino & humano iure simulq; concordatis ex prædictis competit, providendis Ecclesijs de persona magis idonea, etiamsi Canonica in illis facta electio reperiatur, adhuc nõ sumus vsi, nec vti proponimus nisi ex magna & vrgentissima causa. Super reservationibus autẽ, cæterisque beneficiorũ provisionibus, de quibus similiter accepimus querelas coram tua serenitate fuisse propositas, nõ sumus memores aliquid à nobis esse cõcessum cõtra cõcordata prædicta. Quod si quid tale factũ est: vt sępe in multitudine literarũ ac negotiorũ aliqua transeunt, neq; bene gesta, neq; bene revisa; non est intentionis nostræ, aut ordinariorũ mensibus derogare, aut concordatis ipsis contravenire. Quin immo quamvis liberrima sit Apostolicæ sedis autoritas, nullisq; debeat pactionũ vinculis coërceri, ex mera tamen liberalitate nostra, ex zelo quem gerimus ad pacẽ, ex charitate, qua te tuamq; nationẽ prosequimur, concordatis ipsis locũ esse volumus: nec patiemur ea temere violari, dum Romanæ sedis gubernacula retinebimus. Si quid præterea est, quod ipsi nationi molestũ videatur ex his, quæ prodeunt ex nostro solio, idq; fotasse dignum emendatione censetur (Possumus.n. & nos, vt homines, aliquando labi atque errare) in his maximè, quæ fati sunt, non decet Episcopos, aut alios quosuis mortales super Apostolicam sedem autoritatẽ sibi vendicare: aut illos imitari quoquo modo, qui pessimo more detestabiliq; exemplo, in perniciẽ Ecclesiasticæ hierarchiæ, in confusionẽ mystici corporis Christi, in animarũ suarum ruinam leges sibi constituunt: per quas licitum sibi esse arbitrantur, Apostolicę sedis mandata contemnere: ac pro suę voluntatis arbitrio Ecclesiastica spiritualiaq; negotia disponere. Nam qui talia præsumunt, alieni sunt: Deum patrem suũ appellare non possunt, qui matrẽ Ecclesiam recognoscere nolunt, sed tanquã mẽbra vel putrida, vel arida à reliquo corpore rescindi debent. Nulli.n. permissa facultas est, vt contra Romanam Ecclesiam, omnium fidelium matrem ac magistram, recalcitrare possit, vel se ab illius imperio subtrahere.

Comedendus est vna in domo paschalis agnus: manere oportet in arca, regnante diluuio: cui cura est, ne pereat. Vnus DEVS: vna fides: vnum Baptisma: vnus Christi vicarius in terris est: qui cælos bene merentibus aperit, claudit malignantibus. Si quis autem arbitratur secum non bene agere Apostolicam sedem: recurrere ad eam debet, gravamen suum exponere: remedium petere: Nunquam pia mater filiorum desiderio deerit, quod viderit ad salutem eorum pertinere. Et tu ergo, serenissime Imperator, si quid arbitraris tuæ nationis Prælatos habere, quod per nos emendari debeat: admone eos, hortare, & vrge: vt ad nos venientes suas nobis necessitates exponant: gravamina referant: desideria proferant. Nam votis eorum, quæ à rationis tramite non discordent, tanto libentius annuemus, quanto confidentius eos ad nos recursum haber videbimus. Cæterum quia charissimum filium nostrum Ladislaum Vngariæ & Boëmiæ Regem illustrem, tibi nondum reconciliatum esse percepimus, sed adhuc inter te & ipsum lites esse feruntur peringentes; quamvis non dubitamus, pro tua te sapientia ea duntaxat seu quærere, seu velle, quæ sunt æquitati aut iustitiæ consona: quia tamen discordia vestra tanto magis nos angit: quanto magis Christianæ Reip. damnum resultat: serenitatem tuam rogam': vt ante tuos oculos ponas primũ, cũ quo cõtendis, & vbi cõtendis: quia cũ carne tua, cum sanguine tuo, cũ fratre tuo, & in domo tua, in agris paternis, in hæreditate avita bellum geris: in quo nec perdere, nec vincere tutũ est. Considera quæso, quod tu Imperator es: advocatus Ecclesiæ, protector fidei Catholicæ, primus inter seculi principes: primus qui arma pro defensione religionis nostræ induere debeas. Considera, quod tu ille es, in quem omnium Christianorum oculi coniecti sunt: qui si (quemadmodum tibi ex officio incumbit) adversus impiam Turcorum gentem, arma promoveris, vniversos ferme reges ac principes, vt te sequantur, provocabis: labentemque rem Christianam magnificè sublevabis: sin verò domi manseris, alijs occupatus curis: nemo erit, qui bellum Christi gerere velit, erisq; tu ipse caussa, cur nostro tempore fides Catholica negligatur. Intellexisti, quę fecerint Turci superioribus annis: vt Constantinopolim, Oriẽtalis Imperij caput, ac totius Græciæ columen, invaserint: vt vrbes quã plurimas incenderint, vt Christianũ sanguinẽ effuderint, vt altaria everterint, vt sanctorum reliquias pro canib' obiecerint, vt imagines Dei nostri, gloriosęq; matris ei' aut lanceis effoderint; aut spultis lutoq; deturparint. Scis quæ nunc cogitant, quæ parant, quæ moliuntur: Nullũ illis studiũ ardenti' nulla cura ꝓpensior est, quam vt ea agant, per quæ possint Christianã gentẽ fundit' perdere; vincula, verbera, neces, fidelibus omnib' cõminantur. Prope est eorũ gladius, & adesse festinant tempora, & tu interim & Patruelis tuus arma, quæ merito in hostes fidei verterentur, contra subditos ac vasallos vestros exercetis.

Dices

Dices fortasse, quievissem, nisi me magna necessitas impulisset; sed paratæ fuerunt insidiæ mihi: hæreditas mea in periculo posita est; coactus sum arma pro defensione capessere; invitus pugno cum sanguine meo. Possibile est, quod ais, nihil inficiamur: age sint vera, quæ refers, omnia: sit iustissima tua caussa: At iustius est pro Christo pugnare & maior necessitas, hæreditatem Christi, quam tuam defendere. Si tua perit; est adhuc vbi salveris: si perit Christi hæreditas, (quod tamen nullo pacto futurum putamus) & tuam hæreditatem perire oportet: & Christianæ reip. fundamenta corruere. Cogita igitur de communi periculo prius; & maiora minoribus antepone: Exquirito omnes vias, quibus cum patruele tuo, quantum sanguine iungeris, tantum dilectione & affectu sincero copuleris, nec illi imputes quoquomodo, quæ per alios ætati teneræ subgeruntur. Audivimus dilectum filium, nobilem virum Ludovicum Bavariæ ducem, inter te & ipsum patruelem de pace acturum, in Austriam descendisse. Credimus & dilectum filium nostrum Iohannem Cardinalem S. Angeli, Apostolicæ sedis Legatum, quemadmodum & scripsimus, ijsdem tractatibus interfuturum. Age flecte animum: & amplectere bona mente concordiam: noli omnia, quæ tibi debentur, exquirere: esto contentus his, quæ potes obtinere: nec graveris pro bono pacis de tuo iure pauca dimittere. Deus, pro cuius causa pacem accipies, maiora tibi retribuet: Commendabunt omnes tuam sapientiam; qui furori temperantiam, arrogantiæ humilitatem, duriciei mansuetudinem, tenacitati largitatem obiecerint. Sit finis aliquando civilis & intestinæ discordiæ; vt tandem cum patruele tuo reconciliatus, & tu, & ipse, cæterique Germanicæ terrę proceres, quorum consuevit in armis esse invicta virtus, vnitis iam viribus, ac concordibus animis, in Turcos militaria signa feratis; infelices Christianos, qui per Græciam captivi merentur, à iugis servitutis eximatis: ac regiam civitatem, quæ de Constantino Cæsare nomen habet, quàm turpiter pridem amissa fuit, tam gloriosè recuperetis. Hæc scripsimus tuæ serenitati, non sine fiducia singulari; pro ea qua tibi & inclytæ nationi tuæ, ingenti charitate sumus affecti. Tuum est, vt hæc tam bono animo recipias, quàm sunt à nobis optimo corde prolata. Datum Romæ apud S. Petrum, pridie Calend. Septem. Anno M CCCC LVII.

PIVS II. PAPA, PHILIPPO DVCI Burgundiæ. S. D.

INvalescente magno Turco fidei Christianæ adversario; & infinitos pene Christianos Salvatoris nostri Iesu Christi sanguine in crucis patibulo abunde effuso liberatos in suam servitutem redigente: felicis recordationis prædecessores nostri, maximè Nicolaus V. & Calixtus III. curam as-

sumpserunt, ne Turcus iste prævaleret, pro viribus providendi; & quia sperabant in Europa posse tantum efficere, quod Reges & Principes Christiani se voluntarios & fideles Christi milites in hoc necessario tempore ostenderent; quisquis eorum ad Asiam & Orientis partes misit dilectum filium Ludovicum de Bononia, fratrem Ordinis minorum de observantia regulari; vt is pro sua prudentia, rerum, locorum, hominumque noticia, Christianos Orientis, & alios Christianorum amicos excitaret ad ferendū similiter arma contra Turcum.

Nos autem cùm in prædecessorum dictorum labores divina ordinatione successimus; Mantuam accedentes, simili spe ibidem Christianorū exercitum adiuvandi, eundem fratrem Ludovicum misimus cum instructionibus oportunis, Christianos & Christianorum amicos concordandi, & vt in Turcos vires coniungerent, eos incitandi; data ei spe nos in Europa nullatenus defuturos. Accedens frater Ludovicus omnia sibi per nos commissa diligentissimè & prudentissimè est executus: qui, vt optimam illorum Regum ac principum obedientiam & devotionem, quam habent ad sedem Apostolicam, intelligere possemus, curavit secum advenire dilectos filios, Michaelem Imperatoris Trepessundarum, Nicolaum Regis Persarum, Costopam Ducis Georgiani, Manpethem Assenbech Soldani Mesopotamiæ, Murathem Verbrecht Armeniæ Dominum, Oratores & nuncios; qui nobis literas obtulerunt, suorum dominorum exprimentes favorem, ad præsumtuosissimi Turci destructionem, & simul motivam nostrorum desideriorum executionem.

Quoniam verò talium Regum & principum conclusiones ad honorem Dei & fidei nostræ tuitionem tendunt; ideo volumus tuam Serenitatem participem fieri; ipsisque iniunximus, vt cum præfato fratre Ludovico nuntio & Oratore nostro ad tuam veniant Celsitudinem; & singula, quę nobis verbo & scriptis responderunt, planè referant. Desideramus itaque à tua excellentia; vt tam ipsum Ludovicum, quàm ipsos Orientalium Oratores, etiam nostra cōtemplatione ad tuam admittas audientiam; & suorum dominorum ad ea quæ Christi sunt, devotionem attentè consideres; attendatque tua nobilitas, quod non minus, quam Orientis reges, obligatur ad similia & maiora in communis hostis destructionem pro viribus impendenda; & de hoc nos simul ac ipsos & totam Ecclesiam ratam & consolatam reddas; eosque quantocyus ad nos remittas votivè expeditos. Commissimus autem dicto fratri Ludovico, vt nostro nomine Celsitudinem tuam reddat certiorem; nos in omnibus Mantuæ ordinatis pronos ac paratos sine defectu futuros, quantum ad nos attinet recipimus, quin etiam vltra ea quæ ibi conclusa sunt, & nos concernunt, omnia nobis possibilia in

in Dei laudem adijciemus. Datum Romæ apud S. Petrũ, Anno, M CCCC LX. Idib. Ianuarij, Pontificatus nostri anno III.

DAVID IMPERATOR TRAPESSVNDARVM.
Philippo Duci Burgundiæ.

ILlustrissime Dux Burgundiæ, Ego David Imperator Trapesundarum post plurimam salutem, libenter ad te scribo de his, quę hîc apud nos occurrunt; vt cum certior factus, pro tua religione & amore erga fidem nostram, possis deliberare quid tibi agendum sit. Nuper enim ego & reliqui Christiani Principes, qui in istis sumus regionibus, fœdus atque ligam injecimus inter nos bellum gerendi contra Turcos; & ego filiam Caloianis, fratris & prædecessoris mei, vxorem dedi Assembech, qui filius fuit Carailuch potentissimi Principis: & hoc feci vt ipse firmus sit, & fidelis nobis in Liga, quam nobiscum fecit; & vt perseveret in bello gerendo contra Turcam, qui tenet Constantinopolim; cum quo iam bellum gerere incæpit; multasque illi regiones & oppida pugnando cepit, quæ prope confinia sua erant; nunc verò reversus est in patriam suam. Itaque nos ipsi parati sumus: & expectamus adventum vestrum contra infideles; quemadmodum Dominus Papa ad nos scripsit; & per Oratorem suum nobis significavit; quod vos Latini principes debeatis inire consilium in civitate Mantuana: vt faceretis exercitum contra infideles.

Quod si facietis, nos parati sumus: Ego cũ triginta biremibus & cum viginti millibus hominum: Asambech promptus est exire ad bellum istud cũ quinquaginta millibus hominum ad debellandam & subigendam Bursiam & totam Natoliam. Quapropter rogo illuminatissimam dominationem tuam, vt placeat tibi dare aliquod principium huic bello ex partibus Vngariæ. Nam si vos aliquod impedimentum etiam parvum Turco inferetis; vt ipse ad diversas partes distrahatur; nos adeò ipsum vrgebimus ex latere nostro; vt facile destrui &; debellari possit.

Et si dominatio tua deliberat ad hoc intendere & venire, & aliquem tuorum mittere; nos omnes Orientales Principes promittimus tibi præstare auxilium, opem, & quicquid in nobis erit ad recuperandam Hierusalem; & te illius Regem constituemus; & vt scias, qui simus, qui confœderati sumus, & hoc tibi promittimus: Ego inprimis, qui paratus sum, vt dixi, cum XXX. birebimus & XX. millibus hominum: Georgius Rex Persarum promptus est tum LX. millibus hominum; Gorgora Dux Georgianæ paratus est cum XX. millibus equitum: Bendiam Rex Mirigræliæ cum suo filio promptus est cum sexaginta millibus hominum, quod illi facile erit: Rabia cum suo fratre & suis Baronibus cum XXX. millibus hominum: Natio Githorum & Aronorum promittunt milita-

militare sub vexillo Georgij Regis Persarum: Dardebech, Dominus Armeniæ minoris cum X. millibus hominum: Asambech affinis meus, vt dixi, infidelis promisit nobis dare trāsitum, & personaliter venire cum quinquaginta millibus hominum. Sunt etiam nobiscum confœderati duo alij infideles domini, Caromanus & dominus Sinoppi: qui continuè quærunt, quomodo se possint vindicare de Turco Constantinopolitano, & terras suas recuperare. Aliud impræsentiarum ad dominationem tuam non scribo: nisi quod commendo tibi Michaelem de Algeory Baronem & Oratorem meum, quem ad te mitto; cui fidem plenam super istis rebus adhibeas: qui verbis omnem intentionem & deliberationem nostram exponet. Iterum te oro, vt ne permittas hoc nostrum pium negotium & inceptum frustra fieri, quoniam à Deo factum credimus. Ex illo tempore, quo amicitiam contraxi cum hominibus tuis, qui ad has partes pervenerunt, semper mihi agnitus es: tuique honoris & dignitatis favor semper fui eroque. Vale in Christo. Trapesundæ in Palatio nostræ residentiæ. Anno Domini M CCCC LIX. die XXII. Aprilis.

GORGORA DVX GEORGIANÆ PHILIPPO Duci Burgundiæ.

QVoniam intellexi, te esse fidelissimum Christianum: & desiderasse semper aliquid agere, quod honori & amplitudini esset sanctæ fidei nostræ: sicut tui fecerunt antecessores; ideo multum desidero tuam habere amicitiam. Nam ego Christianus sum: & pro defensione & amplitudine illius sanctissimæ fidei mori cupio; nec quicquam libentius facio, quam bellum cum infidelibus gerere, maiorum meorum vestigia & consuetudinem imitando.

Etenim post obitum parentis mei multa cum illis bella gessi; & sæpissime gratia Dei de illis victoriam habui; multas civitates ipsorum debellando cepi; & nisi his superioribus annis bella quædam inter me & aliquos Christianos finitimos meos orta fuissent, maiora profecto contra infideles gessissem. Sed inpræsentiarum quoniam mandato Domini Ludovici nostri patriarchæ pacem feci cum omnibus Christianis finitimis meis; omnino decreui omnem meam facultatem & vires omnes adhibere contra Turcos; & quemadmodum promisi domino patriarchæ nostro, ego personaliter cum XX. millibus equitum ad hoc bellum contra infideles aggrediar; quod vt facilius fieri possit, non solum pacem, sed fœdus, & ligam feci cum omnibus principibus Christianis, qui in istis sunt regionibus: vt communibus copijs Turcum qui tenet Constantinopolim, inuadamus. Confœderati enim sumus ego & Georgius Rex Persarum, Dauid Imperator

tor Trapessundæ, Bendian Rex Miregreliæ, Rabia dux Anocasiæ, Bedebeth Dominus Armeniæ minoris, & alij Domini orientales: habemus etiam nobiscum in nostra confœderatione tres potentes príncipes infideles, qui Turci Constantinopolitani sunt inimici; Caramanum scilicet & Asmailbech, filium quondam stipendiarij, & Asambech filium quondam Carailuci: qui Assembech cum confinia habeat ex ista nostra parte cum Turco, promisit nobis dare aditum ad invadendum Natoliam, & nobiscum personaliter venire cum omni sua potentia; & in primis capere civitatem Bursiæ, vt illam possideat pro se, & potiatur: omnes nos capitulis & pactionibus conclusimus, cum hac scilicet conditione, vt ipse sit insuper amicissimus Christianorum. Et si vos Latini Principes & populi venietis ad recuperandam domum sanctam Hierusalem, ipse debeat præstare vobis omne, quod potuerit, auxilium & favorem. Quamobrem nos pacem & ligam ex parte nostra fecimus, quæ à quingentis annis in his regionibus non sunt audita: idque fecimus persuasi, tum autoritate patriarchæ nostri, tum literis Domini Papæ, quibus ad nos scripsit, se & omnes principes Latinos in civitate Mantua debere convenire, & ibi congregato Concilio exercitum præparare contra Turcos. Nos verò, quia id vehementer cupimus, vt possitis vos vna nobiscum venire ad hanc rem perficiendam, mittimus nostros Oratores cum Domino Patriarcha nostro ad vos principes Latinos, & præsertim ad te, quoniam accepimus te, & omnes de domo tua diu multumque desiderasse, Terram Sanctam recuperare: & vt possitis ex ipsis nostris Oratoribus intelligere, quem animum habeamus omnes ad hoc negotium fidei, & quid per nos actum sit hoc tempore: Cupimus etiam atque etiam & rogamus, vt nostros Oratores certiores faciatis: vt ipsi postea referre possint, an parati sitis & prompti sumere hoc opus iustissimum: vt sciamus quo tempore ad arma progredi debeamus. Hoc vnum vobis pollicemur, in vna æstate debellare & auferre totam Natoliam, & quicquid Dominus Othomanorum, id est, ipse Turcus Constantinopolitanus, possidet ex nostro latere. Alteram vero partẽ dominij sui, quæ Græcia est, quam mare Euxinum dividit, nobis expugnandam relinquimus, quod vobis facile erit. Nam ipse Turcus in medio positus duorum exercituum, cum resistere minime poterit, cito succumbet: & nomen suum è terra delebimus. Quas ob res te ante omnes alios Latinos principes oro: vt super hoc velis cogitationem & curam suscipere: & non sinas hanc commoditatem, quam vobis offerimus, præterire: nec dedigneris nos imitari, qui omnibus rebus postpositis fidei vtilitati intẽdimus & vacamus. Quodsi hãc rem (quod absit) neglexeris: nihil à nobis actum esset, nam hac conditione nos obligati sumus ad hoc bellum, si vos domini Latini vna nobiscum eritis: alioqui soluti sumus ab ista Liga & confœderatione.

Omnia enim nostra consilia & rationes dependent à literis Domini Papæ, per Dominum Patriarcham ad nos allatis, quas veras esse præposuimus. Et finaliter hoc vno considerato: quod si hoc tempore, cum à nobis sitis adiuti, nihil facietis; hic iniquissimus Turcus interim tantas vires & animos sumet; vt quando ipsi resistere volueritis, nullo modo possitis: & omnes nostri conatus, si vos non respondeatis, inanes forent: eritque fere impossibile, iterum nos in istis regionibus tam pronis voluntatibus vniri, vt nunc sumus. Multa essent dicenda, quæ per meum Oratorem poteris cognoscere: cui fidem indubitatam præstare poteris: habeasque eum oro commendatum. Vale in Christo. Data in Carceche An. M.CCCC LIX. Mense Nouembri.

GEORGIVS REX PERSARVM PHILIPPO *Duci Burgundiæ.*

ILlustrissime Dux Burgundiæ, Ego Georgius Rex Persarum te plurimum saluto: & vt intelligas, quæ res gestæ sunt in præsentiarum in Oriente, istas literas ad te scribo. Scias igitur, me & omnes Principes Christianos, qui moramur in istis regionibus, fecisse inter nos pacem, & fædus, ac ligam: & coniurasse, invadere cum omni nostro conatu & potentia Turcos; sed præsertim illos qui sunt in Constantinopoli: quoniam sunt Christianorum hostes inimicissimi: in qua quidem liga nos singuli apparatum & copias nostras obtulimus. Ego promisi personaliter exire cum XL. millibus hominum: Dauid imperator Trapessundarum obtulit & paratas habet XXX. biremes cum XX. millibus hominum. Bendian Rex Mirigreliæ omnem suam potentiam exhibuit: Gorgara Dux Georgianæ personaliter veniet cum XX. millibus equitum: Rabia Dux Anocasiæ cum suis fratribus & Baronibus nobiscum ire promisit: & ipse veniet cum omni sua potentia: Berdebech Dominus in Armenia Minori pollicitus est ad hanc nostram expeditionem XX. millia hominum. Sunt etiam in hac liga & alij populi Githiarani, & Sasoni, & tres Domini potentes, qui promptissimi sunt mouere bellum domui Othomaniorum, hoc est, Turco Domino Constantinopolis: quorum est vnus Caramanus: alter Ismailbech filius quondam stipendiarij; tertius Aliembech Rex Mesopotamiæ, filius quondam Carailuci, qui & potens & capitalis inimicus Turci Constantinopolitani est, paratissimus adimplere omnia quæ promisit. Quæ quidem omnia supradicta inter nos capitulis, pænis & alijs vinculis promisimus, rataque fecimus: hac scilicet conditione adiecta, si vos Latini Principes vos movebitis, & vna nobiscum eritis, ex vestris partibus bellum Turcis inferendo: alioquin si vos non intenditis hoc bellum suscipere, nos ad exoluenda ea, quæ promisimus, nullo modo sumus obligati.

Quam-

Quamobrem rogo, vt omnibus rebus postpositis, velis ad bellum hoc intendere: nec te distrahant, aut avertant à tam sancto proposito alia, quæcunque sint, obstacula: quemadmodum ego feci: qui si difficultatibus, quæ mihi occurrebant, intendere voluissem, nunquam Domino Patriarchæ nostro paruissem: cuius opera & mandato hæc nostra liga & concordia inter nos facta est.

Nunc verò licet in quibusdam rebus temporalibus mihi damno hæc concordia fuit: tamen contentus sum illud peregisse: cum spirituale à Deo præmium propter hoc expectem. In præsentiarum aliud ad te non scribo: quoniam mitto ad te Oratorem meum; vna cum Domino Patriarcha nostro: cuius verbis fidem adhibeas: quoniam ex ipso omnia poteris cognoscere: habeasque eum commendatum: & vt des illi tuas literas responsionis, te oro, vt possim intelligere tuam sententiam & opinionem. Vale in CHRISTO. Data in castris nostris prope tentorium. Anno M.CCCCLIX. 5. Nouembris.

PIVS SECVNDVS PONTIFEX MAX. PHILIPPO Duci Burgundiæ.

RVmor ad nos delatus est, nobilitatem tuam, quæ magno & alto animo Italiam petere cum valida classe, ac deinde in expeditionem contra Turcos, immanemque beluam Mahometem, Christianum sanguinem sine fine sitientem, nobiscum proficisci promiserat, mutato consilio domi remanere: certumque bellatorum numerum, qui tuam vicem suppleant, mittere. Dubia rês nobis est, nôdum veritate comperta: nescimus an, quod refertur, credere debeamus, fidem exposcit scribentis autoritas: de quo & timor exoritur: qui magnus est, & habere se gravia testimonia dicit. Concrescat constantia tua, & votum, & promissio, & honor, & ipsa rerum necessitas. Novimus te constantem ac perseverantem esse in proposito: diu deliberare soles ac meditari, antequam aliquod magni decernas: decretum semel inconcussum servare. Non est verisimile, quod de profectione tua iã pridem consulto statuisti, nunc mutatum iri. Scimus autem multos & magnos viros, postquam audivere te venturum, conatos fuisse tuam profectionem impedire: multasque tibi vel rationes vel caussas exposuisse, cur non esset veniendum. Inter quos & soror tua nobilissima & charissima, & amantissimus filius (vt relatum est) dissuadentes iter: verba fecere vehementibus precibus: teneras lacrymas ac suspiria miscentes: nec te tamen flectere potuerunt: Mansisti penes tuam sententiam solidus & immutabilis. Sicut annosa quercus Borealibus frustra concutitur spiritibus: aut aspera cautes assiduis incassum agitur procellis, nec loco suo dimovetur: Ita & constans animus tuus, eo principe dignus, suasionibus quibuscunque rejectis, vsq; in hanc diem propositum suum tenuit.

Non est credibile perseverantiam tuam nunc perijsse. Accedit votum publicè factum: quod sua natura inviolabile est, tanquam Deo debitum. Vovete (inquit scriptura) & reddite. Non est fallendum numen Dei; si servanda est hominũ fides, quanto magis Deo psolvere vota impunè nõ cedit. Ipse Deus Dominus est & iudex, neque despici potest. Tua nobilitas nõ consuevit homines fallere, verax & dicti sui tenax. Non est, quod curemus, te modo in voto tam solenni, tam publico, tam sancto, à tua bonitate recedere, ac mutare naturam. Obstant & promissa tua Ferrariensi Episcopo, nomine nostro ad te misso, facta. Tenes memoria, quę illi dixisti, cum te lectulo decumbentem, & ægritudine laborantem invenit: Affirmasti sanitatẽ cum illo ad te missam, & omnia facturam tuam nobilitatem pro defensione fidei: missuramque in brevi Legatos cum potestate concludendi, tam de transitu tuo, quam de rebus alijs ad expeditionem necessarijs. Venere Legati tui, viri præstantes, & in illo consilio tuo primarij; qui nos Tybure convenientes, inter prima colloquia percunctati sunt à nobis, an adhuc profecturi essemus: quod tibi per Ferrariensem Episcopum fuerat significatum: hoc est, an personaliter in bellum contra Turcos profecturi essemus. Respondimus, nihil nos esse mutatos, venturoque tibi procul dubio futuros comites. Quo dicto subintulere Legati, se habere in mandatis, vt affirment nobis, Excellentiam tuam aut ad nos venturam, & in sancta profectione ituram, aut in itinere morituram. Credidimus Oratoribus tuis, & adhuc credimus. Secuta est promissio in Consistorio publico facta: asseruerunt Oratores tui in magno conventu Romæ coram nobis, te prorsus venturum: nec vllo pacto remansurum domi: nisi tale impedimentum interveniat, quod toto mundo judice legitimum æstimetur.

Vulgata est per orbem fama, nobilissimum ac potentissimum Burgundiæ ducem statuisse vna cum Romano Pontifice bellum Turcis inferre, totisque conatibus defensionem religionis amplecti. Audiuit tota Christianitas hanc tuam promissionem: erexere exinde animos Veneti: atque in Turcos multo quam prius audaciores effecti sunt: Vngaris spes pulcerrima injecta est: qui se tandem de immanissimis hostibus vlciscantur, regnũque suum perpetua Turcorum molestia liberent: Græcia tota, omnis Illiricus tractus de libertate cogitare cæpit: Turcorum animos non parvus invasit metus: tanta est nominis tui æstimatio. Quis nunc arbitretur, generositatem animi tui, post tot promissiones, ac spem tantam de re præstanda, velle mutare consilium: tristesque fideles Christi populos reddere, & lætos crucis hostes. Nullum intercessit impedimentum, quod mundus legitimum iudicat, imò nec tu ipse excusationem vllam iudicasti sufficientem; quippe quod neque senium, neque debilitatem obijceres, atque

idcirco

idcirco te remorari conatibus assereres. Num te ob has caussas & alias remāsurum putet, qui excusatum senserit, non excusante mundo? Vbi honor? vbi æstimatio tua remanet? Quid dicet populus? Nonne illusos se omnes Christiani censerent? Inclyta Franciæ domus honorem semper cęteris rebus anteponit; nec tu Franciæ sanguinis vnquam honoris fuisti prodigus. Nunquid adversus honorem ne faceres, magna sæpe subijsti pericula? aut nunc potissimè, quod hactenus constantissimus, & promissi dictique tenax atque observantissimus fuisti.

Nihil apud te iuvenē honore carius fuit; nō est, quod modò in ætate matura, cū maximè sapis, honoris contemptorē putamus: cuius nobis sola, vel paucis alijs relicta est semper voluptas. Confidimus præterea te pro tua prudentia non ignorare, quam periculosa sit tua domi remansio; quantum rebus gerendis noceat; quantum Christianos debilitet; quantum robur adijciat hostibus. Nam quia audito adventu tuo exterriti erant; cognita remansione, cornua erigent; & in sanctum Evangelium ferocius insultabunt; nobisque profecto amantissime Fili, si verum fuerit, quod arbitrari non possumus, mutati consilij tui fama haud parvam afferet cladem. Nam quod de victoria belli spem propè certam conceperāmus; te nobis deficiente, rem dubiam cernimus. Veremur ne tuo exemplo sequentes socij remissiores efficiantur; atque quærant cum hoste conditiones; vt est natura mortalium, regni, quàm fidei, tenacior.

Nec tua auxilia sine te satis implere tuum officium poterunt. nullus exercitus tuus tantus est, quantus tu ipse: nihil tantum valet in bello, quàm autoritas; & sępe vim vincit opinio. Tu si nobis desis, cuius nomen est apud formidandos & apud nostros honoratissimum; facile intelligis, quātum rebus gerendis officias. Non est igitur, quod opineris, te consilio mutato velle domi manere; qui sępe dixisti etsi tibi moriendum esset in hac profectione, omnino te venturum. Tamen si venias (vt confidimus) in Domino vita longior erit, vt validi corporis; & redibis cum gloria domum victor hostium; Christianæ religionis conservator. In domo timenda est ira Dei. Scis, quoties infirmitates quasi monitiones quædam te invaserūt; tu teipsum monitum dixisti fuisse; vide, quid agas: cave, ne monitiones Domini irritas facias; nec præferas humana mandata divinis. Nos quidem nisi aliud audiamus, expectamus Excellentiam tuam cum desiderio: & te venientem percupidè videbimus & amplexabimur; tecum proficiscemur in hostes; quibus tota Italia comes erit. Decretum enim nostrum de decimis, vicesimis, & tricesimis, & indulgentijs, ab omnibus Italiæ potentibus receptum est; & omnes auxilia pro suis facultatibus promittunt. Nec Florentini desunt, viri prudentia potentes, & opibus; quamvis de his aliquādo fuerit dubitatum: nunc certum est eos egregiè in Turcos de expeditio-

ne saturos opem. Nobilis Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis vnum ex filijs suis se nobiscum missurum promittit, & cum eo equitum peditumq; validum exercitum. Successura sunt omnia, te venturo, quemadmodum speramus, ex voto. Quod si, Deo permittente propter peccata nostra, tuus adventus fuerit impeditus; non tamen iter nostrum retardabimus. Et quamvis non fuerit profectio nostra promissa, nisi te veniente; ibimus nihilominus, nec fraudabimus sua spe populum Christianum: Faciemus quod promisimus: & vltra quàm promissum est. Nemo dicturus est: hoc promisit Pius Pontifex, & non fecit: Iturum se dixit, & non ivit: Magnifica verba protulit, & non complevit. Ibimus autore Domino; mare intrabimus: in hostes navigabimus; pro victoria nominis Christiani, pro defensione fidei, totis viribus nitemur. Non gravis ætas nos retinebit; non impedita morbis arthriticis membra; non parsimoniæ Ecclesiæ cura: non pericula maris: non mortis metus.

Scimus moriendum nobis esse; nec honestius vnquam finiri posse; quam in exercitu pro Christo salvatore, & eius lege decertante. Si Christiani Principes populique auxilio fuerint; neque pro fide laborantes deseruerint: nihil est, quod de victoria desperemus: Si minus, non deerit, vt confidimus, ipse DEVS & salvator IESVS CHRISTVS, cuius res agitur. Consuevit enim divina pietas in se sperantes haudquaquam deserere; cui tam facile est cum paucis, quàm cum multis, vincere; & ibi incipite diuinum repetitum præsidium, vbi humanum deficit auxilium. In Deo spem nostram collocabimus; ipse, si vult victoriam nobis elargietur: & si aliter Maiestati suæ placuerit, satis erit nobis pro defensione religionis, quantum facultatis datum fuerit eò processisse. Iustus est Dominus Deus; nec vltrà, quam possunt homines, exigit: nobis cavendum est, ne divinæ voluntati adversemur; & ne populos illusisse videamur. Cumque vulgata sit nostra profectio; dabimus operam, vt opinioni hominum satisfaciamus; divinæque voluntati pro nostris viribus pareamus: Tuam nobilitatem exorantes, ac per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi in charitate vera perfecto corde obsecrantes; vt tu ipse idem facias: nec promissis tuis Deo maximè nobisque factis deficias. Memineris Domini Dei tui: & quanta susceperis ab eo bona; nec velis ingratus videri; nec verba cuiusquam pluris facias, quam mandata Dei. Consule honori tuo, & animæ tuæ; nec expeditionem frustrare: quam fideles de te populi habent: noli auferre spem, quam nobis præbuisti: consolare nos & vniversam plebem Christianam: vt Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, & Deus totius consolationis, consoletur te in omnibus adversitatibus tuis feliciter. Et quod reliquum est temporis in hoc seculo, Deo offer & consecra; vt tandem in altera vita sui regni, participem te faciat. Cupimus super his, vt quàm

quam primum nobis respondeas. Datum Senis VIII. Calendas Aprilis. Anno M.CCC.LXIIII. Pontificatus nostri sexto.

PIVS II. PAPA CAROLO REGI Francorum.

VT persolueremus omnipotenti Deo & fideli populo, vim ab infidelibus patienti id, cuius caussa ad hanc sedem sumus assumti, de venerabili fratrum nostrorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, per certas nostras literas, quas Celsitudini tuæ præsentes mittimus, omnes Reges & principes Catholicos ad dictam solennem Mantuæ vel Vtini proximis Cal. Iunij celebrandam, Apostolica voce duximus convocandos: statuendo, concedente altissimo, eo loco eodemq; tempore ibidem personaliter adesse: impedimentis posthabitis, quę circumstant nos vndiq;. Quamvis igitur erga me mens tua fuerit semper ad tuendum nomen sanctum Dei: & nec Apostolicæ sedis, nec cuiusquam alterius exhortatione multum egueris: tamen quia hæc non solum nobis est cordi, sed Dominico gregi inprimis necessaria: sublimitatem tuam hortamur in Domino, & per illud sanctũ baptisma, in quo Christo renatus es, & nomen Christianum geris, requirimus; vt velis per os nostrum vocatus, abiectis respectibus omnibus, qui pro honore Dei non sunt attendendi, ad eadem loca, & ad diem præscriptũ personaliter interesse. Etenim cum Vicarius Iesu Christi in terris hoc agat: quem recte vadentem sequi Christianus populus debet: non debent Principes terræ gravem sibi ducere laborem ab illo susceptum amplecti. Habitus es, charissime Fili, devotissimus Princeps fidei & religionis nostræ præcipuus: nec immerito ob Christianum nomen egregie à progenitoribus tuis defensum nomen Christianissimi ab illis hæreditarium habes. Accedit potentia singularis: qua ideò omnipotens Deus insigniri te voluit: vt esset qui tempore necessario, quale nunc imminet, illam ad protectionem sui gregis conferret. Erit (vt in Domino cõfidimus) adventus tuus maximæ ad hoc salutare opus vtilitatis: non eo solum quod sapienti consilio tuo dirigere tantam molem gloriosissime poteris: sed quia gentes & regna audiendo Christianissimum Regem Francorum relictis sedibus suis ad augendam & tuendam communem causam altissimi cum Romano Pontifice convenisse: erubescent ipsi, exemplum tuum non sectati: vt pene ob hoc ipsum plus momenti cæteris omnibus allaturus appareas. Pro Deo igitur, charissime Fili, pro commendatione æterna nominis tui, pro compassione fidelis populi, continuæ feritati Turcorum sanguinem suum fideliter dantis, exaudire clementer velis pias nostras huiusmodi preces, & fletu, & lacrymis oppressorum nobis impositas. Hæc enim vera sunt opera re-

gum

gum; hic campus, in quo honestè decertare, & triumphum veræ salutis reportare cum gloria possunt. Cætera fluxa sunt & caduca: vix solidæ laudis quicquam in se habentia; etiam persæpe ingrata. Quòd si casu aliquo, quod Deo non placeat, carendum nobis erit tua præsentia; & per Oratores complere hoc munus restituas; requirimus eo casu Celsitudinem tuam, vt cum pleno mandato illos transmittere velis; non ad decernenda solùm ea, quorum caussa vocatus es; sed ad componendam pacem, vel indicendas treugas cum illis, cum quibus esset tibi forsitan contentio; vt denique placatis vndique fidelibus, concordius cœptum opus prosequi possimus. Speramus tamen concessurum omnipotentem DEVM; vt tua serenitas potius per seipsum, quam per Oratores suos, sit affutura; attento quod Mantuanam civitatem tui potissimum causa delegimus: vt vel Serenitas tua, quod primum expetimus, vel saltem Principes aliqui de latere tuo illuc accedere facilius valeant. Hortamur quoque & requirimus, vt per præsentem nuncium velit Sublimitas tua optatum nobis responsum dare. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno, M CCCC LVIII. Tertio Idus Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

CAROLVS REX FRANCORVM PIO II. Pontifici Maximo.

BEatissime Pater, Paucis ab hinc diebus Beatitudinis vestræ literas per latorem præsentium suscepimus, earumque tenorem attentè intelleximus. Et quidem inprimis persolvendæ sunt ipsi pietatis fonti gratiarum actiones amplissimæ; qui hoc tempore fortè tristissimo, ad resarciendas Ecclesiæ suæ sponsę immaculatæ partes labefactas, eandem Beatitudinem vocare dignatus est. Attollendum quoque plurimum propositum eius salutiferum; & pię exhortationes sincero animo amplectendæ. Verùm cùm hæc res, qua nulla est maior, pro se ipsa satis exorare videatur: & Principes Catholicos ad id persuasos nimirum esse credamus matura & salubri deliberatione Concilij: etsi non parum ægrè conspiciatur convocationem solennem Prælatorum, Principum, & aliorum virorum Ecclesiasticorum & secularium Regni nostri intra diætam assignatam facere: tamen & nos tunc quæ deliberata conclusaq; extiterint, per nostros solennes Oratores, debita potestate suffultos, eidem Beatitudini patefacere plane decrevimus. Porrò etsi in rebus humanis fluxis quidem & caducis persæpe soleant turbationes accidere; in illius tamen misericordia & pietate sperandum est; qui nescit abesse piè sperantibus in se: quique tantam Ecclesiæ suæ dedit potestatem; vt quantò gravissimis persecutionibus impiorum sævius impugnatur; tantò postmodum, ipsius miseratione adiuta, potentior consurgat in adversis. Beatitudinem vestram, cui hoc sanctum propositum piè

crevimus

credimus cælitus fore inspiratum, ad Ecclesiæ suæ felix ministerium dirigat & conservet is, cuius vices in terris geris, pius & misericos Dominus.

Antea Æneas Sylvius

PIVS PAPA LVDOVICO REGI Franciæ.

Pragmatica sanctio

ACcepimus ex literis venerabilis fratris nostri Ioannis Episcopi Atrebatensis, quanta cum charitate complexus sis: & quam pium erga nos & Romanam Ecclesiam geras affectum; & quam ad tollendum in regno tuo constitutionem illam, quæ Pragmatica dicta est, volēte & erecto sis animo. Laudamus DEVM, & suæ maiestati benedicimus, qui talem tibi mentem dedit. Nam quid aliud dicere possumus: nisi quod Dei beneficio ex maximis periculis liberatus es, & in hæc tēpora reservatus, vt esses, qui suscepto regno paterno, sublatis erroribus, libertatem S. Rom. Ecclesiæ instaurares atque restitueres: & maiorum tuorum æquata gloria, Christiano nomini quietem fundares. Benedictus Dominus, qui tuæ personæ custos fuit, & spiritum tuum erexit; vt cogitares, quæ pia, & omni laude digna sunt. Sic Magnus Constantinus, sic duo Theodosij, sic Carolus Magnus & plures ex tuis progenitoribus, immortale nomen & inextinguibilem consecuti sunt gloriam: quia Rom. Ecclesiam matrem suam debito honore sunt prosecuti: quorum te vestigijs inhærentem, & diligimus totis præcordijs, & laudamus: & omnis te posteritas celebrabit. Illud autem inter cætera commendamus, quod absque conventu & consultatione multorum, Pragmaticam auferre constituisti: quemadmodum idem Episcopus nobis significavit.

Sapis certè, & Regem te magnum ostendis: qui non regaris, sed regas, Optimus enim princeps est, qui per se recta cognoscit & operatur, qualem te esse confidimus; Nec scriptura cum ait, *Vbi multa consilia, ibi salus multorum*, multitudinem requirit, sed consiliorum maturitatem & digestionem quæ res in paucis magis, quam in multis, reperiuntur. Neque enim aut honestas aut iustitia multitudini facilè suadetur, quæ varijs affectibus agitata, ad prona frequenter inclinat confusioni: subita est consulentium multitudo: neque bene res habet, vbi suffragia numerantur, non ponderantur. Sæpe enim fit, vt maior pars meliorem vincat. Facis, quæ te decent: qui sciens Pragmaticam esse absque Deo, eam de regno tuo eliminare decrevisti. Nec vis in disceptationem adducere, an fieri debeant, quæ tu ipse facienda novisti. Hoc est regem esse, & bonum Regem: & quem boni ament, mali timeant. Nam qui per alios reguntur, nec per se intelligunt, quæ sint agenda, contemptui sunt. Probamus igitur & commendamus admodum, quæ de tua liberatione circa Pragmaticam Episcopus Attrebatensis

batensis scribit; hortamurque vt quæ proposuisti in animo, cito effecta facias; neque cum possis hodie benefacere, cras faciam dicas. Hilarem datorem diligit Deus: quæ iusta & honesta sunt, nolunt moras. Fac tuam sapientiam, sicut nos cognoscimus, ita & mūdus omnis quamprimum cognoscat: neque aliquis dicere possit: diu noluit, quia diu deliberavit. Quod si prelati tui & vniversitas aliquid ex nobis desiderent: te mediatore ad nos recurrant.

Nam si quis vnquam pontifex fuit Gallicæ nationi affectus: vt multi fuerunt; nos certè inter primos reperiemur: qui nomen & gentem huiusmodi honoremus & diligamus: nec vnquam postulatis honestis adversabimur, scimusque dignum esse, vt fratribus nostris Episcopis in multis studium nostrum deferamus eosque honoremus, pariterque viris doctis, & qui docti esse cupiunt, in Vniversitatibus literarum studia sectantibus, subveniendum esse non ignoramus. Ab his enim Catholica fides defenditur, & doctrinæ lumen propagatur. Age igitur, Fili, perfice quod in animo geris, & confide nos tibi & regno tuo omnia concessuros, quæ ratio & honestas suadebit.

Cæterum quia regina Cypri ad nos ex regno suo deiecta, & ex terris profecta est, & ad tuam (vti credimus) serenitatem proficiscetur, consilium & auxilium petens (nam Regnum eius Soldani Ægyptij gente occupatum est) & quia, sicut accepimus, Mahometes Turcorum Dominus Greopin & Trapesuntem, & multas alias in Asia civitates ac provincias, de novo sibi subiecit: & in Europam victor ac tumens eo proposito revertitur: vt Christianitatem proterat atque conculcet: serenitatem tuam rogamus, & flentes petimus: vt respicias, in quo statu sit Catholica fides: quomodo ex vno latere Turci, ex altero Saraceni vrgeant. Pone ante oculos lamentabiles Christianorum voces: qui per Asiam & Græciam in medio nationis perversæ constituti, miserabilibus modis affliguntur. Cogita, in quo loco est sacrum Domini sepulchrum: quod inspicere absque Mahometorum voluntate non possumus. Sancta terra, quæ nobis lucem fidei præbuit, nunc in tenebris est: totus Oriens plenus est spurcitia Mahometica: quæ etiam in Europam suum virus effudit: inde Græciæ, hinc Hispaniæ parte occupata: nec dies est, in qua non mille Christianorum animæ pereant. Rhodus in periculo, & nobilis insula maris, quondam dicta Peloponnesus, in potestate Turcorum est: paucis exceptis locis: Epirus tota ad eos confluxit: Bulgaria, VValachia, & Rasciani ex parte Turcis parent: Vngaria vulnus expectat: quia multis afflicta cladibus non potest tātos belli motus sustinere: nec est, qui consoletur eam: timet victorem Mahometem iam spolijs Orientis & Asiæ viribus auctum. Timemus sanè illi genti: timemus & alijs, qui sunt in hostium circuitu: nec nos sumus, qui succurrere possumus: Volvimus

oculos

oculos nostros modo huc modo illuc; & lustratis omnibus Christianorum provincijs, nemo regum, nemo principum nobis occurrit: qui tantæ rei subvenire possit, nisi tu solus: quem pius Deus sui populi salvatorem (vt confidimus) huc vsque salvavit incolumem: nec permisit in manus te persequentium incidere. Tu Dei ope hæreditarium regnum in pace consecutus es mortuo patre. Philippus Burgundiæ dux clarus & potens tibi obsequentissimus est: & cæteri Duces & Comites regni gloriantur, & tibi sine controversia parent. Ex Anglia, si volueris, nihil tibi adversabitur: Hispaniam habes amicam: Omnes per circuitum te venerantur & colunt: & legationes ex longinquis partibus, ac ex ipsa Italia te honoratum & salutatum veniunt.

Magna est gloria tua: magnũ est Dei donum: Intellexit divina pietas meditationes tuas: & multa cognovit in animo tuo proposita esse ad commune bonum: nec dubitamus, quin, cum esses exul quodammodo à regno tuo, tecum sæpè dixeris: ô si paterno in solio aliquando sedeam, quanta tibi faciam Deus grata! Certè non patiar tuam hæreditatem Turcorum insania laniari. Audivit te Deus, & omnia tibi adversa repulit; planavit iter tuum, & te in aucto regno collocavit excelsum præ regibus terræ: omnia tibi tranquilla dedit: si quid aliquando intra te promisisti, id servato: si non promisisti (quod non est verisimile) recognosce beneficia, quæ accepisti à Domino Deo tuo, qui te filium Regem creavit: & regnum, quandiu ex terris fuisti, summa cum gloria restituit: ostende te gratum divinæ pietati: & pro tantis beneficijs vicem repende, tolle, vt facturum Oratori nostro spopondisti, Pragmaticam constitutionem: & hoc facto, quod non est difficile, erige te totum in exilium Christianæ religionis contra Turcos. Stude, vt expeditio adversus hostes Christi fiat. Exhibe te huius rei ducem & caput: nec dubita, cuncta erunt tibi prospera: hoc est negotium te dignum: tibi hæc gloria servata est: nihil est in quo te laudabilius exercere possis: hæreditaria hæc tibi provincia est.

Nam pugnare contra Turcos, & vincere, & terram sanctam recuperare, & fidem salvare, & Rom. Ecclesiam honestare, Francorum Regum proprium est: & hæc tu commodissime præstare potes vera Francorum soboles: sapientia & rerum experientia præditus: in opulento & pacifico & potentissimo regno sublimatus. Omnium oculi in te respiciunt: omnes afflicti te invocant: & nos præter te non videmus, qui hæc præstare possit: Ideo ad te vnum recurrimus Christianæ fidei defensorem.

Tu ergo & à nobis, & à toto Christiano populo rogatus, & inprimis à Deo cõmonitus, præpara te huic provinciæ: ad quam feliciter dirigendam

omnia obtinebis à nobis, quæ à iusto, & pro Christi vicario, & beati Petri successore obtineri debeant. Datum Romæ, XXVI. Octob. A. M.CCCC LXI. Pontif. nostri Anno IV.

LVDOVICVS FRANCORVM REX PIO II. Pontifici Max.

DEVM solum scientes esse cuius providẽtia benè consulitur rebus humanis: meliusque regna & vrbes religione cingi, quam armis & membris: te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur: vt sacra præsertim in Ecclesiasticis rebus tua monita veluti vocem pastoris audire illisque parere promptamente velimus. Quapropter Beatissime Pater, etsi constitutio in regno nostro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum conventu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & iam callum obducta quietum prope fixerit statum: tu tamen tuis literis illam à regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas. Nobis quoque dilectus & fidelis consiliarius noster Ioannes Episcopus Attrebatensis, quem cum potestate Legati de Latere ad hoc nostrum regnum misisti, commemoravit ea: ad quæ per ipsum tibi nomine nostro pollicenda, vovenda, & promittenda nos, antequam regnum suscepissemus, religionis instinctus quidam deduxerat. Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum Ecclesiasticarum tua auctoritate, studemus ac volumus: & id quidem tanto volumus animo propensiore: quanto nobis magis regnum Franciæ florens & bello vacuum tuetur DEVS & protegit. Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his, quæ tuo nomine nobis aperta sunt: ipsam scilicet Pragmaticam sanctionem tibi tuæque sedi esse infensam: vtpote quæ in seditione & Schismatis tempore, atque per seditionem sectionisque à tua sede figuram nata sit: & quæ, dum tibi à quo sacræ leges oriuntur & manant, quantamlibet eripit autoritatem, omne ius & omnem legem dissoluit.

Illud enim exoritur, quod idem consiliarius noster nomine tuæ Sanctitatis astruxit: vt dum per Pragmaticam ipsam summæ in Ecclesia tuæ sedis autoritas minuitur: dum Prælatis in regno nostro quoddam licentiæ templum per illam perstruitur: dum congruens vnitas ad alia regna conformitasque tolli videtur: abroganda sit ipsa Pragmatica, pellendaque à nostro regno: quippe quæ adversus tuam sedem, omnium Ecclesiarum matrem ab inferioribus Prælatis lata sit: tanquam, vt scriptura loquitur, si elevetur virga contra levantem se, aut baculus, qui vtique lignum est: Quæ quidem, Beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur atque diluere: multaque nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam: te tamen principem totius Ecclesiæ, te Antistitem sacrorum,

ſacrorum, te Dominici gregis paſtorem profitemur & ſcimus, teque iubentem ſequimur: Tibi & beatiſſimi Petri Cathedræ conſentimus & iungimur. Itaque ſicut mandaſti, Pragmaticam ipſam à noſtro regno, noſtroque Viennenſi Delphinatu, & omni ditione noſtra, per pręſentes pellimus, deijcimus, penitusque abrogamus: & quam qualemve ante Pragmaticæ ipſius editionem, circa Eccleſiarum, beneficiorum, aliarumque rerum ſpiritualium diſpoſitionem, cęſuram, moderationem, in regno noſtro omnique ditione noſtra, tui prædeceſſores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant & exercebant; talem eandemque noſtro adiutori beatiſſimo Petro, tibiq; ipſius ſucceſſori, reddimus, præſtamus & reſtituimus: cum ſummo imperio, cum iudicio libero, cum poteſtate non coarctata. Tu enim cùm ſcias, quid autoritate diuinitus tibi tradita poſſis; quas per regni noſtri & Eccleſiarum in eo tranquillitate poſtulabimus, non negliges res neceſſarias; poteriſque ſemper, quod optimum fuerit, iudicare. Vtere igitur deinceps in regno noſtro poteſtate tua, vt voles, atque illam exerce. Nam vt hominum membra, nulla contentione, vno capite atque vna mente ducuntur: ſic tuis ſacris decretis Eccleſiæ Prælati in regno noſtro & Delphinatu conſonantiam & obedientiam plenam refundent. Quod ſi fortè obnitentur aliqui, aut reclamabunt; nos in verbo regio pollicemur tuæ Beatitudini, atque promittimus exequi facere tua mandata: omnium appellationum aut appellationis obſtaculo prorſus excluſo; eosque qui tibi contumaces fuerint, pro tuo iuſſu comprimemus & refrenabimus. Datum Turonis ſub magno ſigillo noſtro, die XXVII. Menſis Nouembris, Anno M CCCC LXI. & regni noſtri anno primo.

PIVS II. FRANCISCO SFORTIÆ Duci Mediolanenſium.

BEne cognitum putamus eſſe tuæ nobilitati, pium ſanctumque propoſitum noſtrum ſuccurrendi fidei Catholicæ, & populi Chriſtiani tutelæ conſulendi. Id vnum opus mente agimus; id totis ſenſibus ſumus complexi: & quod antea inauditum eſt, proprium corpus pro ſalute ouium nobis commiſſarum exponere decreuimus. Inuitauimus Chriſti fideles ex toto Chriſtiano orbe; miſimus literas cum pleniſſimis indulgentijs; pręmia vitæ æternæ propoſuimus ſequentibus nos ad hoc certamen diuinum; quò fit, vt confidamus de benignitate Dei, cum plures Chriſtianos vndiquaque conuenturos; qui Præſulem Romanum, paſtorem orbis, patremque animarum, in bella pro defenſione ſancti Euangelij vadentem, ſequentur. Decet nos ad hanc partem piè etiam reſpicere & curam gerere; vt, qui crucem gerentes, iuxta præceptum Domini, vias noſtras ſecuturi ſunt, humaniter & benignè recipiantur; & vt ipſi benè ſuſceptos ſe videant;

&c cæteri ad id auxilium veniendum animentur. Hortamur itaque nobilitatem tuam; cui non dubitamus hoc sanctum opus cordi esse; vt in terris & dominijs suis has faciat ordinationes: mandetque diligentissimè observari; Primo, vt peregrini omnes, sive cruce signati fuerint, sive non, qui ad hanc expeditionem venturi sunt, in omnibus terris & locis tuis, omni humanitate & gratia tractentur; & sub gravibus & formidabilibus pœnis nemo præsumat eos dicto vel facto lædere seu molestare. Monetæ eorum venientium tam aureæ quam argenteæ & æreæ expendantur & recipiantur; videlicet pro valore & precio & pondere earum: nec à quoquam possint vel debeant recusari. Victualia cuiuscunque generis, ac panni, & alia vtensilia, humano vsui necessaria vendantur solito precio; nec carius æstimentur, quam hactenus consueverunt. Vectigalia & gabellæ non exigantur ab eisdem; nec passus fluminum aut portarum seu portuum & scapharum solvere compellentur. Denique omni gratia, humanitate & beneficentia eos tractari facias. Decet enim fideles ad tam necessarium bellum pro Christo vadentes, omni auxilio, ope & favore prosequi. Datum Petrioli Diocæsis Senensis, Pontificatus nostri anno VI.

FRANCISCVS SFORTIA DVX Mediolan. Pio II.

Literas tuas, Beatissime Pater, vt gravissimas & ornatissimas, ita ardentissimi desiderij plenas, Christianæque Reipubicæ studiosas, non minori delectatione, quàm dolore, summa tamen cum reverentia, atque par est, legi, atque accuratissimè perlegi. In quibus cùm tam piè atque eleganter Christianæ religionis fideique Catholicæ calamitatem, non modò vt literis fat erat, narratam, verum sculptam effigiatamque adverterem; non potui non vehementer dolere & angi. Nam ô temporum nostrorum ignominiam singularem! ô perpetuam ætatis nostræ infamiam! ô execrabile apud posteros nomen eorum, qui vivunt! Hi populi, quos Cyrus vniversa Asia subacta in citeriorem Scythiam primus ducere ausus est: qui verè à Thamari vidua fusi, prostrati, & ad interemptionem deleti sunt: Regis capite in vtrem sanguinis misso, cum exprobratione ista; *Satia te humano sanguine, quem sitisti*: quos inde post temporum spacia à Xerxe maiori cum apparatu maiorique exercitu, terra marique in Græciam ductos, quam quisquam alius suarum ante se & post se ætatum, nationum, gentium duxerit: quos Themistocles parva manu vicit, fudit & in Asiam redire coegit; quos Alexander Macedo subegit: & qui non modo à Romanis olim rerum Dominis, verum etiam à quibusvis alijs Imperatoribus, non secus ac fœminæ fugati, in potestatem acti, & pecorum more domiti sunt; eosdem populos esse

esse dixi. Nam etsi Turci illi priscis his se populis immiscuerunt: eorum mollities, & vetus patriæ consuetudo, atque habitus desides illos effæminatosque reddiderunt; ita vt nomen duntaxat Turcorum apud eos manserit: virtus mox etiam in secunda generatione extincta est.

Quoties enim postea tempora à finitimis victi sunt? Et ne longa exempla petamus, cum patrum nostrorum memoria, eius, quid hac ætate Turcis imperat, auus, sæpius à Tamberlano fusus, tandem captus & cathenis nudus iniectus est: Nunc tandem (proh dolor) non tantum in Europam transire ausi sunt, verum nobilissimam illius partem, & apud quam imperium olim fuisse ferunt, cum plerisque alijs non ignobilibus nationibus, occuparunt: diripuerunt ferro, igneque vastarunt: templa DEI sanctissima, & vetustissima profanarunt: cum maxima non populorum modo, verum etiam procerum, & ipsorum quoque principum immanissima strage: cum gravissima & ignominiosa nominis Domini nostri IESV CHRISTI iniuria: velut sanctitas tua distinctius, copiosius, seriosius scribit.

Errata dehinc mea ex illis cum facile recognoverim: & quod multis me Deus Optimus maximus donis, gratijs, beneficijs auxerit: nullo eum grato studio fuerim prosecutus: & (quod mihi gravius succensendum fore existimo) cum contumax illi (vt ais) rebellisque fuerim: multaque in legem suam superbè deliquerim: quod neque negare possum & facilè fateor: nullo saltem digno opere satisfecerim: dolui quidem atque vehementer ingemui.

Cum tamen quibus procellis, quibusque periculis Petri navicula agitetur, literæ tuæ me attentum reddiderint: etsi pleraque alia, hoc vnum vel maximè, lenito dolore in spem pariter delectationemque me vertit: quod intelligam, te quasi cælo ad hanc rem dimisso rectore, ad salutis portum, & quidem incolumem eam reducemque fore. Accedit ad hoc potentissimi illius principis Philippi ducis Burgundiæ votum insuperabile, laudeque immortali dignissimum: cuius virtus, potentia, autoritas ad spem ipsam plurimum conferunt. Verum, ne Epistolæ modum excedam, ad eam partem me conferam, vnde omnis literarum tuarum videtur oriri intentio. Hortatur me Sanctitas tua: ac multis & quidem robustissimis, teque ipso dignissimis argumentis suadet: pia atque iusta arma pro salute publica in Mahometem, monstrum spurcissimum, capere: magnanimiq; Philippi imitari exemplum: & vel inprimis supremam Maiestatem tuam sequi: quæ & æternam filij Dei repræsentat & vices illius gerit in terris.

Fateor, Beatissime pater, nullam esse ad felicitatem, aut expeditiorem, aut certiorem viam, aut fama & gloria digniorem: quam, quod superest mihi vitæ, pro nomine & gloria illius exponere: qui humanam induit carnem; & mori

& mori elegit, quo genus humanum non mortale modò pro peccato, sed mortuum factum, ad vitam reduceret. Fateor me Philippo maiorem natu non esse: verum rei militaris scientia, virtute, authoritate, felicitate, proprijsq; necessarijs Imperatorisque muneribus, non mihi modò, sed omnibus multarum ętatum Imperatoribus præferendum esse. Numera clarissimas eius victorias, gentes domitas, nationes subactas, populos sub imperium missos; & tandem rerum ab eo gestarum gloriam ante oculos pone; quarum testis est Germania; testis Gallia; testis Britannia; quanquam sanctitati tuæ longe notiores esse quam mihi, certior sim: & facilè inde intelliges, eum dignum esse, in quem moles tanti & tam amplissimi Imperij deferatur; & cuius auspicijs Christiana arma & signa militaria moveantur.

Humanissimum eum atque modestissimum principem, & dignitatem tuam clementissimam & sapientissimã scio: sed vereor, ne vires meas (pace vtriusque dixerim) supra modum existimantes opinione fallamini. Nolim tamen Beatitudo tua dictum hoc opinetur; quò æquum humeris meis fugiam onus imponi; quove parere tibi fortassis recusem. Parebo enim; ibo quò iusseris; & omnia peragam, quæ Christianum hominem, & tuæ Sanctitatis studiosissimum decet; tum ob reverentiam clavium, timorem Dei & pietatem in proximum; tum quod tanta quadam indignatione afficeor, quod ætas nostra tanta & tam insigni ignominia notata sit. Opinaris ne, Beatissime Pater, quicquam vel naturæ meæ commodius, vel consuetudini aptius; quàm exercitium castrense: Præsertim in quo ab adolescentia mea educatus sum, & vsque ad hanc ætatem versatus. Pax mihi, fateor, & in primis Italica placet; pro qua ędificanda, conservanda, amplificanda nullam operam, nullum studium, nullam industriam aut prætermisi, aut prætermissurus sum. Verum ocium tanquam naturæ meæ inimicum abhorrendum semper fugiendumque institui; quo, (velut scribis, testanturque Medici) in hanc nouissimam, quæ me ad exitium prope invasit, valetudinem incidi. Neque vxoris igitur, aut natorum blandimenta, neque delectatio principatus, neque deliciarum mollicies in ocium me compellunt; neque labores & pericula, quibus assuetus sum, à capessendo bello hoc abhorrebunt; neque necessariorum aut amicorum consilia mentem ab instituto divertent: quin Christi crucem sequar; quin facultates omnes meas, & ipsam quoque vitam pro Christiana religione tuenda exponam; sed super omnia pro æterna felicitate adipiscenda; quam per Prophetas primum Deus, deinde per filium, nunc per te his omnibus proponit; qui caput suum contra blasphematores & inimicos fidei Catholicæ devoverint. Consuevi, Beatissime Pater, ab annis etiam minus gravibus fidelia amicorum & necessariorum consilia, & quidem attentè, studiosè diligenter audire;

audire, idque pro privatis aut publicis negotijs: quod melius arbitratus sum eligere, deliberare, disponere, facere. Nunquam satis apud me probata est eorum conditio, qui cum apud eos summa imperij atque regiminis sit, regi malunt, quam regere. Existimatne tua clementia, apud me esse quenquam, qui in eum furorem vel dementiam vergeret: qui dignitatis meæ curam, qui salutis publicæ studium, qui felicitatis desiderium dissuadere auderet, aut me tantæ fortassis ignaviæ, vecordiæ, desidiæ, vt tam facilè in falsorum suasorum sententiam traherer? DEVS à me pius hanc mentis stupiditatem avertat.

Neque status etiam mei iacturam formido. Est mihi (vt tu dicis) vxor, virtute ac rerũ experiẽtia prædita: non minus dilecta, quam desiderata à populis. Est & Galeacius primogenitus meus iam grandis, & supra ætatem prudens. Sunt & Veneti non fædere solum mihi, sed amicitia singulari benevolentiaque coniuncti. Florentinos eo loco habeo, quo tu ipse dicis. A Christianissimo Francorum Rege in omnem casum, favorem rebus meis, auxilia, subsidia, præsidia præstolor. Cum cæteris verò finitimis nullæ mihi contentiones, nullæ simultates, nullæ inimicitiæ sunt. Et super omnia Dei mihi filium spero, pro cuius gloria & nomine pugnaturus sum, optimum defensorem. Itaque neque ætas, neque mollium deliciarum cupiditas, neque domi rerum mearum metus, neque pecuniarum defectus, quibus te inveniendis optimam operam navaturum existimo, à sanctissimo me desiderio tuo, atque ab instituto meo divertent. Vereor tamen Beatissime pater, ne circa duo nos brevitas temporis vrgeat, & quo ad tantum apparatum terra marique disponendum, quantus huic maximæ expeditionis moli necessarius est, parum ad ver vsque primum spacij datum esse existimem: & quod à plerisque malis pristinæ ęgritudinis reliquijs teneor: quæ nisi quotidie magno studio & diligentia curarentur, in maximum me periculum traherent. Instituerunt Medici, adhibito magni examinis Consilio, balneis illas curare atque consumere: polliceanturque illis ad salubrem & integram valetudinem restituere: quod si factum, vt spero, fuerit, aliaque (quod Deus avertat) legitima caussa non advenerit: institui, quantum superest mihi vitæ, pro defendenda Christianorum religione, pro fide Catholica amplianda, pro Dei Euangelio conservando, pro Mahometis idolatria ex sanctissimis Dei templis, iam non solum profanatis, sed adulteratis, pussundatis, dirutis expellenda deducere. Nam si Decius pater, & Decij filius, pro senatus populique sui victoria, si pleriq; alij Romani pro patria, si innumerabiles penè omnium ætatum, gentium, nationum heroes, pro mortali duntaxat gloria sese devoverunt: quid nobis faciendum, quibus cælestis gloria ac beatitudo æterna proponitur? Ibimus profectò in expeditionem hanc: & partem nostram, pro incorrupti-

bili,corruptibilem,pro cælesti terrestrem, pro æterna mortalem, pro perpetua caducam exponemus. Et quanquam pro tua singulari prudentia, magnaque rerum experientia,opportunè te desiderasse existimem,quæ ad hāc maximam expeditionem necessaria sunt: tua tamen singulari bonitate & clementia fretus,velut qui rei bellicę studiosissimus fui,dicam quod sentio. Primum quod in bellis suscipiendis considerandum est,& magno consilio explorandum,quanta sit inimicorum potentia:quantus & qualis exercitus: quæ sit eorum militandi disciplina atque industria: qui locorum situs:quibus vel se valeat exteris præsidijs auxilijsque tueri, vel impugnare hostem atque repellere. Dehinc ita se ad bellum parare, vt optima spes de victoria habeatur.Turcorum quidem potentiam adeo spernendam,vt quæ ad victoriam necessaria sunt,negligamus,non censeo: neque vt ab inferendo bello desistamus, timendam. Vidi,quid capitula isthinc ad me transmissa, dehinc alia eadem diligentius ac maiore studio à viris, vt par est credere, inimicarum virium & facultatum expertis, examinata atq; digesta ostendant. Trecenta millia militum Turcorum Imperatorem ducturum fore affirmant; plerosque deinde alios Mahometicæ sectæ reges, tum ob eorum perfidiam,tū quod sibi ac rebus suis, gentibus,populis,regnis timebunt, Turcorum ruinam desolationemque passuros non rectè existimans:atq; literæ tuæ eos populos inermes,effæminatos,imbelles esse respondēt:fateor quoque,Beatissime Pater maximam eorum partem huiusmodi esse. Verū in armis bellicisque expeditionibus(vti facilè meminisse possumus)multis ætatis nostræ annis,cū maxima strage Christianorum versati sunt: arma habent ad eminus cominusque pugnandum:pro eorum lege atque Imperatore,non modo parere imperio,sed mori quoque, docti atq; parati sunt: habent præterea & ad invadendum & ad fugiendum equos agiles, corporaq; eorum agilia. Adde etiam castris sexdecim, vt plures affirmant,pugnatorū millia;quos Zanectarios vocāt;robur firmamentūq; militiæ,phalangis instar:armis assuetos:rei bellicæ expertos:diversarū nationū diversarūq; gentiū mercede conductos. Huic sicut non timendo, ita non spernendo exercitui,quales pro adipiscenda victoria vires opponendæ sint:qualesq; exercitus conducendi:etsi cū Philippo,cæterisq; in tuis literis nominatis, satis erit gentium Italicarum:earum scilicet,quæ in hanc expeditionem ducētur, ad monstrū hoc virulentum & fætidū conculcandū:te non prævidisse modo,sed providisse certior sum.Novi.n.sicut acumē ingenij,ita & maximarū rerū experientiam,& singularē ac prope divinā sapientiā tuam. Itaq; aliarū te nationum Christianarū Principes potentatusq; ad supplendas exercitus tui vires,aut vocasse,aut vocaturū non dubito. Et quanquam commonitiones has præsumtione certè non carere,quod Minervam instrui velim, planè cognosco:fideliter tamen benignitati tuæ dictas,piè atq; humanè suscipias oro.

Si

Si igitur, vt soles cætera omnia, ita hæc quoque rectè instituisti: non modo Europa Mahometicam Idolatriam depellemus: verum Christiana signa in Asiam traducemus: Hierusalem Dei sacrarium recuperabimus: Iesu nomen fidemque Catholicam, sanctumque Euangelium, in ea loca restituemus: in quibus per Apostolos tradita olim atque propagata fuerat, desideratum triumphum Romam ad sedem tuam reportaturi. Capitolium quoque obliterata laurea barbaricis Orientalium populorum spolijs cingemus: quibus tandem Lateranam Petriq; Basilicam exornabimus. Verum quoniam huic expeditioni præsentiam tuam præstiturum affirmas: cogitanti mihi, atq; hoc ipsum accurate pensanti, quid vtilitatis ad hanc rem gerendam, quidue detrimenti ea ipsa afferre valeat: multis hinc atque inde argumentis & quidem firmissimis agitata, mens nequit non trahi in varias diversasque sententias. Hoc vnum quietem mihi ipsam speique optimæ plenam reddit, quod intelligam rem hanc à te maturè (vt eius mos exposcit) graviter, studiose, diligenter consideratam. Itaque quicquid à te excogitatum deliberatumve fuerit, id mihi non humano, sed divino consilio factum esse persuadebo. Datum Mediolani, VIII. Calend. Novembris. Anno. M. CCCC. LXVIII.

PIVS II. PAPA, BLANCÆ Mediolani Ducissa.

Virum tuum adversus impios Turcos arma sumere iubet DEVS: hoc enim ei scribimus: vide ne obstes. Periculosum est divinę voluntati resistere. Periclitatur Christiana religio: in foribus hostes assunt: propè ad radicem posita est securis: nisi vigilamus: nisi animo forti resistimus hosti: actum est de nomine Christiano. Spes magna salutis in tuo viro sita est, si sumpserit arma & scutum: ductoremque se Christianis præbuerit: liberabit Dominus in manu eius populum suum: & immanissimum draconem conteret. Quod si provinciam hanc recusaverit: nec divinę vocationi paruerit, cæteri quoq; se subtrahet: impedieturq; sua culpa Christianæ fidei expectata defensio, quod de sua magnanimitate haudquaquam putamus: cui magna semper & præclara cordi fuerunt. Te ipsam veremur: ne viri proposito adverseris: & ne retentes ire volentē: obijciasq; more mulierū mille pericula. Amantis est ab amato nō posse revelli: Cōcedimus ista coniugio, nec miramur acerbam tibi futuram eius absentiam: sic maritalis exposcit affectio: sed maior est Christi charitas. Si plus virum, quam Deum, diligis: non es Deo digna. In Euangelio hoc legisti: Deo nihil negari potest. Caue ne tui amoris caussa virum à Deo seiungas. Odisse hoc esset, non amare. Noli esse impedimento his, quæ divina Maiestas ordinat. Recordare, quot accepisti à DEO bona: nec velis ingrata videri, DEVS hunc tibi, quem

diligis, virum dedit: audebisne pro parvo tempore reposcenti negare? Concessum in multos annos, in paucos menses concedenti non permittes? Caue ne cælestem Maiestatem offendas, in cuius manu est filium tuum auferre, cum velit. Nihil ei negandum est, qui potest cogere. Sive veniat coniux tuus, vt ea faciat, qui iubetur, sive deleat peccata sua hoc itinere, & suæ saluti cõsulat: eris tu quoque meriti sui particeps, si pro servitio Dei, mariti absentiam æquo animo tuleris.

Propone tibi & coniugi moriendum esse aliquando: & quod ætate provecti ambo, diu simul in hoc seculo esse non possitis. Fugit vita mortalis, & quasi fumus cito evanescit: quærenda est altera, quæ neque molestias habet, neque finem. Illic thesaurizandum est: illuc aspirandum. Si virum tuum in provinciam sibi decretam iusseris ire, aut ire volentem non impediveris: & illi, & tibi optime consules: ambo post hanc vitam cum Christo regnabitis: alioquin & illi, & tibi timemus. Hortamur igitur, ne viam viri impedias: ne absentiam parvi temporis inuita sustineas. Redibit, ne dubita, cito ad te gloriosus: gaudebisque & tui, & sui caussa. Ambo in hoc opere cælestis vitæ præmia consequemini: & qui fuistis in mundo felices, in æterno eritis beati. Pius & misericors DEVS in animo tuo ponat, quæ suæ sunt beneplacita voluntati. Romæ.

MAHVMETES BEGVS, AMIRÆ SOLTANVS, OMNIVM MVNDI partium Orientis atq; Occidentis Dominus & Imperator, Scanderbego Albanorum & Epirotarum Principi.

NVllam puto, Scanderbege mi, arctiorem necessitudinem esse, nullam firmiorem amicitiam; quam quæ à longa consuetudine invicem & assiduo victu emanavit: præsertim si ea sit à puerili & tenella ętate inita; vt nobis vtrisque contigisse non ignoras, qui ambo à teneris (vt aiunt) vnguiculis, in regia patris mei, cum obses apud eum esses, diu vna vitam traduximus, incredibilique amore & benevolentia, vel omni temporis momento, tenebamur. Cum igitur, Scanderbege mi, hæc omnia & alia, quibus illa ætas nostra delectabatur, in memoriam revocem: præter hæc ego omnium memor, quæ tu pro imperij nostri, ac Ottomanicæ familiæ, & regni gloria amplitudineq; semper gesseris, non equidem non summopere te & amore & affectu quodam ardentissimo prosequi debeo. Testor enim DEOS, nihil mihi gratius, nihil in vita iucundius accidere posse: quam te apud me habere, tuoq; aliquãtulum frui conspectu. Nec de adventu ad me tuo quicquã pertimescas. Quod paulo ante milites mei in regnum tuum irruperint illudq; deprædati sint: iniussu id & extra imperiũ nostrũ fecere. Itaq; sicut debui maximè molestè tuli. Neq; displicuit nullatenus illos ab exercitu tuo cæsos & profligatos, scelerum suorũ pœnas soluisse: remque tibi, qui iustam fovebas caussam, ex animi sententia cessisse.

Verum

Verum his omissis, revocata in medium pristina amicitia & benevolentia nostra, facile in hanc sententiam sum adductus; vt invicem rem cõponamus, & perpetuo inter nos confœderemus; quo per vetus amicitia & necessitudo illa nostra, quæ propter diutinam vtriusque absentiam penè oblita, reviviscat, augeatur, confirmetur.

Si non iniquæ videntur omnino: hæ sint pacis nostræ conditiones (scio enim eius qui non petit esse, leges dicere pacis.) Primum est, quod à te petimus, vt exercitum nostrum per agrum & regnum tuum ad Venetorum vrbes infestandas & agrorum depopulationes liberè & impunè trãsire permittas: vt Iohannem filium tuum nobis in obsidem tradas) quem vt vnum semper ex filijs habebimus: Vt mercatores & negociatores nostri regnum tuum cum mercimonijs suis vbique permeent atque percurrant, & securi atque immunes negotiari valeant: Præterea vt tu ipse ad nos securus & intrepidus accedas. Quibus rebus si ad nutum nostrum obsecutus fueris: regia fide tibi regnoque tuo veram pacem perpetuamque tranquillitatem observare pollicemur; neminemque apud nos vel fideiussorẽ vel chariorem te vnquam futurum: regnumque tuum ab vllis vel meorum vel alijs hostilibus armis, pro viribus nostris, vexari nunquam permittemus. Quæ verò ex ore nuncij huius nostri & Oratoris Mustaphæ recognoveris, plenam his adhibeto fidem. Ex Constantinopoli Regia nostra. VI. Non. Maij. M CCCC LXI. à generatione Iesu.

ATHLETA CHRISTI GEORGIVS CASTRIOTVS, Albanorum Epirotarumque Princeps, Mahometi Turcarum principi,

REdditæ sunt nobis literæ tuæ, Princeps Illustrissime; quibus scribis, te maximo in me amore, miraque animi benevolentia affectum; quod testimonio antiquæ illius consuetudinis nostræ comprobari dicis; quæ lõgo inter nos vsu coalita, & radicitus nixa, & in naturam conversa, vim semper & robur obtinebit.

Verũ quia ꝓpter longam diutinamq; absentiam inter nos veluti consopitã à sumno excitare visum; vt quoddã pacis vinculũ & novã fœderis cõpositionẽ iniremus; cuius has cõditiones proposuisti: vt exercitus tuus libere per regnum meum iter ad Venetorum agrum depopulandum habeat: Cui quidem petitioni tuæ, Mahumetes Princeps, consentire me, neque ex æquitate foret, neque ex dignitate mea; cùm Veneti, & confœderati mihi, & necessitudinis vinculo valdè sint astricti. Illud verò quod Iohannem filium meum pro obside apud te habere desideras, quo pax inter nos firmior permaneret: facerem id fortasse, neque in invitus, Princeps Mahumetus si paternus pateretur affectus. Sed cum vnicus sit nobis & ætate tenellus; hunc à parentum abduci complexibus, cum muniri nostrisque moribus imbui

debeat,neque illi, neque nobis conducibile videri potest. De mercatoribus tuis,quod exigis à me,vt quacunque voluerint libere possint, & immunes per regnum meum negotiari. Istud ipsum & Duces & Præfecti mei omnes comprobant & admittunt: Egoque vnum maxime desidero, vt merces & negotia vtriusque nostrum libere possint hinc inde prouehi atq; expediri. Adhæc hortaris me summopere, vt adeam te;idque & intrepidus & securus: quo multo aspectu consuetudineque tam diutinæ absentiæ nostræ desiderium repleatur.Laudo in hoc, optime Princeps, ingenij tui bonitatem;laudo naturæ liberalitatem. Amplecterer itaque audacter consilium tuum;si id per negotia mea,& regni gubernationem, integrum nunc mihi esset.Sed quid faciam?Est (vt iam dixi)Iohannes filius paruulus admodum, & ad imperij gubernacula minime idoneus: Est gens mea (vt scis) otij impatiens,& populi feroces & indomiti: quos regere vel ipsi mihi perdifficile est omnino. Adibo tamen te, vt iubes, commodiori duntaxat veniendi tempore captato. Vale, meque ama. Ex castris nostris III. Cal. Iunias. M. CCCCLXI.

MAHVMETES BEGVS AMIRÆ SOLTANVS omnium mundi partium Imperator, Scanderbergo Albanorum Epirotarumq; Principi.

DEdisti Mustaphæ nuncio & oratori nostro literas tuas ad nos, quibus scribis,nullam ex pacis nostræ conditionibus, quas proposueramus tibi, præter vnicam tantum de mercatoribus & negotiatoribus placuisse;vt libere scilicet hinc inde & ex arbitrio merces ac negotia sua deuehere & expedire possent:Hacque tantum pacem polliceris mihi: idque ex voluntate dicis & mente tuorum esse. Amplector ipse voluntatem istam tuam.Excusationes cæteras æquo animo admisi. Polliceor itaque tibi, Scanderbege mi;in meque recipio omnia quæ petis: & menti tuæ tuorumque inhæreo: Pacem sanctam,inuiolabilem perpetuo tibi, (quoad nobis vita superit) seruaturum polliceor: ni prior tu rumpendæ violandæque causam præstiteris.Idcirco has nostras, quas Mustaphæ nuncio & oratori nostro ad te dedimus, signo meo Imperiali & consueto obsignauimus; quo pacem istam perpetuo duraturam confirmemus.Ea propter tu quoque(si placet)te subscribas: & sigillo tuo solito illas munias; quo mentem & voluntatem tuam similiter habeamus.Iubeas præterea, vt vbique per regnum tuum iussiones & edicta fiant: quod & ipsum per vniuersa imperij mei loca fieri præcipiam.Scias præterea me, quo amor iste in te meus clare omnibus innotescat, propria motum liberalitate, omnia quæ in Albania & Epiro à parente meo vi abstulisti, legitima tibi facere; vt ita illa possideas ac si tua tuorumq; semper fuissent.In te igitur tuosque omne ius omnemque potestatem, quæ mihi prius

hi prius erat transfero, vobisque trado, concedo atque confirmo; Teque deinceps in principem Albanorum Epirotarumque semper habeo, atque id ipsum appellabo. Nunquam in posterum (vt fide regia promisi tibi) armis te tuaque vexabo nisi tu causa extiteris. Itaque his sigillo tuo appositò eas Musthaphæ nostro haud dubiæ fidei nuncio ad nos perferendas dato: cui quicquid ipse retulerit, dixeritue, plenam inuiolabilemque fidem adhibeto. Vale, & in amore responde. Ex Constantinopoli Regia vrbe nostra. X. Cal. Iulias. à generatione IESV, M. CCCCLXI.

MAHVMETES AMIRÆ SOLTANVS ORIENTIS atque Occidentis Imperator Scanderbego Principi Albanorum & Epirotarum.

FIdem tuam & probitatem, Scanderbege Princeps nobilissime, semper admiratus sum. Propterea non plane credibile mihi fuit, te magnanimum & generosum principem fidem & pacem, quam mecum iam pridem inieras, tam facile & temere soluisse. Nam (vt audio) maxima manu fines meos transgressus; omnia igni ferroque deuastans; maximam inde tecum prædam pecorum abegisti; cuius quidem rei causam Venetos fuisse, mihi certum exploratumque est: quorum consilio & suasu ad hoc faciendum impulsus es.

Nam eorum ipsorum illecebris, calliditate & astu seductus mihi bellum intulisti: ruptor fœderis, violatorque iurisgentium factus. Idcirco exiguo aut nullo potius vitio tibi dandum censeo: caussam magis ignominiæ intuens, quam ignominiam ipsam; sed omnem in eos culpam reijcio, qui mihi semper hostes & infensi fuerunt. Sed quid hæc mihi, Scanderbege, qui tot & tanta possideo; adeone graui quadam iactura imperium nostrum afficere putasti? dum prædonis magis cuiusdam, quam hostis, more, in agris nostris depopulandis & abigendis pecoribus tam insolens es factus; quod ego tamen neque iniuriæ loco duco. Sed perge age, si ita æquum videtur tibi.

Pluris namque ipse facio amicitiam & beneuolentiam tuam; quam omnia, quæ mihi sunt chara: quod te (vt scis) semper vnice dilexi, & eximio quodam amore sum prosecutus. Nam quoties tenellam ætatem illam nostram & consuetudinem, dum vna in regia patris mei Adrianopoli commorabamus, in memoriam reuoco; non possum equidem non omne officij genus tibi debere. Propterea, Scanderbege mi, te etiam atque etiam rogo & hortor; vt priores pacis nostræ conditiones renouantes, eam iureiurando ex integro confirmemus.

Nam

Nam si illa prius juramento hinc inde vallata fuisset; nequaquam à Venetis te seduci aut circumveniri permisisses. Quamobrem opus est, vt nunc denuo fœdus inter nos & pacem iureiurando, sacris hinc inde adactis, perpetuò muniamus atque confirmemus. Quod si feceris, vt spero, & me audieris; procul dubio tu cum posteris tuis semper regnabis; & tua omnia tibi salva erunt: Sin secus, pœnitebit te (mihi crede) quàm ocyssimè: Nosti iam vires meas; quibus an possis resistere, tute consule. Non Reguli tui vicini, non Veneti seductores te poterunt à vi & furore meo eripere. Nonne Græcos ferè omnes exterminatos vides? Trapezuntium Imperatorem à nobis imperio deiectum? Rascianos principes & Triballos eversos: Illyricos prostratos? totiusq; Asiæ regna, aliosque Reges ac Principes perdomitos ac subiectos mihi? Sequere igitur, Scanderbege, consilium meum; promissis stato. Non enim falleris mehercule: Mustaphæ servo & nuncio nostro, qui ad te venit, de ijs mandavimus; cui indubitatam fidem adhibeto. Vale. Ex Constantinopoli vrbe nostra Regia. Nonis Maij, à generatione Iesu. M CCCC LXIII.

ATHLETA CHRISTI GEORGIVS CASTRIOTVS alias Scanderbegius Albanorum Epirotarumq; Princeps, Mahumeti Illustrissimo Turcorum principi.

ADmiraris, Mahumetes Princeps, quod milites mei, (vt inquis) contra fœdera, ruptis pacis nostræ conditionibus, ingressi fines tuos, maximam inde prædam abstulerunt. Cuius rei auctores Venetos asseris; quos hostes tibi acerrimos dicis; subdisque, quod ista parum offendunt te, tum principem potentissimum: tum quia propter maximam in me benevolentiam omnia æquo fers animo; & maximè quòd aliorum consilio seductus id ediderim, facili negotio omnia remittis mihi; dummodò fœdus, quod prius inter nos ictum fuerat, eisdem tecum conditionibus iuramento confirmem: impellisque ad id maximè, admones & hortaris; & vt consilium istud tuum amplectar, mihi & posteris meis mirum in modum profuturũ; nisi fortè, dum Venetis obsequi studeo, malim tuam indignationem subire. Adhæc, vt magis deterreas me, enumeras longo ordine gentes, populos, reges, Principes à te devictos & tibi subiectos. Sed quidnam novi (rogo te per Deum immortalem) quid tantum admiraris, Mahumetes princeps? Et illud primum, quod milites mei in agrum tuum fecerint, quod à tuis identidem militibus prius in rebus eorum commissum magnoperè (vt debuerant) dolebant, ac de me conquerebantur. Proinde si ipsi quoque militari quadam lascivia (vt tuus est dicendi mos) vlciscentes illatam, non nouam inferentes iniuriam prospexerint sibi: & damnum damno cõpensarint; nihil est quod admireris, aut me accuses. Cohibuissem ipse

(verum

(verum ingenuè fateor) homines, licet acerrime læsos: sedassem animum tantopere ad omne vltionis genus provocatum: si vel cuncta tu eis, quæ amiserant, reddenda curasses, Princeps vnus omnium opulentissimus & liberalissimus: vel hanc tuorum licentiam, quam lasciviæ velamento tegis (vix pueris dignas ambages) vt par erat, castigasses. Quamvis enim delicta vbique gravia existunt, in rebus tamen militaribus gravissima censeri debent.

Quid quæso? visne me istam tuorum lasciviam interpretari, tanta præsertim accepta iactura, quos & cohibere prius, & punire post factum potuisti? Accipe igitur, Mahumetes sapientissime, tu quoque verba isthæc nostra: quæ nobis hucusque pulcerrimè & dare & vendere consuevisti: dum semper fraudi excusationem & speciem aliquam iuris imponis. Illud tamen quod, dum me obtentu pristinæ consuetudinis & benevolentiæ nostræ excusas, in Venetos inveheris, iniuria mehercule facis. Non enim erant principes optimi, iustissimi, sanctissimi à te tanquam seductores calumniandi. Quid præterea opus Venetæ Reipublicæ Consilijs mecum agere, illecebris me allicere, vt tibi sim iratus; te vt hostem persequar: qui soli, soli inquam, quando ita res ferat, & apertè tecum possunt contendere, & facili negotio te superare. Nam quod suades mihi, vt eorum consuetudine abstineam, frustra agis, mi Princeps. Quis enim mortalium ita perditus est, ita suis ipsis invisus: qui non malit vel maximè errare cum senatu illo, quam tecum optimè sentire? Ego præsertim, qui & confœderatus illis iam pridem sum; & vnus omnium amicus: quod tu tamen (quæ tua est perfidia) nihil curasti: agrum eorum in Peloponneso, iruptis pacis fœderibus, quotidie infestando, ac diripiendo. Sic nec minæ tuæ hoc loco deterrebunt me, Ottomane Princeps: quas barbaro more effundis, in me ingeris, evomis: ni consilium tuum fuerim secutus: Nam & pati, quando ita res ferat, & facere fortia, Albanum est. Non timorem incuties mihi pusillo Regulo cum Venetis meis. Quis tantus (vt ipse te appellas) Orientis, Occidentis & omnium mundi partium Imperator? Risum profecto hoc loco excitasti mihi: Rident te alij quoque Christiani principes.

Quomodo ita impudenter, ne dicam imprudenter, totius orbis imperium falso vocabulo vsurpasti tibi? Quid in Maiore Asia possides? nihil certe: An omnia, quæ in minori Asia continentur, tua sunt? minime. In Europa quid habes, præter Thraciam Mysiam, partem Græciæ atque Peloponnesi, Mytilenem, & Tauricam regionem? Africam nunquam pes tuus calcavit. Hicne vniversi orbis est principatus? Sed finge, finge inquam, Mahumetes Princeps, omnia ab ipso vsque Oceano servire tibi: neque tamen idcirco insurgendum est adeo tibi, vt alios contemnas omnes.

Desine, desine gloriari: & disce iam (si potes) humanæ inconstantiæ singularе documentum. Nam vbi sunt Assyrij, qui orbis terrarum quandoq; imperium tenuerunt? Vbi Medi? Vbi Persæ? Vbi Græci? vbi denique Romani rerum Domini? Maior certè fuit Tambetlanus ille Scythiarum rex, terror (vt scribitur) gentium, quam tui: qui avum tuum Baiazetem illum, qui armis tot & tanta gesserat, cum ducentis millibus in finibus Armeniæ profligatum, & in fugam conversum, captum, vinctumque catenis, triumphantis more, ante currum suum traxit: in cuius exercitu duodecies centena millia hominum fuisse traduntur: Xerxe atque Dario maior: quorum exercitu maria constrata, siccata flumina prodiderunt antiqui. Exterminati tamen sunt omnes ab exterminatore gentium. Mahumet Princeps: digitus Dei omnes extinxit. Disce proinde te quoque hominem esse cognosce te: noli tantopere copiarum & exercituum multitudini confidere. Sæpe namque maiores exercitus minoribus cessisse testantur historiæ. Quare non immerito receptum est illud: Nec laudaveris ducis virtutem: nisi cum ductus fuerit ad triumphum. Deum quoque ipsum meliorem caussam fovere, an dubitandum videtur, Mahumet? Scis tamen tu bene, scis, ad totam imperij ius te quicquam præter Deum habere: omnia violenta esse: omnia perperam à te & iniustè possideri. Propterea non deest animus mihi, Ottomanne Imperator, tibi tanto rerum Domino venienti modo resistere: sed vel prior te intrepide & audacter in campum provocare: insignemq; de te (Deo propitio) & sperare, & referre victoriam. Sunt & nobis milites, qui & ipsi tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnę sciant. Quæ igitur de pace iterum firmanda agis mecũ? Frustra iam huiusmodi delinimentis me circumvenire quęris: ita est mihi & fides tua suspecta, & benevolentia vsquequaque invisa. Quippe cum ficte semper & dolose, maiorum tuorum mores secutus, quicquid agis, quicquid polliceris mihi, facis omnia: quo facilius evertas me regnoque exuas. Evasi tamen ipse huc vsque, Deo auctore, insidias tuas omnes, dolos, & fraudes omnes. Sed brevi, brevi, vt spero his omnibus finem dabis: cum non artes istæ, nec insidiæ vllæ leuabunt te: non Ottomannicum ingenium: non tumor iste barbarus proderit tibi. Neque tamen vnus ego in te hos animos gero: Longus post me ordo est Christianorum Principum. Ecce namque armatur in te, totisque viribus contendit, quicquid est vnquam Christiani nominis & spendoris. Coniurarunt in te, vna cum nostro summo Pontifice Pio, Reges & Duces omnes; & ad evertendum te regnoq; spoliandum iam iam aderunt. Quamobrẽ ego, obtentu pristinæ consuetudinis nostræ, quávis tu eam graviter læseris, penitusque violaveris: admonendum tamen de his te duxi, mi Princeps: quo diligentiori aliqua consultatione cogitatus omnes colligeres: tibique ac regno tuo consuleres. Vides impetus atque vires

res tantorum Principum: quas an sic facile possis evadere non satis scio. Poteris tamen, si me audies: poteris & imperium nomenque tuum ex magno maximum, ex felici felicissimum, ex celebri reddere efficereque celeberrimum, si perfidia ista, & Mahumetanæ sectæ erroribus depositis, ad Christi fidem & veritatem te convertere volueris, animæque tuæ tandem habere rationem: Neque tu quoque, qui altiori spiritu & ingenij magnitudine maiores tuos omnes longe antecellis, ceu hæreditario quodam iure, in errore & pertinacia ista te tuosque versari amplius patiaris, faciasq; iam sponte tua (vt sapientissimum Principem decet) quod es propediem necessitate facturus. Turpissimum habitum semper est, ex ore Imperatoris audire: *Non putaram.* Resipisce aliquando: tecum habita. En! offert materiam tibi Deus Opt. Max. quomodo & rerum tuarum statum omnem tranquillum reddas: & omnes te Reges & Imperatores nostri ament, venerentur, observent: neq; hac in re te regnandi cupido, ac bonorũ istorum, quæ possides, solicitudo excruciet.

Quicquid enim iniuste: quicquid illicite vsurpasti: omnia profecto Christiani Principes, velut propria & hæreditaria, licite & iuste te habere concedent, confirmabunt, sancient: eris verus princeps, legitimeque dominaberis: dummodo fidem hanc & verum Dei cultum amplectaris: quam vt primum senties, dolebis (per Deum immortalem) te non maturius cognovisse: dolebis amissi temporis dispendium: exterminabis vltro atque eliminabis, quicquid mendacij, quicquid fœderis apud vos reliquit spurcissimus pseudopropheta ille Mahumetes. Ex castris nostris. VII. KL. Iun. MCCCCLXIII.

PIVS II. EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, PAVLO Fulgosio Archiepiscopo Genuensi.

DVcatum patriæ tuæ ex libero civium decreto te assecutum scribis: eumque per nostram benedictionem fraternitati tuæ flagitas confirmari. Admirati sumus consilium tuum: qui eius civitatis temporale regimen acceperis: quæ super omnes Italos novitate gaudens, semper nutat: semper in motu est: nec vllum diu rectorem ducemque patitur: & tu anno superiore, quanta sit tuorum civium constantia, in te ipso didicisti: qui cũ ab eis ad hunc ipsum principatum fuisses assumptus: non tam cito magistratus inivisti, quam deponere coactus fuisti. Nobis quidem eodem fere tempore, & assumptio tua, & depositio nunciata fuit: quid nunc futurum sit, ignoramus. Huc accedit rei novitas. Nã etsi potest idẽ homo & Ducis & Archiepiscopi personam gerere: sanguinis modo absit effusio: nescimus tamẽ, an Archiepiscop' Genuensis ante te alius Ducatũ inierit: maximã esse caussã oportet, quæ hanc novitatem induxerit. Forsitan experti Genuenses iniusta esse regimina secularia: atq; inde tot mutationes oriri putantes: ad te cõ-

fugerunt: & fastidio quodam secularis imperij, experiri aliquando sacerdotale decreverunt: si forsitan iustius ac mitius gubernentur. Magna est tibi benè agendi necessitas imposita: nisi vim prohibueris: nisi paci & otio consulueris: nisi modum pravis cupidinibus imposueris: nisi teipsum & tuos stipatores in honestatis frena redegeris: non stabit potestas tua: brevi dominaberis: cito regnum amittes: eijcieris non sine tuo & Sacerdotalis eminentiæ, magno dedecore: si tamen eijciaris, & non peiora tibi accidant: ut sunt ante oculos exempla domestica: vide quid agas. Non enim eadem est sacerdotalis & imperij norma: paternam & omni clementia plenam esse Pontificalem administrationem oportet; non tyrannicam. Multa in seculari Principe ferunt homines: quę abhorrent in Ecclesiastico. Quæ in laico pusilla & levia æstimantur delicta: in clerico maxima & gravissima iudicantur. Sacerdotes, quorum vita velut speculum est inferioribus, non solum à malis operibus abstinere: sed omnia declinare convenit: quæ quoquomodo speciem mali præ se ferunt. Vide quem gradum ascenderis. Si potis es piè ac iustè imperare: ac non subditos solum, sed teipsum coërcere: si vales virtute irrumpere iniquitatem: si pro communi utilitate quærenda, non pro tua libidine explenda Ducatum accepisti: si ad tuendam religionem Christianam adversus impios Turcas animum geris: & in eam rem corpus tuum devovere proponis: & iniuriam proximo non quæris: confidentes rite & secundum leges tuæ civitatis Principatum hunc ad te delatum esse: & quod, ut polliceris, utiliter populo tuo præeris: illum tibi, & tuis civibus, & universę Reipub. Christianæ in nomine Sanctę Trinitatis benedicimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Prid. KL. Febr. M. CCCCXIII. Pontificatus nostri anno V.

PIVS II. PONT. MAX. CHRISTOPHORO MAVRO.
Duci Veneto.

QVod iampridem occulto concepimus animo: nunc in lucem venit, & omnibus patet. Æstate proxima bellum contra Turcas movebimus: & Apostolicus sacer senatus comes erit: nec deerunt robustæ militũ cohortes quæ nobis oratione pugnantibus, ferro dimicent. Decretum nostrum publice lectum est XI. KL. Novembris. Quod promisimus, favente Deo Opt. Max. perficiemus: neque irrita fient verba nostra: quantum pro viribus poterimus, tanto fortiores ad bellum proficiscemur. Comitabitur & nos dilectus filius Philippus, Burgundiæ Dux, & claro Francorum sanguine natus: quem validas & veteranas legiones adducturum non dubitamus. De huius exercitu maximè speramus: nec minus de classe vestra, quam paulo ante Peloponnesum navigare iussistis: cuius egregia facinora, & priscis æquanda factis, multa cũ gloria referuntur: hanc perseveraturam in bello contra Turcas nobiscum & cum Philippo Duce confidimus, nam & ita cum Oratore vestro statutum est. Nec

Nec dubium nos habet, quin totis viribus vestris bello huic faveatis: quod pro amplitudine fidei nostræ suscipitur. Hæc quamvis magna sint; felicissimos cursus mihi tamen polliceri videbuntur, ac certiora & maiora victoriæ signa: si tu bello interfueris, teque nobis adiunges Reipub. ductor & Princeps. Multum in bellicis rebus auctoritas valet, & splendor, & gloria Principum: terrentque sæpe magnis nominibus hostes: & fama magis, quàm re ipsa, dissipantur. Multum (crede nobis) terroris affert inimicis nostris magni Ducis Burgundiæ auctoritas: nos quoque per Apostolicæ sedis dignitatem nonnihil metum hostilem augebimus. Quòd si tu pariter accesseris buccinatoria navi, & ducalibus sublimis insignibus: non Græcia solum, sed Asia & omnis terrebitur Oriens. Nec dubites, quin simul iuncti pro sancto Evangelio, proque gloria nostri Dei, auctore ipso, res clarissimas gerere valeamus. Hortamur itaque te præstantem virum: vt nostro in hac parte desiderio morem geras. Te igitur accingas huic bello: atque ita res tuas disponas: vt nobis mare ingredientibus apud Anconam adsis copias iuncturus. Erit hoc rei Venetæ maximè gloriosum: & Christianæ Reipub. maximè salutare: tu vero beatæ vitæ præmio donaberis. Scimus apud Venetos non esse novum, vrbis Principem classem ascendere, ac bellum gerere. Quod si vnquam licuit, nunc inprimis decet: cum pro religione dimicamus: & cum Christi Salvatoris nostri causa bellum geritur. Veni igitur fili: neque labore graveris: quem nos sponte etiam subimus. Neque senem te dixeris, tanquam per ætatem debeas excusari. Philippus quoque senex est: & longioris, quam tu, viæ incommodo properat: & nos senectus invasit annos duos de sexaginta natos: accedunt morbi, qui nos dies & noctes torquent: nec tamen propterea laborem detrectamus. Noli tanquam senem aut imbecillum huic tam sancto & iusto bello te subtrahere. Consilium tuum & auctoritatem quærimus : non lacertorum robur, aut corporis vires. Quod Philippus bello præstabit, hoc abs te petimus. Cura, vt venias. Tres erimus bello senes: ternario numero inprimis Deus Opt. Max. gaudet: Triadem nostram ipsa cælestis Trias adiuuabit: & coram nobis hostium cohortes conteret. Veni igitur, ac mecum bene spera. Romæ apud S. Petrum IIX. XL. IXBR. Anno Incar. Domini 1463. Pontificatus nostri, anno sexto.

Franciscus Dux.

DVCES MEDIOLANI FERDI-nando Regi Aragonum.

SI iusto animo fortunam tuam metitus fuisses, Rex Ferdinande: ad quietem potius, quam ad arma, consilium deduxisses. Verum & si bellandi cupiditas præualuit, saltem iustam causam sequi debebas: & in aliud tempus differre:

differre: ne de vindicandi animi libidine, dum Italas opes inter se confi-ctari facis, Turcus, qui legationibus muneribusque solicitatus; ingenti pene exercitu in Epeiro consedit; veluti hanc contentionem speculaturus; omnes de Italiæ possessione mox deturbet. Ex eo enim fit, vt tibi ac cæteris periculum pares ingenti dolore tuorum: quibus publica pax & gloria tua semper cordi fuerunt. Verum hac communi temporum atrocitate, priuatam ad expostulandum tecum causam habemus: vt à quo, si quando aliquid grauius incidisset, plurimum præsidij exspectabamus: ab eo nunc, rupto fœdere, & aspernato omni affinitatis iure, lacessimur. In animum siquidem nostrum descendere nunquam potuisset: vt tu, quem loco parentis coluimus, nocere nobis sustinuisses. Atque cum iam diu multa de te deferrentur; moniti, vt rebus Ianuensibus caueremus: irritos habuimus omnes nuncios tanquam falsos & inanes: confirmati ab Oratore tuo, te in fide permansurum: quia nulla illata tibi prius iniuria: nihil ex te metuendum conijciebamus. Sed hæc opinio nos fefellit. Nam Prosper Adurnus, Præses nostrorum Ianuensium, studio tuo modo rebellauit: misisti ei Prospero subsidium triremes tuas, addita pecunia. Ardet itaque nunc ea ciuitas intestina discordia per te conflata: & tu auctor huius mali: ex tua Neapoli quasi alienum incendium exportare credis. Quod te compulerit, nihil est: nisi quod in periculo suo Florentinos socios nostros iuuamus. Quanquam ijs ipsis ex fœdere mutuo tu quoque auxilia debes: & si à nobis minus recte fieri opinaris, minus recte sentis: quoniam perire potius, quam fidem fallere, ducimus. Si vero ob periculum nostrum efficere credis: vt subsidia nostra ab Hetruria retrahamus: eodem volueris errore. Nam de superûm auxilijs non dubitamus: quibus hanc iniuriam tuam propulsemus: & socios nostros non deseramus. Quod etiamsi in contrarium cederet in populos nostros; quam Florentinorum ruinam fortiori animo laturi simus: tamen interest inter nos, & fidem tuam: qui vltimo capessis arma in eos, qui operibus suis te iuuerunt: & pro iusta causa stare semper consueuit Deus. Ille nouit Alphonso Regi patri tuo, per Philippum Mariam proauum nostrum, inopi & captiuo, libertatem & regnum fuisse restitutum. Ille idem Deus scit, clementia primum sua, deinde Francisci Sfortiæ aui & soceri nostri beneficio te regnare. Hæc tibi obliterari non debebant: Quæ si auditu molesta sunt: accepta quidem fuerunt iucundissima. At meritorum omnium oblitus, cum pupillo & viduæ arma infers: non multum studes gloriæ tuæ: quæ apud omnes nationes interitura est, nisi serues fidem. Neque satis fortunam agnoscis: cuius est, in eodem vestigio nunquam stare. Itaque nisi fallimur, non multo post sese aliorsum conuertet. De beneficijs quidem tecum certare cupiebamus animo liberali: vt, si quando ita occasio tulisset; non exigere auita & vetera auxilia,

| Mariam Mariæ florentinæ l. v.

auxilia, sed præstare noua parati essemus, ad confirmandum regnum liberis tuis; contra accidit, quam volebamus. Parem itaque dolorem tibi reddere compellimur: quoad mouere lacertos poterimus. Mortalis es: & superfuturos, nisi casus abrumpas, æstimatione iusta nos putare debes. Quid opum relinquas hæredi tuo in regno, quos prouocasti, iam nunc potes cogitare.

At hoc fortasse tanquam alienum iudicabis: quasi longam vitam tibi fata spoponderint. Illud certe præsens referre debes: quod rupto per te fœdere, nobis omnia licebunt: quæ te viuentem perturbare possunt: neque te fore quietum spera, vbi nos perturbasti. Perturbasti enim inclytos quoque Venetos & Florentinos: quibus cum nos fœdus habemus: neque in quenquam nostrûm insurgere potes; quin simul omnes prouoces: quibus, si recte vires tuas consideras, par neque opibus eris, neque iustitia: spiritus fortasse vero æquales geres: vtinam eos non temere sumpseris! Sed nos eo propensius ad dirumpenda hæc tua studia cogimur: quod arma nostra laus secutura est pro iniuria propulsata: bellum vero à te susceptum sequetur infamia: quia fœdus & affinitatē vltro sis aduersatus. Itaq; nisi cōsiliū mutes, cogita nihil nos prætermissuros: vt incendiū nostrū mox regnū quoq; tuū apprehendat: cum, etiamsi id nolumus, metuere debeas, quos terrores iustos sis Ianuæ habiturus: si quando eam vrbē retinere nō possumus. Sed omnia potius experturi sumus: vt vel integram ciuitatem recipiamus: quod vbi non licebit: eam diu conflictatam ad postremum ijs tradituri sumus, quos semper offensissimos habuisti: vt discas, nullius grauiores esse morsus, quam pereuntium: & tandem suscepti consilij te quoq; pœniteat. Vale. Mediolani XI. Iulij. MCDLXXVIII.

EBERHARDVS DE BREYDENBACH EQVES ET CANOnicus, Berchtholdo Archiepiscopo Moguntino, Sacri Rom. Imperij Electori.

Fidelis quidem & præpotens vrbs Nigroponti, Christiani nominis titulo fideque insignis, olim Venetianæ ditioni & potestati subiecta: Ciuitas profecto admodum populosa & negotiosa; sed & rerum omnium opulentissima, ciuibusque optimis refertissima: Terra præterea & mari munitissima: portu præsertim tutissimo de mari gaudens: denique muris ac mœnibus & turribus firmissimis vndique cincta & circumsepta: ita vt prorsus inexpugnabilis omnium opinione crederetur. Quæ etiam ciuitas Chalcidis alio nomine cognominata dignoscitur, sita in Insula Eubœa: Insula (inquam) in frumento, vino & oleo, cunctisque terrę nascentib. maiorē in modū fertilis ac fœcunda: potissimū autem aptis pro nauiū galearumque fabri-

fabrica lignis abundans: Hoc modo sub Turcorum venit potestatem & direptionem. capta & expugnata anno Domin. incarnationis MCDLXXI. vertente. Clarissimis quidem Venetis semper olim Turcos oppidò fuisse infestos, tum ob eorum in Christum fidem sinceram; tum etiam ob maximam eorum, cui inuidebant, potentiam: nemo qui grauissima inter eos hinc inde habita dissidia, & bella vltro citroque fortiter gesta, & guerrarum strepitus ac cruentos sæpe congressus legit vel audit, dubitare potest. Hinc itaque & hostili animo in ipsos Venetos Turcus infestus: & nobilis atque prædiuitis Chalcidis Eubœæ situs opportunitate, opibus quoque & celebritatis gloria allectus: anno, quo supra, Omarium Begum Principem Bassam cognominatum, Tyrannus ipse Mahometh cum exercitu copioso nauali & terrestri ad expugnandum ciuitatem ipsam Nigroponti destinauit. Tandem post longam vrbis obsidionem ipsemet cum exercitu longe copiosiore ex Byzantio admouit: ponteque facto ex nauibus trans aquam profundam satis & latam, quæ vrbem præterfluit, militem in littus traiecit: & ex ea parte, qua non putabatur, muros aggreditur, machinis quatit, oppugnat, iactuque plurimorum lapidum sphæricorum diruere festinat. Nam & proditor quidam omnium nequissimus & pessimus, machinarum scilicet omnium, quæ in ciuitate, in mœnibus, in turribus atque propugnaculis erant, magister & præfectus, Thomas Liburni cognominatus, signum Turcis dedit, vt in loco suæ stationis muros, vbi debiliores erant, bombardarum ictibus verberarent, facile ruituros: quod & factum est. Sicque proditione res acta est: non æquo Marte pugnatum. Interea classis Venetiana in subsidium & tutelam vrbis & ciuium obsessorum missa, negligentius agens, vagabatur per mare, capiendis Ianuensium & Cataloniorum aliorumque Christianorum nauibus intenta magis: quibus ad suam firmandam classem ratibus adiunctis, Venetianus Capitaneus, cuius rei gratia aduenerat, non satis probe est prosecutus. Cum enim præpotentem nimis iam haberet classem; quæ rem conficere prospere Deo propitio potuisset: ad Insulam quidem Eubœæ properauit: seque ostendens maximam obsessis iam vndique ciuinus ex vrbe spectantibus lætitiam suo aduentu infudit: ita vt manus vtrasq; præ animi & cordis exultatione & iucunditate expanderent in cælum: sed frustrauit eos iniquus ille Capitaneus spe sua; opinione fefellit: turbauit exitu infausto: tristitia affecit ingenti: haud dubie quin longe maiori, quã ante gaudio lætificaret. Nam cum tanta classe fretus esset: ipse formidolosus inter inimicorum morsus, mortisque horrendæ cruciatus, ciues fideles dereliquit: & præclaræ vrbis miserandam direptionem prospiciens, nihil prorsus effecit: neque propius voluit applicare; cum tamen omnes pontes, quos Turci fecerãt, facile sua classe armatissima irrumpere potuisset. Cumque omnes singularum patroni nauium per classem passim cõtra eum concla-

clama-

clamarent, graviterque omnino suam negligentiam ferrent: crebrò ingeminantes, cur trepidaret: cur non accederet: cur de industria tam insignem, tam fidelem, tam opulentam civitatem, perditum iri permitteret: ille surda hæc aure hauriens, in eodem loco immobilis inutilisque permansit.

Itaque dum in mari nihil agitur, & classis in vanum perseverat fixa, atque defensionis signum obsessis civibus nullum prorsus datur: quin potius tutationis fiducia sub oculis eripitur: Turcorum princeps animosior agens, res bellicas faventibus fatis prospere votiveque prosequitur: ad mœnia properat intrepidus: assultum parat: ordinat conflictum: & quod in talibus conducit plurimum, accitis militibus, accurata eos oratione corroborat: præmia etiam magna pollicens his, qui primi muros conscenderent, atque ita vniversorum animos adeo reddidit in prælium avidos & accensos: vt per duos dies noctesque continuas cum ingenti fragore, summo studio vique maxima vrbem oppugnarent. Quanquam enim à civibus deintus machinis gravissimè vulnerarentur: repellerenturq; eminus nonnunquam omnium generum missilibus: suorum tamen inter necem & stragem innumeram, plurimamque mortis imaginem, tanto cum impetu & conatu Turci irruptos occuparunt muros: imo tanta alacritate alter alteri succedere contendebat: vt eorum nemō pedem referre, stare nemo conspectus sit: cuncti vero animosissimè assilire visi, quanquam frequentissime interirent. Bis eos muros avolasse ferunt: bis inde fuisse præcipitatos nostrorum audacia: tandem verò vbi nostri auxilio classis, quam sub oculis cernebant, penitus destituti, longaque fatigati oppugnatione, & exhausti laboribus, rem eam perditam vident, fracti animis in vrbis forum pariter conveniunt; & confortati divi sacramenti Eucharistiæ vel conspectione, vel sumptione, irrumpentibus iam Turcis, manus enixissime cum eis conserunt: trucidant, quotquot possunt, necique dant innumeros, & Orcis infernalibus immittunt: donec tandem & ipsi pro Christi fide constantissime agonisantes, mortem subeunt haud dubie beatam. Et quod fœmineo sexui maximopere gloriosum extitit: hanc inter cædem miserabilem, plurimas egregia forma fideque fœminas, tum nuptas, tum virgines armis indutas ferunt, more Amazonum, pugnavisse: sicque inter reliqua mortuorum cadavera fuisse repertas: quasi non antea voluissent occumbere: quam perfidissimorum Turcorum suis tenellis animis effudissent cruorem: quo vel sic inimicum nobis sanguinem libassent: & præstitissent obsequium DEO in ipso suæ mortis articulo. Verum viri illi civesque clarissimi proditorem illum nefarium Liburnum superius memoratum superstitem habere nolentes, dignis prius supplicijs pro reatu de eo sumptis, crudeliter interemerunt.

Hæc inter agendum vrbis duntaxat Prætor Paulus Ericus in arcem confugit: adhærentibus sibi paucis quibusdam primoribus civitatis, paucis aliunde evadentibus. Capta itaque Turcus vrbe, victoriaque adepta, omnes Italici generis puberes palis acutissimis fecit affigi: alios saxis elisit: alios sectos per medium divisit: alios varijs pœnis atque horrendis affectos cruciatibus, ad supera (haud dubium) transmisit: Græcanam tamen gentem sub hasta vendi præcepit. Vnde factum est, vt omnes Chalcidis plateæ & viæ cruore occisorum replerentur. Interea Prætoris filia vnica, virgo castissima, puella decora facie & venusto aspectu, Turco ob suam pulchritudinem ingentem adducta, cum turpitudini & fœdæ commixtioni consentire prorsus renueret, protinus iugulata: proque fide castitatis martyrio proculdubio coronata: sponso virginum Christo sponsa ipsa in ævum est in cœlis coniuncta. Porro qui in arce erant, data sibi à Turco fide de vita servanda, pactoque firmato, quod salvi evaderent, si arcem libere in deditionem traderent: exinde confidenter exierunt. Sed mox egressos ipse fœdifragus Tyrannus arce potitus, omnes ad vnum iussit extemplò trucidari.

Hunc in modum profecto miserandum civitate perdita, occisis incolis, cæde expleta; Venetorum Capitaneus, classe soluta, qua omnium arbitratu, sola omnipotentis voluntate excepta, facile tantam defensasset vrbem, si vir fidus & fortis fuisset, cum parvo honore, fructu nullo, opprobrio sempiterno, rebus infectis, imo turpissime neglectis, Venetias remeavit: moxque apud Senatum accusatus, defensionis quidem locum accepit: sed post multas in vanum adductas falsas rationes & excusationes in peccatis, tandem non satis dignam pro meritis accepit vltionem: exilio relegatus, atque perpetuo profligatus cum omnibus suis à civitate Venetiarum in oppidum, cui nomen est Vtinum. Ita res hæc finem accepit tristem prorsus & infelicem. Anno MCDLXXI.

BASSA PALÆOLOGVS PRÆFECTVS CLASSIS TVRCICÆ,
Petro EQV. Rhodiorum Principi & Magistro.

EQuidem non parum ac imo potius vehementer admiror quod tam præpotenti Turcorum Principi resistere audeatis: qui duo imperia, tot regna, tot vrbes, tot provincias, totque potentatus subiugavit. Proinde suadeo & hortor, vt vestræ vrbi & agris indoleatis: nec tam crudele facinus perpetrare, nec vrbem diripi, & ad iugulationem viros ac mulieres ad raptum & ignominiam duci patiamini. Bellum an pax præstet, dicite. Polliceor quippe brevi forma & compendio pacem, si libuerit me præstiturum, & vos possessores vrbis & agros permansuros: sin vero minus,

sane

sane propediem vrbem in nostram potestatem transituram, meque eam direptioni præbituram, & omne genus crudelitatis executurum denuncio. Ex castris.

FERDINANDVS REX ARAGONVM, PROSPERO ADVRNO *Gubernatori Ianuens. & XII. Capitaneis populi.*

Magnifici viri, amici charissimi: Legimus literas vestras per Magnificum Simonetum de Belprato nobis redditas: ipsumque Belpratum audivimus: quem cum intra quatriduum remittere ad vos constituerimus: pluribus nunc non vtimur. Mittimus in præsentia hanc triremem cum ijs rebus: quas, cum isthuc appulerit, intelligetis: & ipsum Belpratum cum ijs rebus mittemus: vt facile singularem nostram in vos voluntatem & præcipium studium perspiciatis: intelligatisque, quam nobis gratissima acciderint: quæ publicæ vtilitatis civitatis istius gratia à vobis acta sunt: & quãtopere eas ob res nos vobis debere iudicemus, Satisfaciemus cumulatissimè spei opinioniq; vestræ. Interim hortamur, vt concordiæ accuratissime studeatis: efficiatisque, vt omnes in officio ac fide permaneant. De ipso Belprando fuerunt, quæ scripsistis, nobis iucundissima: & si se, qualem scribitis, gesserit, fecit quod maxime cupiebamus: quodque à nobis ei iniunctum fuerat. Bene valete. Datæ in castello Novo Neapolis. XXVII. Augusti. MCDLXXIIX.

DVX MEDIOLANI IANVENsibus.

Dilectissimi nostri, Longiori sane epistola nos vti oporteret ad ea verissimis rationibus refellenda quæ literis nostris respondentes in medium adducitis: quibus ostendere nitimini, suscepta merito à vobis arma fuisse. Verum omissis refutandi argumenta rationibus, consilia convertimus ad id, quod vobis salubrius: istique inclytæ civitati conducturum magis, & quietem restituturum putamus: ac finem facturum gravissimis laboribus, impensis ac damnis, quibus oppressi estis. De quo certe ob summam in vos charitatem nostram plurimum auguramur. Vt igitur rei vestræ bene consuli possit: & ad eas conditiones deveniri: quibus quiescere tandem, & eiusmodi incommodis ac imminentibus nobis periculis liberari valeatis: videtur nobis, vosque iterum atque iterum hortamur, vt pro rebus componendis ad nos Oratores destinetis: credatis quoque nos, vt pacis studiosos, ac optimo erga vos animo esse interventuros: facturosque, quæ non ingrata vobis fore non ambigimus.

Nec vos vnquam eosdem Legatos misisse pœnitebit: quibus per has nostras liberum & amplum, saluum conductum esse volumus, tuto & impunè accedendi, morandi, & redeundi. Ex Mediolano, XIV. Septembr. MDCLXXIIX.

PETRVS DANBVSSON MAGISTER, ET MILITES RHODII, Præfecto classis Turcicæ.

NOn possumus satis admirari, vos qui cũ classe & impetuosis machinis castorumq; copijs vrbem nostram circumdatis, nos ad pacem hortari: cum id à militantium officio alienum videatur. Verum figmento agere videmini, vt animos tentetis. Sciatis, nec pollicitationes, nec munera vestra nos movere, aut ad aliquid indecens conficiendum allicere posse. Nec profectò minæ vestræ nos terrent. Sumus enim vnanimes: nec discrimen est inter Græcum & Latinum. Christum namque colimus vna fide & firma mente: pro quo pugnare parati sumus: & mortem potius oppetere, quam Mahometo coniungi. Facessant ergo promissa & minæ, quibus nos movere conamini. Cum vestra classis domesticos lares reviserit, si oratores de pace tractaturos mittetis, hac de re consultabimus: iam verò, dum armati & exercitu præcincti estis, officium bellantium perficite: & vobis Deo propitio constanti animo respondebimus. Cognoscetis quoque vos non cum Asiaticis & effœminatis viris contendere: sed cum Catholicis fortissimis manus conserere. Ex vrbe, IV. KL. Iunij, Anno Christi MCDLXXX.

EBERHARDVS DE BREITENBACH CANONICVS ET EQVES Bertholdo Archiepiscopo Moguntino.

POstquam Rhodus insula divino potius miraculo, quam alias, muris illius pro magna parte solo æquatis: à Turcorum obsidione & furore fuit liberata atque ita ipsi Turci spe sua & conatu impijssimo frustrati fuerunt: indigne admodum opprobrium illud ferentes, atque plurimis, quas eis Christianorum negligentia paravit, elati victorijs, tantis stragibus & calamitatum generibus, quibus regna, provincias, civitates & loca plurima Christianorum hactenus affecere, nequaquam contenti: neque sparsi sanguinis fideliũ multitudine satiati: arbitrabãtur facile se ignominiã, quam à Rhodijs accepissent, in cęteros Christicolas posse relinquere. Proinde classẽ denuo instaurant validissimam, & copiosum exercitũ parant: partes Italiæ, maximè mari Adriatico vicinas, terra marique invadere, & in diram miserabilemque redigere servitutem animose contendunt.

Nimirum cum tempore Turcorum Tyrannus crudelissimus, auro & hominibus abundans, & dominandi mira cupiditate inflammatus, optimè intelligeret, gentes sibi vicinas bellis frequentibus per

per eum attritas arma sumere non audere: & solos fideles Vngaros muri loco ad Orientem remansisse, in Italos tunc sæuire decreuit. Ergo post cæteras cruentissimas iacturas & strages, quas Christianis populis ipsi nefandissimi hostes fidei Turci in alijs terris intulerant, post horrendam tot ciuitatum euersionem, tam miserabile excidium tot lamentabiles atque vniuerso pene orbi terrarum notissimos conatus, Rhodiæque vrbis postremo cum ingenti multitudine gentium terra marique obsidionem, in Apuliam regni Siciliæ prouinciam cum magno exercitu & classe ex Velona applicuere. Est in ea prouincia ciuitas quædam Archiepiscopali sede insignis, atque populorum multitudine & rerum omnium opulentia præstans, Hydruntum appellata: vnius noctis nauigatione à prædicta ciuitate Velona, quæ sub Turcorum potestate est, distans. Hanc ipsi immanissimi Turci post aliquot dierum obsidionem, & murorum eiusdem machinarum impetu euersionem, tandem (heu rem miseram & afflictam) cruentissimo bello vi & armis ceperunt, expugnauerunt, spoliauerunt: viris partim cæsis, partim acerbissimæ seruitutis iugo subiectis; matronis stupratis: virginibus raptis: Sanctimonialibus fœdatis: adolescentibus immaniter trucidatis: senibus & hominum & equorum calcibus conculcatis: Sacerdotibus etiam intra Ecclesiam pro defensione fidei humiles preces instãter Altissimo porrigentibus, ferarum more iugulatis; & ipso Archiepiscopo Hydruntino sene & annoso, Pontificalibus induto, sacratissimam crucem manibus tremulis tenente, serra lignea crudeliter in frusta diuiso: prægnantibus quoque cum semiuiuis corpusculis inaudita crudelitate dilaniatis atque dilaceratis: demum ciuitatem ipsam Hydruntinam in suam ditionem redactam, hominibus & numero copioso, muris, victualibus, vallo, machinis, armis, & alijs ad defensionem necessarijs, mirum in modum muniuerunt.

FERDINANDVS REX ARAGONVM, RAPHAELI FREGOSIO Duci ac Capitaneis Ianuensib.

REuerendissime & Illustrissime Dux, ac Magnifici viri, amici charissimi: Vnum restabat, quo effrenis Venetorum dominandi libido palam omnibus foret: vt scilicet etiam nobis & regno nostro bellum inferrent. Sed id nunc contingit, & omnibus in aperto factum est: Siquidem (vt arbitramur vos non ignorare) Veneti ipsi irati, regni nostri prouinciam, quæ Hydruntina vocatur, nuper irrumpentes classe; quam ingentem compararunt; Callipolim, quæ ad mare sita est, & nonnulla alia illius prouinciæ oppida, per vim occuparunt. Quod hoc tempore illis non difficile fuit: in ea regione præsertim, quæ per superioris Turcici belli incommoda incolis pene denudata est: multaque alia in nos & statum nostrum ijdem hostes nostri omni eorum scelere moliuntur: vt omnibus iam constet, eos de subigenda

sibi Italiæ iam diu cogitationem iniјsse. Huic tam effrenatæ cupiditati obuiam esse eundum existimantes: robustissimam equitum & peditum manum illuc quamprimum misimus: aliosque pene in horas singulas mittimus. Classem quoque validam & numerosam instruximus: quæ propediem educetur: eo consilio: vt pro libertate Italiæ hostium conatus infringamus & occupata recuperemus: & illatas nobis ac fœderatis nostris iniurias pro viribus vlciscamur. Quod, bene iuuante, qui iustis causis deesse non solet, ita breui futurum confidimus: vt hostes ad pœnitentiam sui consilij compelli posse non dubitemus. Memores autem antiquæ vestræ beneuolentiæ, in mandatis dedimus classis ipsius præfecto: vt nauibus vestris, si in quas inciderit, nihil incommodi, nihilque molestiæ inferat: Sed Ianuenses omnes omnibus amicitiæ officijs prosequatur. Quæ omnia vobis veteribus amicis nostris inprimis significanda putauimus: vt, quando nemini dubium est, Venetos de occupanda Italia cogitare; ad idque omnes conatus suos dirigere: expergiscamini iam tandem: & vna nobiscum in eos, qui vobis, quantum per ipsos licuit, semper sunt aduersati, conspiretis tanquam in communes omnium Italorum hostes: nec prætermittatis occasionem hanc, quæ vobis diuinitus oblata est: quæ si neglecta fuerit; dolebimus non parum Italiæ conditionem. Sed nobis nullo pacto deerimus: qui speramus per hanc terrestrem & maritimam expeditionem rebus nostris & fœderatorum nostrorum ac vestris optime iri consultum. Datæ in Castello nouo Neapolis Calen. Iunij. MCDXXCIV.

LEONARDVS MARVFFVS CHII PRÆFEctus, Ianuensibus.

VIrtus nobilissimi viri Guilielmi Henrici Arielensis nobis merito suadet: vt de illa pertinentes eius laudes in obscuro esse non patiamur. Nam à teneris annis bonis artibus & literarum studijs institutus est: deinde crescente ætate, rei militari operam dedit: in eaq; cum laude ætatem exercuit. Nam cum ex vltimis Galliarum finibus, vbi in præclara Holandiæ vrbe generosis parentibus ortus est, in Italiam proficisceretur: eo animo, vt in Asiam traijceret; sepulchrumq; Saluatoris nostri, & loca sancta inuiseret: non deterritus ab eo proposito, quod in itinere à latronibus non leui pecunia spoliatus est: primum à magnifico officio S. Georgij Genuensi conductus stipendio, in eo bello, quod Genuenses contra Florentinos gessere: deinde cum à Turcis nobis vrbique periculum instare videretur: cum delecta virorum manu, cui ille præpositus erat, ab inclyta Repub. Genuensi ad nos missus est. Postmodum adueniente Regis Turcorum classe; cum factum propositum persequi in animo haberet: pugnandi contra Turcas ardore permotus, profectionem suam remoratus est: donec omnis periculi

inspicio

suspicio abesset. Postea vero quam eam classis in Syriam nauigauit: tuti ab hoste facultatem abeundi Guilielmo concessimus: & ita concessimus; vt, si licuisset, talem virum retinere apud nos maluissemus. Ita à nobis ille cum honore & gratia dimissus est: ad loca sancta profecturus: & honestissimum desiderium suum impleturus. De his omnibus igitur conuenire nobis existimamus palam notitiam facere: vt huius virtus non ignoretur: & cæteros eius exemplo ad virtutem accendamus. E Chio. XVII. Iunij. MCDXXCVII.

BARTHOLOMÆVS PICENVS DE MONTE ARduo, Ferdinando Regi Aragoniæ & vtriusq; Siciliæ.

DVm Demetrius Cydonius, vir vtriusque linguæ peritissimus, è Latino in Græcum, opus Richardi Confutationem Legis latæ Saracenis à maledicto Mahumeto continens transtulisset: non abs re mihi visum est, serenissime atque Catholice Rex, illud rursus è Græco in Latinum conuertere: eumque Maiestati tuæ nominatim dedicare: qui solus inter Christianorum reges hac nostra tempestate Mahometanam sectam maximis cladibus affecisti. Nam non minimam tibi laudem comparasti: cum Bœticam prouinciam, quæ per octingentos annos Mahumetanam fidem coluerat, in Christianorum potestatem redegisti: & nunc vniuersam Africam capere intendas: quam facile assequi poteris: cum gentes illæ hoc tempore imbelles sint: quoniam cum Christianis diu pugnare non consueuere. Difficilius.n. tibi fuit Bœticam prouinciam expugnare: quam totam Africam in potestatem tuam asserere. Erant enim in Bœtica milites illi strenuissimi, cum Hispano milite bellare semper assueti. At hi contra homines ignaui: ventri & ocio & dediti: cum Christiano nomine præliari iamdiu desueti: nec sunt in bello exercitati; quales olim duce Hannibale Hispaniam & Italiam occuparunt: nec eam copiam armorum habent; quam Hispanus miles, in bello strenuissimus & exercitatissimus habere dicitur: nec ibi magnæ de sunt opes, quibus militum animi spe prædæ maximæ accenduntur. Omnia tibi prospere succedent, si reliquias incæpti belli prosequaris. Nec est quod verear, bellum in Hispania tibi à quibusdam moueri: præsertim hoc tempore, nouo tibi ob affinitatem cum Christianissimo Francorum rege fœdere inito. Prosequere igitur inchoatum bellum: & omnes vires tuas in Africam transfer: quam facile Deo Duce subiugabis: & ea quidem subacta & in Christianorum potestatem redacta; facile deinde Hierosolymam recuperabis: quæ tam ampla, tam fertilis, tam sancta terra Sultano Babylonis hoc tempore paret. Qui autem nunc eam patriam tutantur; Serui sunt vænales, ex diuersis prouincijs empti: & siquidem ad summam XX. millium non ascendunt: qui cum coacti essent à Christiana religione discedere:

Maho-

Mahometanam nunc sectam sequuntur. Reliqui vero Saraceni, qui eis subijciuntur, quam molles sint & effæminati; ex hoc coniectare possumus: quod his nunquam licet arma tractare; nec equum ascendere: nec virile quicquam facere: sed vel agriculturam, vel mercaturam, vel alia huiusmodi vilia exercent. Quod cum ita sit; nemini dubium est, quin facilime ex ea expeditione victoriam cum maximo triumpho sis reportaturus: & ciuitatem sanctam Hierosolymam in qua Saluator noster Dominus Iesus Christus Euangelium prædicauit, & nouum testamentum nobis constituit, ab immanissima Mahumetanorum superstitione liberaturus. Quæ quam vana sit, quam friuola, quam nullius momenti: in præsentiarum nihil attinet dicere: quoniam eam tunc primum intelliges, cum hanc Richardi confutationem diligenter lectitaueris, Vale.

ZIZIMVS BAIAZETI FRATRI.

NOn fidei, non gentis odio, sed tua iniuria subactus, ad Christiani nominis viros confugio: ex his eos maxime aditurus: qui omnium maxime Othomanico nomini infesti sunt. Vnam spem in tantis malis mecum fero: vel vt ipse tu iniuriæ auctor, vel vt filij tui quandoque præsentis adversus me impietatis debitas pœnas exsoluas. Anno Christi, MCDLXXXI.

ANGELVS POLITIANVS IOVIANO PONTANO.

ETsi magnum te dolorem Ferdinandi regis interitu cepisse non dubito: propterea quod in illo & auctoritas & sapientia tanta fuit: quantam vix in rege vnquam alio meminimus: tamen cum mecum ipse considero, quis ei regi Rex succedat: pene esse nefas arbitror; vel te, vel quenquam ex ijs, qui rebus vestris fauent; quorum de numero nos quoque sumus: maiore aliquo in luctu mœstitiaque versari. Nam cum vobis regni hæres (quod felix faustumque sit) Alfonsus alter, maximus natu filius obtigerit: cuius excellens ingenium, singularis virtus, incredibilis sapientia bello & pace claruit: ingrati profecto fuerimus: si non quantum relictum, sed quantum sit adeptum, respexerimus: præsertim cum subsidijs tot tantisque regnum fulciatur. Dux enim suffectus Calabris Ferdinandus alter, Alfonsi filius: quem & ipsum nobis fama refert omnibus corporis animique dotibus excellere: Sicut multis magnisque rebus non dubium iam regiæ cuiusdam indolis specimen dederit. Accedit eo Fridericus, magna prudentia; magna dexteritate: magno vsu rerum: sed maiore in Regem fratrem beneuolentia, fide, pietate. Mitto necessitudines alias, opes, exercitus, duces, socios, studia, popularium præsidia, munimenta, propugnacula: quæ nullis pene humanis viribus labefactari posse videantur. Opem vero diuinam quis,

rogo,

rogo, vel ſperare, vel polliceri ſibi magis poteſt: quam qui Turcos impios ferro igneque perſequens; non tam ab oppido Hydrunte quam (vt mihi videtur) ab Roma ipſa, quam primum petebant, atque adeo à ſanctiſſimis illis altaribus exſtulerit? Quapropter tametſi magna omnino facta eſt iactura, Ferdinandi obitu: tamen quoniam vigiliam quaſi ſuam filio tradidit: Regemque pro ſe, quem potiſſimum voluit, reliquit in omni genere laudis excellentem: non debetis vllo pacto, mi Pontane, quicunque inter officia Regis eſtis, mœrore vos dedere: ſed animo præſenti (quod equidem te facere arbitror) præſto eſſe: diligentiamque omnem veſtram videlicet ad eum quantum quidem fieri poteſt, cura labore moleſtiaque leuandum conferre. Te vero etiam ſeorſum gratias agere Deo maximo conuenit: quod eum, quem in hanc ſpem à tenero educaſti; quem diſciplinis ornaſti: quem præceptis inſtituiſti; Regem iam vides, atque ita regem: non modo vt regno pulcherrimo iſto quidem atque opulentiſſimo, ſed vt etiam orbis terrarum imperio digniſſimus habeatur. Hæc ego, vt ad te ſcriberem, præcipuus quidam meus erga te Principesque, tuos amor impulit: ſed & multum quoque adhortatus eſt alumnus hic meus, idemque patronus, noſtræque Reipublicæ columen, Petrus Medices, excellenti iuuenis & animo, & ingenio: quo nihil fieri poteſt, mi Pontane, tui amantius. Nam Regi ipſi tuo, cui ſeſe idem totum penituſque tradiderit, nihil attinet ſcribere; præſertim ad te, cui nota ſunt omnia: Sed tamen ita de illo ſemper & honorifice loquitur, & amanter: vt cæteris pene nihil reliqui faciat. Atque hæc hactenus. Quod autem ſuperioribus diebus excuſaſti diligenter occupationes tuas: propterea quód epiſtolæ cuidam noſtræ non reſponderas: nimis officioſus homo es, vt video; nimis humanus. Me enim, quãuis omnino equidem literas tuas gratiſſimas haberem, nihil delectare poteſt: quod cum tua vlla moleſtia tribuatur. Tantum illud ignoſcas velim: quod, dum ſtudio in te meo & amori obſequor, non ſum veritus, ſemel iterumque tuis occupationibus obſtrepere. Licet autem per me tibi dummodo amare non deſinas, non ſolum non reſpondere ad literas meas: ſed ne legere eas quidem, ſi ita ſit commodum, Vale.

CHAM ERCOLTHAY PRINCEPS TARTArorum, Ludouico Regi Francorum.

PEr potentiam Dei excelſi, miſſi à rege terræ Cham verba Ercalthay, Regi magno, prouinciarum multarum propugnatori ſtrenuo, orbis gladio, Chriſtianitatis victori, religionis Apoſtolicæ defenſori, Legis Euangelicæ filio, Regi Francorum. Augeat Deus dominium ſuum: & conſeruet ei regnum ſuum annis plurimis; & impleat voluntates ſuas in lege, & in mundo nunc & in futurum, per veritatem diuinæ conductricis homi-

num,& omnium Prophetarum & Apostolorum, Amen. Centum millia salutum & benedictionum. Ex hoc rogo, aut accipiat salutationes istas, & sint grandes apud ipsum. Faciat autem Deus, vt videam hunc regem magnificum qui applicuit. Creator autem excelsus faciat occursum vestrum in charitate: & facere faciat, vt congregemur in vnum. Post hanc autem salutationem nouerit, quod in hac epistola non est intentio nostra: nisi vtilitas Christianitatis,& corroboratio manus Regum Christianorum, Domino concedente. Et peto à Deo, vt det victoriam exercitibus regum Christianitatis, & triumphet eos de aduersarijs suis, contemnentibus crucem. Ex parte autem Regis sublimis sublimet eum Deus videlicet de præsentia Kyokay.

Venimus cum potestate & mandato; vt omnes Christiani sint liberi à seruitute, & tributo,& angaria & pedagijs, & consimilibus; & sint in honore & reuerentia: & nullus tangat possessiones eorum; & Ecclesiæ destructæ reædificentur; & pulsentur tabulæ; & non audeat aliquis prohibere; vt orent corde quieto & libenti pro regno vestro. Ista autem hora adhuc venimus pro vtilitate Christianorum & custodia, dante Deo excelso. Misimus autem huc per fidelem nostrum virum venerabilem Sabeldini Dauid, & per Marcum; vt annuncient bonos rumores; & quæ sunt circa nos, dicent ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum, & credat eis & in literis suis: Rex terræ augeatur. Magnificentia sua ita præcipit, quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum & Græcum & Armenium, Nestorinum & Iacobinum, & omnes qui adorent crucem: Omnes enim sint vnum apud nos. Et sic petimus vt rex magnificus non diuidat inter ipsos; sed sit eius pietas super omnes Christianos, duretque eius pietas & clementia. Datum in fine Mercharram: Et erit bonum concedente Domino excelso.

BAIOTHNOY PRINCEPS TARTARO-rum Papæ Romano.

DIspositione diuina ipsius Cham transmissum Baiothnoy verbum. Papa, ita scias: Tui nuncij venerunt: & tuas literas ad nos detulerunt. Tui nuncij magna verba dixerunt: Nescimus, vtrum iniunxeris eis ita loqui, aut à semetipsis dixerint. Et in literis taliter scripseras: Homines multos occiditis, interimitis & perditis. Præceptum Dei stabile,& statutum eius qui totius faciem orbis continet, ad nos sic est: Quicunque statutum audierint, super propriam terram, aquam & patrimonium sedeant: & ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant. Quicunque autem præceptum & statutum non audierint; sed aliter fecerint; illi deleantur & perdantur.

dantur. Nunc super hoc istud statutum & præceptum ad vos transmisimus. Si vultis super terram nostram, aquam & patrimonium sedere: oportet, vt tu, Papa, ipse in propria persona ad nos venias: & ad eum, qui faciem totius terræ continet, non audieris: illud nos nescimus: Deus scit. Oportet, vt, antequam venias, nuncios præmittas: & nobis significes: Si autem non venis; Si velis nobiscum componere, aut inimicus esse: & responsionem præcepti cito ad nos transmittas. Istud præceptum per manus Aybeg & Sargis misimus; mense Iulio, XX. die Lunationis in territorio Sitiens castri scripsimus.

CHAM BAIOTHNOY PRINCIPI.

PEr præceptum Dei viui, Chingischam filius Dei dulcis & venerabilis dicit: quia Deus excelsus super omnia, ipse Deus immortalis, & super terram Chingischam solus Dominus; Volumus istud ad audientiam omnium in omnem locum peruenire; prouincijs nobis obedientibus, & prouincijs nobis rebellantibus. Oportet igitur ô Baiothnoy, vt excites eos, ijsque notifices: quia hoc est mandatum Dei viui & immortalis. Incessanter quoque innotescas eis super hoc petitionem tuam: & innotescas in omni loco hoc meum mandatum: vbicunque nuncius poterit deuenire. Et quicunque contradixerit tibi, venabitur, & terra ipsius vastabitur. Et certifico te, quod quicunque non audierit hoc meum mandatum, erit surdus: & quicunque viderit hoc meum mandatum, & non fecerit secundum istud meum iudicium, cognoscens pacem, & non fecerit eam, erit claudus.

Hæc mea ordinatio veniat ad notitiam cuiuslibet ignorantis & scientis. Quicunque ergo audierit & obseruare neglexerit; destruetur, perdetur & morietur. Manifestes igitur istud ô Baiothnoy: & quicunque voluerit vtilitatem domus suæ, & prosecutus istud fuerit, & voluerit nobis seruire; is saluabitur & honorabitur: & quicunque audire istud contradixerit: secundum voluntatem tuam faciens, eos corripere studeas.

BOHVSLAVS HASISTEINIVS LOBCOVItius Baro, Ioanni Slechtæ, Regni Boemiæ Secretario.

BInas, postquam è Pannonia recessi, abs te literas accepi: quarum alteris iampridē respondi: alteris nunc respōdebo. Cum.n. humanissimus sis; minime mirū est te humanissime scribere: & imitari bonū illū patrēfamilias:

 qui

qui de bono corde profert ea quæ bona sunt. Gratum id mihi est maiorem in modum: non quod amor; sed quia abs te summo viro amor: meque propterea felicem arbitror: neque pigebit tecum beneuolentia certare: quando in hoc certamine non solum vicisse, sed etiam contendisse decorũ est. Quæ de Turcorum terra mariq; conatu scribis: ea iampridem ex quorundam familiarium meorum literis cognoui: sed neq; scio quid dicam: animus certe nihil boni ominari potest. Vellem autem, vt Principes nostri tandem expergiscantur: & positis seditionibus, voluptatibusq; domesticis, si nõ abiectis, saltem intermissis, communem hostem communibus viribus propulsent. Vereor enim ne hæc eorum negligentia, ne dicam ignauia, in summã Christianæ religionis perniciem aliquando erumpat. Nam si Corcyra hostes potientur: Adriatici sinus fauces perpetuo nostris negotiatoribus occludentur: & superbissimo Tyranno per omnia maria volitare licebit: neq; solum nauigatio, vt tu scribis, parũ nobis libera erit: Sed Apulia, Calabria, & omnis illa Italiæ ora, quam veteres Magnam Græciam vocabant, in summo discrimine constituetur. Equidem etsi semper fui ocij & pacis cupidior, atq; studiosior, quam belli: has tamen simulatas hostium inducias minime probo: & apertum bellum, quam dubiam pacem, atq; ex barbara fide pendentem, & tutius, & rei Christianæ vtilius arbitror. Neq; tu præter officium feceris: si hæc regijs auribus assidue inculcabis. Vale. XIV. Septemb. MCDXC.

EIDEM.

Literas tuas iampridem magno exspectatas desiderio tandem accepi: mirificeq; his delectatus sum. Continebãt enim pleraq; & iucunda, & memoratu digna: quæq; scire operæ precium esset. Feci autem huius voluptatis meæ multos participes: qui velut ingenio suo omnia accipiunt: ita varie affecti sunt. Cupiunt quidem omnes Regem & Rempublicam saluam esse: sed tamen hanc mansuetudinem nulla prorsus seueritate temperãtam, in populo tam feroci atq; indomito parum probant: & nihil aliud, quam nutrimentum quoddam popularis insolẽtiæ atq; temeritatis esse contendunt. Quod si Boiemia etiam Pannoniorum exempla secuta, tumultuari cœperit: vix putant futuros, quorum ope dignitatem Reipub. commode tueri possimus. De Turcis quoque diuersa sentiunt. Sunt enim qui ea, quæ scribis, in pectus admittunt: & pestem tantam, antequam in viscera nostra altius serpat, totis viribus arcendam censent: alij autem præludium id esse cuiusdam Tragœdiæ arbitrantur: quæ rursus ad aurum à Prouincialibus eliciendum fingitur. Quid plura? Quot capita sunt, tot sententiæ: vt interdum vix Democritus ad ridendum sufficeret. Quod valetudo nr̃a tibi curæ est, lætor. Facis enim ea, quæ tuis conueniunt moribus: & nostra amicitia digna sunt. Ego vero valeo; & literis, quantum per rem familiarem licet, incumbo. Publica enim vix attingo: id quam recte

à me

recte à me fiat, nescio: magnos tamen instituti mei auctores habeo: qui ad Rempub. malis consuetudinibus depravatam prudenti minime accedendum existimant. Quod si item omnia tua fortunata sunt, magnopere gaudeo. Meretur enim id non solum virtus tua, & totius vitæ integritas: sed humanitas quoque & benevolentia: qua me, dum Budæ essem, excepisti: cui ego quoniam nulla ex parte refero gratiam, vehementer angor. Cæterum tuum est, metiri me affectu: & imitari Socratem, qui Æschinis animum pluris, quam aliorum munera existimavit. Si quid tamen in nobis curæ, laboris, industriæque est: ea omnia tibi quam fidentissime polliceri potes. Rem literariam vt cures, maiorem in modum rogo. In hoc enim diverticulo inprimis mens mea conquiescit: & libris, quam gemmis abundare, non tantum vtilius, sed etiam honestius arbitror: neque vllas impensas pertimescere velim, sicubi quid saltem nostris studijs dignum sese obtulerit. Regia Bibliotheca mihi Latinum codicem debet: hanc quoque provinciam, quando iam semel frontem perfricui, tibi committo. Quod si Græcum quippiam, situ pulvereque fortassis hoc tempore squallens, in vsum nostrum erui poterit: & sublimi feriam sidera vertice: & me ex culice elephantem factum putabo. Vale, optime mi Slechta: & quoties occupationes tuæ patientur, ad me de rebus Pannonicis scribe. Apud nos constans fama est, Turcas in Dalmatiam & agrum Iaderæ longe lateque populari: eam irruptionem ingentem Venetæ Reipub. terrorem attulisse. Iterum vale. Prid. KL. Sextil. MCDXDVIII.

EIDEM.

Erexisti me, Slechta suavissime, in spem nonnullorum voluminum: ea à te hactenus frustra expectavi, neq; tamen id tibi tribuo, sed occupationibus tuis: quibus dum implicitus es, ad nostratia hæc semper declinare vix fortasse potes: neque etiam æquum esset, te à negocijs Reipub. abduci: & literariæ voluptati meæ morem gerere. Cæterum nisi aliquando provinciam, non tam à me iniunctam, quam à te sponte susceptam, diligenter obiveris: putabo Ioannem Slechtam priscam erga Bohuslaum benevolentiam exuisse, aut saltem remisisse.

Tumultus Italiæ, & Insubriū clades apud vos vulgatas arbitror: ego certe his ita afficior, vt vel vno exemplo edoctus mihi videar: quantum terrenę felicitati confidendum sit: neque tamen Gallus præsenti fortuna contentus est: sed Flaminiæ, Æmiliæ, quin imo toti Italiæ imminet: Regemque Apuliæ eo (vt fama est) redegit, vt tributum pendat. Veneti etsi imperium suum maximis classibus exercitibusque munierunt: vix tamen Turcarum vires toleraturi putantur: nisi nostri quoque Reges potentissimum hostem bello implicuerint: Creta Cyprusque in tanto quanto nunquam antea, periculo sunt. Vale. Pragæ. XV. Iulij.

MORBASANVS HABERY IESSI CVM FRATRIBVS SVIS COrals Iusbaschi, Imperatoris Orchami coltaleralespugiles in partibus Archera, Pio Papæ II. Magno Sacerdoti Rom. iuxta merita dilecto.

NVper auribus nostris intonuit: quod in partibus Italiæ ad preces populi Venetorum in Basilicis vestris publicè fecisses divulgari: quod quicunque contra nos nostrosque arma sumpserit, suorum in hoc seculo remissionem peccatorum, eisque beatam vitam promittitis in futurum: Cuius rei veritatem oculata fide perspeximus per adventum quorundam peditum Cruciferorum: qui nuper in Venetorum navigio transfretarunt. Propter quod admirari cogimur vehementer: quia dato, quod à summo Tonante vobis data sit potestas etiam absolvendi animas, ac ligandi: tamen ad hoc procedere maturius deberetis: neque Christianos, maxime Italicos, cruce signatos super nos inducere: cum, secundum quod patres nostri ante dixerunt nobis, populus noster Turcarum innocens fuerit mortis & iniuriæ Christi vestri: & cum terræ ac loca, vbi vestra sanctuaria sunt, minime per nos possideantur: Imo populum Iudæorum semper exosum habuimus habemusq; :quoniã (vt Annalibus & Chronicis nostris ipsi audivimus) proditorie & per invidiam eũdem Christum vestrũ Prophetam Hierosolymis traditum Præsidi Romano, in crucis patibulo mori fecerunt: Ac insuper miramur maximo cum dolore nostro: quod surgant Italici contra nos: cum latens amor nos ad eos amandos alliciat: eo quod ipsi & parentes eorum priscis illis temporibus à Troianorum sanguine oriundi sunt.

Scimus enim Antenorum & Æneam, vel de Priami sanguine genitos, vel Troianos saltem, aut Teucros in quorum locum nos etiam ducti sumus: & imperium in partibus Europæ tenemus: & iuxta promissa, quæ à dijs vestris patres nostri habere noscuntur, Troiam magnam instaurare intendimus: & vlcisci sanguinem Nestoris, ac Ilij ruinam, nobis Græcorum imperium subiugando, pro iniurijs Deæ nostræ Palladi factis eosdem punire in transgressorum hæredes: insuper & intendimus Cretam aliasque maritimas insulas nostro vindicare imperio. Idcirco prudentiam vestram attente requirimus & rogamus: quatenus diplomatibus vestris per Italiam missis, ad instantiam Venetorum, silentium imponatis: non provocantes contra nos amplius sub pietatis specie populum Christianum: cum erga vos & ipsum religionis causa nullum bellum geramus.

Cum enim nihil nobis referat, si ipsum Christum colitis: quia & nos ipsum credidimus Prophetam: neque nos ex lege ipsius, prout audivimus,

divimus, poteſtis ad credulitatem compellere. Si autem lis aliqua vel diſcordia orta eſt inter nos & populum Venetorum: hoc ideo accidit, quia ipſi indebite per vim, & nullo iuſtitiæ colore muniti, ſub Cæſaris nomine, vel alterius monarchæ, ſua ſuperbia ac temeritate iam quaſdam inſulas maritimas & alia loca ſuo imperio ſubiugarunt: quod diutius perpeti non poſſumus: cum futurum tempus noſtræ repromiſſionis inſtet: propter quæ & alia poteſtis merito ab inceptis deſiſtere: & inprimis cum audiverimus ipſum populum Venetorum fore alienum à vita, & moribus Romanorum: quia nec ſecum legibus viuunt: nec moribus convertuntur: ſed ſe ſolos æſtimant cunctis circumſtantibus populis meliores: quorum inſaniam ſuperbiamq;, deorum noſtrorum, & ſummi Iovis auxilio, ad extremum deducemus.

Alioquin ſi veſtra prudentia non deſiſtat ab inceptis: ampliare curabimus vires noſtras ſuper eo divini Imperatoris Orgami auxilio, & aliorum Orientalium regum ac Principum: qui ſimulant ſe hodie dormire: quorum muniti præſidio trahemus à finibus terræ armatorum acies copioſas: per quas non ſolum contra pedites veſtros Cruciferos reſiſtemus: verum etiam ſi contra nos Italicam, Germanicam, & Gallicam militiam provocetes, vos omnes hoſtiliter reprimere intendemus: ac demum favente Mercurio, per mare Ponticum & Dalmatiam cum innumerabili noſtro navigio, Euri flatibus perducti, perrumpere: & Septentrionalem plagam, præſertim Croaciam & Dalmaciam, viſitare contendemus. Datum Anno Mahometi D C X L V. in introitu menſis Calcubij.

PIVS EPISCOPVS SERVORVM DEI, ILLVSTRI MAHOMETE, Princips Turcorum, Timorem diuini numinis, & amorem.

SCripturi ad te aliqua pro tua ſalute & gloria, proque communi multarum gentium conſolatione & pace: hortamur, vt benigne audias noſtra: nec prius damnes, quam iudices: nec prius iudices quam ſingula diligenter intelligas. Accipe, quæ ſcribimus, in bonam partem: & vſque ad finem patienter audi. Si bona ſunt, quæ ſuademus, amplectere: ſi mala, reſpue, & in ignem mitte. Neque idcirco Epiſtolam reijcias, quia Chriſtiani hominis eſt, & eius Chriſtiani, qui cæteris præeſt. Non enim te odio perſequimur: neque tuo inſidiamur capiti: quamvis noſtræ religionis hoſtis exiſtas: & armis Chriſtianam vrgeas plebem: Operibus tuis, non tibi, ſumus infenſi: diligimus, iubente Domino, inimicos noſtros; & pro perſecutoribus noſtris oramus, Sapientibus & inſipientibus debitores ſumus: & omnes cupimus fieri ſalvos, Græcos, Latinos,

Latinos, Iudæos, Saracenos: & omnibus his bona optamus: sed scimus vera bona neminem assequi posse, qui extra Evangelium degit, & à Christo Domino nostro alienus est.

Noli autem aures claudere, aut oculos avertere, cum CHRIstum nominamus: quem Mahometica lex, in qua natus es, & virum sanctum, & Prophetam magnum, & virginis filium, & miraculis clarum dicit. Multa tibi per eum & maxima bona advenient: si ei credideris, & eius sacris initiari volueris. Horresces hæc, cum principium accipies: sed audienda est tota lex: deinde iudicium promendum. Audi, quo tendimus. Multa tibi & tuis progenitoribus cum Christianis bella fuerunt: multus sanguis effusus est: multæ vrbes deletæ: sacræ ædes incensæ: raptæ virgines: violatæ matronæ: vastati agri: scelera multa perpetrata sunt, quæcunque in mentem venire possunt: dum Turcus & Christianus, vter imperet, gladio contendit. Tibi, vt fama & opera ipsa loquuntur, ingenus desiderium est, Christianos sub iugum mittere: & imperium Latini nominis obtinere.

Et sunt fortasse, qui facile hoc suadent, & omnia tuis armis pervia dicunt: alij tuas vires amplificantes, Christianos attenuant: alij in divisionibus & odijs, quæ gentem nostram excedunt, spem collocant, haud difficile existimantes eos vinci ab exteris posse, qui domi dissident. Nos non ita ignarum te credimus nostrarum rerum: quin scias, quanta sit Christianæ gentis potentia: quam valida Hispania; quam bellicosa Gallia: quam populosa Germania, quam fortis Britannia: quam audax Polonia: quam strenua Vngaria: quam dives & animosa & bellicarum perita rerum Italia. Sola Vngaria diu progenitores tuos, & teipsum fatigavit. Octuagesimum iam annũ adversus Vngaros Turcorum signa feruntur: & adhuc circa Savũ ac Danubium hærent: vna te gens tuasque vires agitat: quid facias, si tibi cum Italis aut Gallis aut Germanis res fuerit, amplissimis & robustissimis populis? fortasse est, qui dicat Iustinianum Imperatorem Constantinopoli sedentem, misso in Italiam Belisario, cum parva manu militum perditam Romam & reliqua loca vsque ad Alpes recuperasse: nec te Iustiniano minorem esse! Cave, ne te fallant adulatores, domestica regum & assidua pestis: facilem Principes magna de se loquentibus aurem præstant, atque idcirco sæpe decipiuntur: rarus est, qui non se vero maiorem credat. Iustinianus vniversæ Græciæ, & Illyrici, & Asiæ, & Libyæ dominus erat: & Italiam non acquisivit, sed recens perditam recuperavit: & à Gothis, gente barbara, non ab Italis abstulit: Nondum amor imperij in mentibus Italis refriguerat: neq; vllus erat, qui barbaricum iugum æquo animo ferret: cuncti arma pro imperio & pro patria magnis animis susceperunt: nec tam Belisarius Italis libertatem restituit: quam Itali suum decus vindicarunt. Tui

proge-

progenitores nunquam aut possederunt Italiam, aut viderunt: nec tibi in ea vllum ius est. Quod si pergas Italiam invadere, senties tibi cum viris bellum esse. Fatemur, res claras tui maiores gesserunt, nec tua minora sunt opera, qui Constantinopolim expugnasti, & Peram è regione, Ianuensium coloniam, & Peloponnesum magna ex parte in deditionem accepisti: & in Rascia ac VValachia non parum agri adeptus es: & sæpe tuos hostes fudisti: & hoc anno Synopen vetustam vrbem Metes, Eupatoris patriam, & eius Tyrannum cepisti: & Trapezunte direpta incolas eius & Imperatorem in captivitatem abduxisti: & Ioannem Cossanum prælio congredi ausum superasti. Magna hæc tibi videntur: nec nos parva dicimus. At Iulius Cæsar cum de victoria Pontica triumpharet, in curru, quo vehebatur, hæc verba iussit inscribi: VENI, VIDI, VICI: imbelles eas gentes & parvi momenti existimans quas Pompeius paulo ante domuerat, & tu hac ætate superasti. Alia est Italorum natura: aliæ vires: alia ingenia: alij animi. Nesciunt subesse, qui soliti sunt præesse: & nunc tota Italia armata est, equis & hominibus plena: nec pecunia caret, quæ nexus belli dicitur. Non pugnabis contra fœminas, aut Italiam, aut Vngariam, aut aliam in Occidente provinciam ingressus: ferro hic res geritur, non Asiaticis sudibus: chalibæus thorax pectora tegit: equi simul & homines tecti pugnant: ordines servant: nec vano metu pavent: fortior sit necesse est, & manu promptior, & animo præstantior, qui eos loco depellat. Nec Christiana dissidia desiderio tuo conducere putes, aut in his confidas: vnientur Christiani omnes; si quando te audiant interiora Christianitatis accedere: nec tu melius Christianorum paci consulere potes; quam validis & magnis copijs Christianitatem invadens: cessabunt privata odia, vbi publica senserunt: & coniunctis viribus adversus communem hostem arma sumentur. Nec tu necesse arbitreris ad propulsandas tuas incursiones, ad comprimendum tuum impetum, tuasque vires elidendas, totam Christianitatem vniendam esse: quod fatemur difficile: sed vna ex quatuor nationibus satis fuerit superque satis tuas copias profligare. Atq; vt de alijs taceamus, quamplures esse in tuo palatio arbitrantur, qui Italiam lustraverunt, & vires ac ingenia noscunt: ipsos audi atque interroga, an æquari tuis viribus Italia possit: an vinci tuis armis, an tuo imperio subijci. Plus negocij Romanis fuit, Italiam acquirere: quam orbi reliquo frena imponere. Dicet aliquis, quod supra tetigimus intestina odia, quæ nostram gentem exagitant, introitum tibi in Italiã posse præbere: & si vnus principum te excludat, alterum inclusurum daturũq; aditum! Sũt divisiones sane, & inimicitiæ, & simultates inter Italos plures & graves & periculosæ: & vtinam non essent! Sed nullus est qui dominum pati non Christianum velit: omnes in fide orthodoxa mori malunt: nulli anim' est à religione recedere. Non hic invenies, quod tui maiores apud Græcos,

qui contendentibus de imperio duobus, nunc vni, nunc alteri minus potenti auxilio ministravere: donec ambos enervatos atque exhaustos eiecere, & sibi principatum arripuere. Aliæ sunt Italiæ potentiæ: alij regum oculi: alia civitatum consilia. Venetorum Respublica sapientia dives & auro, Christo devota (vt nostra fert opinio) prius evertetur funditus: quam hostem religionis in Italiam patiatur intrare: atque hæc quidem per sese, quando statuerit, nullis adiuta vicinis, opes evertet tuas: tantum terra marique potest. An Florentinæ vrbis magnificentiam, & vires, & opes, & quantus in ea est religionis cultus, quanta erga Iesum reverentia, quantus armor, ignoras? Credis ne fieri posse, vt hæc civitas Italiam diversæ religionis hominibus aperiri sinat. Sunt aliæ multæ vrbes insignes: multi Principes clari & magni. Nihil de regno Siciliæ dicimus, quod armis hac tempestate concutitur: non possumus multa nobis de illo promittere: licet tamen hoc asserere: quod, quanquam duo reges de ipso litigent, & bello decertent, maluerit tamen vterque regno privari: quam tuis auxilijs victoria potiri: quod si ad te alter confugerit, totius Italiæ in se odia concitaverit. In Gallia Cisalpina, quæ & ipsa pars est Italiæ, Dux Mediolanensis in armis excellit: & potentia par regibus habetur. Nec paruæ sunt Ducis Mutinæ vires, aut Ianuensis, qui Liguribus præest, mari: non contemnendus Ducis Sabaudiæ, sed opulentus & validus est in Italia principatus: adest Marchio Mantuanus: sunt alij complures vrbium Domini: quibus nihil potest esse molestius, quam nobilem Italiam vanæ superstitionis ritu fœdari. De nobis & Ecclesiæ Romanæ civitatibus ac provincijs tacemus: quando nostram tibi professionem haud ignotam esse confidimus: quibus sola cura est servandæ & ampliandæ fidei Domini nostri Iesu. Hæc si accepisti ab alijs, gaudemus: veritatem enim accepisti: sin minus, hortamur hæc discutias, & verum vestiges: invenies nihil nos esse mentitos: Non folium Sibyllæ, (vt quidam ait) de Evangelij pagina recitamus. Difficile est, atque adeo difficile, vt impossibile dici queat: te tua in lege permanentem, voti compotem fieri: si, vt aiunt, imperium Christianorum desideras. Dices, quamplurimos tibi Christianos subesse, & de reliquis idem speras! Non est par ratio: paucissimi sub tuo imperio Christiani sunt, qui ad veritatem ambulent Evangelij: omnes aliquo sunt errore imbuti. Quamvis Christum colant Armenij, Iacobitæ, Maronci, & alia quædam nomina Græcæ à Romanæ Ecclesiæ vnitate aberant, cum tu Constantinopolim invasisti: neque adhuc decretum Florentinum acceperant, & in errrore stabant: neq; de Sancto spiritu, neque de purgatorio igne consona rectæ fidei sentientes: pauci fortasse inopes, veri Christiani necessitate, non voluntate tibi obediunt. At vrbes Italiæ potentissimas non est tuum cogere: validiores sunt quam tuis queant exercitibus superari. Nosti, quæ tibi acciderunt, cum

tum Taurinum invasisti, quod nostra ætas Belgradum vocant: pauci cruce signati, innumerabiles tuas copias prostraverunt. Non est de Italis speranda victoria, quibus adversa fuit in Vngaris pugna. Quocirca, vt eo tandem veniamus, quo nostra festinat oratio: & id dicamus, quod ad scribendum compulit: & tuam gloriam tuamque salutem tibi ostendamus: adhibe his paucis animum. Si vis inter Christianos tuum imperium propagare, & nomen tuum quam gloriosum efficere: non auro, non armis, non exercitibus, non classibus opus est: parva res omnium, qui hodie vivunt, maximum & potentissimum & clarissimum te reddere potest. Quæris quæ sit? non est inventu difficilis neque procul quærenda: vbique gentium reperitur: id est, aquæ pauxillum, quo baptizeris, & ad Christianorum sacra te conferas, & credas Evangelio.

Hoc si feceris: non erit in orbe princeps, qui te gloria superet, aut æquare potentia valeat. Nos te Græcorum & Orientis Imperatorem appellabimus: & quod modo vi occupas, & cum iniuria tenes, possidebis iure: Christiani te omnes venerabuntur, & suarum litium iudicem facient: oppressi vndique ad te, veluti commune patrocinium, confugient: ex toto fere orbe ad te provocabitur: multi sponte sua sese tibi subijcient: tribunalia tua sequentur, & tributa præstabunt. Licebit tibi surgentes extinguere Tyrannides, iuvare bonos, oppugnare malos: nec Romana Ecclesia te arguet recta via vadentem: eadem erit erga te caritas primæ sedis, quæ in cæteros Reges: & tanto maior, quanto eris ipse sublimior. Facile hoc pacto sine sanguine, sine armis multa poteris nancisci regna. Vladislaus Lithuaniæ Princeps, Vituldi frater, cum aspiraret ad regnum Poloniæ essetque infidelis, vt voti sui compus fieret, Christianus effectus est, & regnum obtinuit: cuius nunc filius Casimirus regnat: alter filius, qui etiam apud Vngaros regnavit, in bello contra genitorem tuum gesto superatus occubuit. Quid reris de te fiet Christianis initiato sacris? Magnus erit ad te concursus: & felicitatis genus existimabitur, inter subiectos tuos annumerari. Quippe vt arbitramur, si Christianus fuisses, mortuo Ladislao Vngariæ ac Bohemiæ Rege, nemo præter te sua regna fuisset adeptus: sperassent Vngari post diuturna bellorum mala sub tuo regimine pacem: & illos Bohemi secuti fuissent. Sed cum esses nostræ religionis hostis, elegerunt Vngari, viri fortes & fidelissimi, religionem potius cum regno retinere, quam ea perdita, pacem consequi. Quot sunt in Epiro, in Peloponneso, in Macedonia, in reliqua Græcia, in Dalmatia, in insulis Ægæi, Carpathij, & Ionij maris, quæ tuum imperiũ non alia de causa refugiunt, nisi quia alienus es à Christi ritu? & hi modo ad nos, modo ad alios recurrunt, opemque petunt: extrema omnia subituri priusquam te circumcisum & alienigenam dominum ferant: & nos aliquando eos argento, aliquando frumento, aliquando rebus alijs sublevamus.

Quod si baptizatus esses, & nobiscum ambulares in domo Domini cum consensu: nec illi tuum Imperium tantopere formidarent: nec nos eis adversus te ferremus opem: sed tuum potius brachiū in eos imploraremus qui iura Ecclesiæ Romanæ nonnunquam vsurpant, & contra matrem suam cornua erigunt. Et sicut nostri antecessores, Stephanus, Hadrianus, Leo, adversus Aistulphum & Desiderium Lōgobardię Reges, Pipinum & Carolum Magnum accersiverunt: & liberati de manu Tyrannica imperium à Græcis ad ipsos liberatores transtulerunt: ita & nos in Ecclesiæ necessitatibus tuo patrocinio vteremur: & vicem redderemus accepti beneficij. O quanta esset abundantia pacis! quanta Christianæ plebis exultatio! quanta iubilatio in omni terra! Redirent Augusti tempora: &, quæ Poëtæ vocant, aurea secula renovarentur: habitaret pardus cum agno, vitulus cum leone: gladij verterentur in falces, in vomeres ac ligones rediret omne ferrum: excolerentur agri: evelleretur aspera dumus: terra nitesceret: vici repararentur & vrbes; resurgerent templa Deo sacrata, quæ ceciderunt, emergerentq; collapsa monasteria, & plena viris religiosis, divis omnia laudibus personarent. O quanta tibi redundaret felicitas, qui ad æterni pastoris ovile cunctas redigeres oves! quantum te omnes amarent, observarent, extollerent, qui communis omnium pacis & salutis fuisses auctor! Dicet aliquis, hanc pacem, hanc vnionem, hanc communem lætitiam haberi posse sub tua lege: Errant, qui hoc censent: multos reges, multos populos vnitos esse oportet; priusquam tuam legem vbique dissemines: nec si vnias corpora, vnies animos.

Sciunt Christiani suam legem sanctam esse, & veram, & salutarem: nec dimoveri ab ea possunt: quamvis aliqui aut libidine ducti, aut avaritia tracti, aut voluptate illecti, aut metu mortis attoniti, aut cruciatu superati, nonnunquam circumcidantur, & in tuos ritus concedant: quorum si corda posses inspicere, intelligeres neminem esse, qui libenter consultoque recesserit ab Euangelio. Ostendimus supra quantum præcellant Christianæ gentis vires: & quam difficile sit, tot nationes CHRISTVM colentes evincere. Non est, quod pacem speres sub lege Mahometea, in qua non est salus: difficultates experimentis ipse vides, qui etsi multis Christianis, hisque non omnino veris, imperas: minimè tamen eis tuam legem persuadere potes: minus persuadebitur veris, quæ non in argumentationibus rationum, sed in solo ferro fundata est: vt quæ vincere disputando non sperat, sed vinci reformidat. Non sunt Christiani, qui vel bello superari possunt, vel disputationibus decipi: quando & armis excellunt, & rationibus munitissimi sunt, non solum divinæ scripturæ, sed etiam Philosophicæ. Impossibile est sub lege Mahometea vnionem fieri: sub Christiana facile fieri potest: & id magna ex parte in tua voluntate consistit.

Tu

Tu vnus si annuas, Turci omnes annuent: nec Syri, aut Ægyptij, aut Arabes, aut Lybes aduersabuntur: tecum quicquid est intra Hellespontum & Euphratem, & quicquid possides in Europa, conuertetur. Quid faciat baculus Ægyptiorum arundineus, quando Christianum te viderit effectum? quid nudus Afer? Omnibus his Æthiopes imminent presbytero Ioanni parentes, qui Christianus est: non poterunt & illis & reliquis Christianis obsistere: Nili cursum retinere possunt Æthiopes; & congregatam aquam dimittere, quæ rumpat aggeres, & totam inundet Ægyptum atque submergat, cum sidus apparet Arcturi; Hispani & Siculi facile Mauritaniam inuadunt, & Cathalani cum Genuensibus. Scis, quantum valeant occiduæ classes: & quantus est terror vel Tyrijs, vel Alexandrinis, vel cæteris Orientalibus, quando Christianæ triremes ad eos nauigant. Tua certe auctoritas & animi magnitudo, & in bellis felicitas, apud omnes admirationi est, qui Mahometeam sequuntur legem: quod si te nobis adiunxeris, breui totus Oriens reuertetur ad Christum. Vna tantum voluntas pacare orbem potest: & ea tua est, si ad baptismi gratiam se conuertat? In te est crudelibus bellis imponere finem; & tantum præstare mortalibus bonum, quantum effari non possumus. Quæret aliquis, quomodo quiesceret orbis, Turcis ad Christum conuersis, quando nec ipsi Christiani inter se concordes existunt; & multa per Italiam, Germaniam, Galliam, & reliquas Prouincias desæuiunt bella? Diximus dissidere inter se nostræ gentis homines: non negamus: & pluribus in locis ferro contenditur. Diuino olim consilio sub Octauiano, propter reuerentiam Saluatoris, qui tunc secundum carnem natus est, ea pax in orbe fuit, quæ nec antea, nec postea visa est. Difficile est, & propemodum impossibile, quiescere in terris omnia, vbi homines sunt affectibus subiecti reprobis: Illum ambitio exagitat: hunc cupiditas trahit: libido alium impellit. Multa est inter mortales belli materia: sed non sunt tam atrocia inter Christianos prælia, quam inter Turcas & Christianos. Christianus cum Christiano de agri possessione, de regno, de imperio, de gloria contendit: cum Turca de religione, de libertate, de vita. Inter Christianos qui bello vincuntur, positis armis, nec vitam, nec libertatem amittunt; & multis etiam patrimonia dimittuntur; Principes imperio priuantur: inferiores domum mutant, reliqua tenent. In prælijs, quæ geruntur aut cum Turcis aut cum Saracenis, qui succumbunt, si vitam non amittunt, in seruitutem rediguntur; & multi etiam religioni renunciare coguntur. Hæc acerbissima sunt & immanissima bella: quæ si tollantur, quod in te situm esse monstrauimus: pax maxima exoritur, & vniuersalis quies. Nam reliqua bella huic comparata, faciem quodammodo pacis habent & otij: nec illa tam multa erunt, quando vnus assit, qui solo nutu compescere possit iniurias: qualiter te futurum non ambigimus, si cum tua potentia Christianus efficiaris. Videsne

quantum tibi laudis affert baptismi lauacrum? quantum cum Christo sublimis & conspicuus redderis? Quis prohibet aquam? Quid metuis? Voces fortasse aulicorum times tuorum? quorum non dubitamus dicturos tibi aliquos: Quid cogitas? quid agis? quorsum te tua voluntas trahit? vis baptizari? vis Christianus fieri? Nescis quod periculum adis: omnes te Turcæ deserent: & vbi existimas fieri magnus, fies nullus. Ex Turcis natus, Turcas deseres? Inter Turcas creuisti: Turcarum te manus extulit: Turcæ Asiam & Græciam gubernant: Turcæ exercitibus præsunt: qui si vel minimam famam tuæ mutationis acceperint: è vestigio sumtis armis, te deiecto, Imperatorem alium suscipient: tu nudus & expulsus si euaseris, apud Christianos mendicabis panem. Nam quis Turca est, quem suæ religionis pœniteat? Moriemur omnes, priusquam nostri Prophetæ iugum excutiamus. Non sunt parua, quæ isti obijciunt: adhibenda est huic parti medela: quam nemo te ipso melius inuenerit. Nosti tuos homines, & quibus prouincias commiseris: non ignoras, quanta sit cuique fides; & quis animus, non te latet. Non fit sine periculo magnum facinus atque memorabile: Vilia sunt, quæ paruo emuntur. Diligentia hic & labore opus est: peruestiganda sunt amicorum consilia: noscenda subditorum ingenia: & his vtendum est, quos fidos & prudentes videris. Seruiunt tibi non pauci ex Christianis nati: qui quamuis circumcisi sunt, non tamen Christianum nomen oderunt.

His exercitus, his præfecturas reddere potes, qui tui sint amantissimi; & ita regnum ordinare, vt quando velis, præsto sint omnia. Tui subditi magna ex parte Græci sunt & Armenij (vt diximus) Iacobitæ: qui etsi aliquid erroris habent, Christiano tamen nomine censentur: nec aliud magis cupiunt, quam te similem eis esse, & illum Deum colere, quem colunt ipsi. Sperarent meliori se loco futuros, qui nunc mancipia quam vilissima sunt; tributa exoluunt grauia; iniurijs afficiuntur quotidianis; ad bellum ducuntur inuiti; & inermes cædibus exponuntur; priuantur liberis & vxoribus: Miserrima res est, postquam filios educauerunt, eos perdunt; rapiuntur in palatium; pueri circumciduntur, & Mahumeteis ritibus imbuuntur: Vident infelices parentes non modo corpora liberorum, verum animas etiam ire perditum: & angustati inter tot calamitates, plorare non possunt, maiora mala timentes: nemo horum te diligit, neque enim natura fert, vt eos amemus, à quibus patimur mala.

Quod si te Christianum cernerent: mirum in modum diligerent: felicitatem tuam cuperent: & omnibus studijs tuam gloriam quærerent; & filios suos, & seipsos quam libentissime tibi donarent. Magna est horum multitudo, & pro sua religione constantia: quod si prudenter eos tractaueris: nihil tibi de rebellione Turcarum verendum erit: qui medios inter Christianos

stianos sese videntes, tuæ potius voluntati consentient; fortunas & dignitates seruaturi, quam mortis periculo se subijciant. Non suademus rem nouam aut insuetam: tutum est iter quod ostendimus: multi hoc & magni reges ingressi sunt. Apud Francos ex gentili & idolatra Christianus effectus est Clodoueus: simul cum eo regni proceres baptizari non recusarunt. Apud Hungaros Stephanus nostris initiatus sacris, omnem illam gentem Christo acquisiuit.

Apud Vesogotos, qui longo tempore in Hispania regnauerunt, & vsque in hæc tempora eiusdem gentis sanguis imperat, Richardus, Læmugildi filius, suadente Leandro Hispalensi Episcopo, Arrianæ renunciauit hæresi; & cum omni gente sua Catholicam fidem complexus est. Apud Longobardos Agilolphus, suasu coniugis Theudelindæ, reliquit idola: & cum omni populo Christianæ sese legi subiecit. Apud Hyberos, qui sunt in Asia, imperante Constantino Maiore, rex gentis cum coniuge, & omni nobilitate atque plebe, ad prædicationem vnius captiuæ mulieris, relicta idolorum insania, baptizatus est. Sed quid moramur, & non exemplum illud adduximus, quod omnium est maximum? Constantinus ipse Imperator ac monarcha viam aperuit: quam tu & tui similes ingredi absque vlla cunctatione possetis. Omnes qui eum præcesserant Imperatores, excepto Philippo, gentiles fuere: Iouem, Mercurium, Apollinem, Herculem, & alia quæ sunt monstruosa nomina, tanquam deos colebant: Senatui & omni populo Romano stultitia Christus erat: proponebantur passim edicta, quæ Christianos comprehendi iubebant: & nisi sacrificarent idolis, crudelibus modis interfici: nihil vilius erat nomine Christiano: infame genus & maleficum habebatur omnium, qui Christo crederent: Sub Nerone, sub Domitiano, sub Diocletiano crudelissima in Christianos desæuijt persecutio. At Constantinus, acceptis Imperij fascibus: postquam persuasus est à Syluestro, prædecessore nostro, in simulacris dæmonia coli; & vnum tantum Deum esse cum Patre & Spiritu Sancto Christum Iesum; & in Euangelica tantummodo lege salutem inueniri: non est cunctatus Christi fidem amplecti: non dixit; Senatus mihi aduersus erit; resistet populus; copiarum duces alienabuntur; Imperio deijciar: sed alto animo iactans in Deo spē suam, legem edidit, quā beati Apostoli Petrus & Paulus Romanis tradidissent: nec propterea sinistri aliquid sibi accidit: sed tunc potissimum excellens & gloriosus euasit, cum in vexillis suis crux domini nostri Iesu apposita resplēduit. Viderat per quietem in aere signum crucis: & vocem audiuerat dicentem: IN HOC, CONSTANTINE, VINCES. Parauit vexilla crucis: Signa erexit: ciuilib. bellis finē imposuit: superauit hostes: barbaros afflixit: Imperiū ampliauit: pacē subditis dedit: Ecclesias aperuit: concilia sacerdotū celebrauit: hæreses eliminauit: lucē, quā acceperat ab Euangelio, cūctis gentib. communi-

municauit: magnificus & excelsus super omnes Cæsares inuentus; Græcis & Latinis nostris celebratus: Imperauit annos supra triginta: sedem Imperij apud Byzantium exerit: & ampliatis ciuitatis mœnibus, multisque cum publicis tum priuatis ædificijs magnifice constructis, de suo nomine Constantinopolim appellauit: & plenus dierum, apud Nicomediam edito testamento, quo filios Imperij successores reliquit, vt Christianum decet, sacramentis Ecclesiæ receptis, è vita decessit. Quid erat, quod ille amplius in terra possit optare? Imperio potitus est omnium maximo: vita ei & longa fuit, & paucis obnoxia morbis: inimicos humiliatos vidit: & quod hominibus dulcissimum esse solet, hæredes amplissimæ fortunæ filios dimisit: nec alienum fuerit credere tantum Imperatorem, qui Christianam fidem tantopere ampliauerit, in alio seculorum Christo regnare, cui seruiuit in hoc dum viueret seculo. Quod si omnibus, qui patriam auxerint, iuuerint, defenderint, certum est esse in cælo definitum locum, in quo beati æuo sempiterno fruantur; sicut Philosophi doctissimi tradiderunt: multo id certius de illis sperandum est, qui pro lege Domini, vel seruanda, vel augenda, summis studijs contenderunt: sicut de Constantino ostensum est: quem sicut in terra felicem fuisse dicimus, ita & in cælo beatum credimus. Eadem procul dubio euentura tibi esse confidimus: si nobiscum sapiens Christum colas, & magnum Constantinum imiteris. Quemadmodum Romani cum suo Imperatore Christiani sunt effecti: ita & Turcæ vna tecum baptizabuntur: eritque tuum regnum super omnia, quæ sunt in orbe: & nomen tuum nulla silebit ætas: Latinæ te literæ, & Græcæ, & barbaræ celebrabunt: nemo inter mortales erit, qui te potentia aut gloria præcedat. Magna sunt hæc, quæ promittimus: maiora, quæ sequuntur. De regno, de potentia huius seculi, de gloria humana sumus locuti: caduca hæc & incerta sunt, & fluxa. Omnes morimur: omnia nata occidunt: & omnia orta senescunt: breuis est humanæ prosperitatis cursus: cito regnum deficit: nulla potentia longa est: gloria quoque clari nominis, quamuis de maximis rebus diu perseueret, finitur tamen aliquando, & cum tempore deficit: nihil est inter mortales non mortale: conterit omnia tempus. Esto, duret per multa secula nomen: quæ dulcedo post obitum laudis? aut damnatus est homo in altera vita, & nihil ei prodest fama, quæ remansit: aut saluatus est, & ea non eget; beatitudine donatus æterna, quæ omni ex parte plenissima est. Filios ac nepotes præclara nomina iuuant: & nobis quoque, dum viuimus, dulce est talem hæreditatem posse relinquere, quæ sit posteritati solatium. Est id quidem aliquo modo bonum: sed meliora quærenda sunt & stabilia bona; quæ vere nostra sint, neque vnquam nos deserant. Philosophi, quos Peripateticos vocauit antiquitas, tria bonorum genera posuerunt: & alia esse animi dixerunt, alia corporis, alia externa. Stoici ea duntaxat bona existimarunt, quæ animum

mum

mum excolerent: hoc facit iustitia, prudentia, moderatio, fortitudo, & quæ sunt aliæ in animo dotes. Egregiam corporis formam, roboris multitudinem, nobilitatem, clientelas, opes, inter bona non acceperunt: quæ neque sunt in potestate nostra, neque possessori felicitatem præstant. Sed neque illæ quatuor virtutes, quæ principales existimantur, tranquillam homini mentem reddunt: nisi adunientur aliæ tres, quas Theologicas appellant, & in animo sitæ sunt, Spes, Fides, Charitas. Tristis est, & in anxietate moratur, & torpet, & angitur, & nihil boni operatur, qui spe futuræ vitæ priuatus est. Sine fide impossibile est placere Deo: qui est vltimum hominis bonum, & finis in quem tendimus. Charitas diuino amore feruet; curiosa est animæ nostræ, & proximo consulit; quem iubet lex vt tanquam nos ipsos diligamus. Si ergo animi bona cupimus: & moralibus virtutibus opus est, & Theologicis: neque in his vlla est nobis cum tua lege contentio: alia sunt, in quibus discrepamus. Fatebitur tua lex, & vitam æternam in altero seculo reperiri, & his itineribus ad eam perueniri. Dicit fidem necessariam esse: verum non eam fidem, quam nos recipimus, amplectetur. Laudabit charitatem: sed alia eius officia esse dicet, quam Christianus. Sine spe non posse bene homini esse fatebitur: sed spei finem longe diuersum à nostro recipiet. Pax erit in nominibus, bellum in rebus. Facessat nunc hæc contentio: & quomodo vera & æterna bona ex fide Christi consequi possis, & animæ tuæ consulere, quæ immortalis est, ostendamus. Etsi enim huius seculi quæ dicuntur bona concupiscis; & inter mortales magnus videri vis: non tamen animæ tuæ oblitum te credimus; nec ex illorum numero censemus; qui cum Epicuro & alijs quibusdam delirantibus Philosophis, extingui animam simul cum corpore putauerunt. Nec rursus te sine Deo esse censemus, sicut olim de Gallæcis in Hispania traditum est, qui nullum colebant Deum: & de Pythagora, quem ferunt dicere solitum esse, non liquere sibi, an Deus aliquis esset. Quæ disputatio adeo impia iudicata est: vt ab Atheniensibus auctor eius eiectus sit: & libri, in quibus ea continebantur, exusti. Possidonius scripsit, Epicurum nihil de Deo sensisse: sed ea, quæ de dijs locutus est, inuidiæ depellendæ causa dixisse. Stultorum hæc est assertio, sicut in Propheta legimus: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Haud equidem te adeo rudẽ existimamus; vt cælum credas rectore carere: & hanc pulcherrimam mundi machinam casu emersisse: & omnia fieri fortuito: sed arbitramur, te Deum vnum confiteri, & in eum credere, qui cælum creauit & terram, & omnia quæ in eis sunt; & quæ creauit, non negligit. Ne te ignorare censemus, incorruptibiles esse animas hominum: & cum è nostris corporibus migrant, in alias regiones transferri; & bonas læta sortiri loca; malas ad supplicium rapi: quod non solum in Euangelio nostro scriptum est, & in Prophetis; sed tua quoque lex idem docet; quamuis in hoc mundo

temporalia quæ putantur bona, casu quodam fortuito euenire non rectè arbitratur. Socrates & Plato & Aristoteles, Philosophorum principes, de mundi regimine, de immortalitate animarum, de Deo eadem crediderunt, quæ Christiani: quamuis aliqua nouæ legis arcana, quæ nondum edita erant, ignorauerunt. Platonis in Epistolis hæc verba leguntur: Credendum est (inquit) semper veteribus sacrisque sermonibus; nobis asserentibus animam esse immortalem; iudicesque habere, ac pœnas dare maximas, cum à corpore fuerit separata: quod intelligendum, cum male vixerit. Non est hic locus apud te altius examinandus, qui pro tua lege Deum esse intelligis, qui omnia videt, & omnia iudicat: & animas corporea mole solutas, pro suis operibus in alio seculo vel præmia recepturas, vel supplicia, non dubitas.

Quæ cum ita sint: stultum cognoscis terrenis rebus ita aliquem inhærere, vt cælestia negligat: & dum corpori studet, animam perdat. Breue est omne, quod viuimus, æuum: etiamsi Mathusalæ aut Nestoris annos possimus attingere. Quicquid æternitati comparatur, momentaneum est. Quotusquisque hodie reperitur, qui centesimum videat annum? quotus, qui octogesimum impleat annum? Vita hominis (vt inquit Propheta) in ipsis septuaginta annis: in potentatibus aliquando ad octoginta protenditur: vlterius labor & dolor. Quotus iterum ex eis qui nascuntur, ad perfectam peruadit ætatem? quam multi moriuntur infantes? quot pueros extinguunt morbi? Paucissimi iuuentutem superant: angustissima est vita hominis & incerta: mille instant in omnes horas pericula: mille mortis fauces vitæ nostræ insidiantur: minima res cursum nostrum interrumpit. Alieno hic arbitrio sumus: vocat nos Deus, quando vult, & vbi vult: & cum minime credimus, tunc citamur: Peremptoria monitio est: nec licet prouocare, aut contraniti: parendum est altissimo Domino: & villicationis ratio reddenda. Sapiunt, qui ita vitam instituunt: vt vocati, alacri animo abeant: & coram iudice, qui nihil ignorat, impauidi consistant in die illa tremenda & amara valde: in qua nihil amplius mereri licet: & omnis spes ac metus ex his, quæ acta sunt, pendet: nec supplicare iuuat, neque negare. Est igitur de anima curandum: quæ post hanc vitam, aliam habet vitam, in qua vel dolet vel gaudet.

Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur (inquit in Euangelio Dominus) animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? Viuimus, ac sapimus, ac Deo similes sumus: hæc melior pars nostri est rebus omnibus preciosior: dimisso corpore, in alias regiones ingreditur? Corpus in terra iacet; & in puluerem conuertitur; & vsque ad vltimum maximumq; iudicium sensu carebit; tunc vero pro meritis, quæ illi cum anima fuere communia, vel ad gloriam vel ad pœnam

pœnam resurget. Quid Nino prodest late per Asiam imperasse? quid Semiramidi eius vxori? quid Dionysio, quid Herculi, ad Indos vsque penetrasse? Quid Idamthirso, Scythiæ atque Asiæ iugum imposuisse? quid Nabuchodonosori, ad Gades vsque perrexisse? quid Osiridi, dimissa Ægypto, per Syriam & Asiam in Thraciam duxisse copias? quid Agamemnoni, Ilium exussisse? quid Cyro, Persarum imperium constituisse? quid Alexandro Magno, illud ipsum euertisse, & vsque ad Hispalin in Orientem, & ad Laxartem fluuium, Septentrionem versus, arma tulisse? quid Hannibali, Italiam vexasse? quid Scipionibus, Carthaginem deleuisse? quid Pompeio, Orientales reges debellasse? quid Iulio Cæsari, subacta Gallia Romanum Imperium inuasisse? quid Hunorum Regi Atilæ, Pannonia Germaniaque protrita, Aquileiam in Italia subuertisse? quid Tamerlano, tot Asiæ Syriæq; vrbes incendisse, atq; auum tuum prælio superasse? quid genitori tuo Amurathi, sæpe de Græcis, sæpe de Hungaris triumphasse? quid cæteris regibus atque Imperatoribus, res magnas & præclaras gessisse prodest; si absq; cognitione veri Dei mortui sunt; & nunc eorum animæ apud inferos cruciantur? Laudantur hic, & ardent illic. Quæ famæ voluptas in cruciatu esse potest? quæ dulcedo gloriæ in doloribus? Dura vox est eorum, qui vel in tauro Phalaridis beatitudinem esse dicunt: non bene cohabitant dolor ac voluptas: nec vllus est in felicitate mœror. In cælo plena felicitas est; apud inferos plena miseria: cum eò ventum est, nihil iuuat gloria, quæ præcessit, & fama seculi. Studendum igitur est, vt post obitum, quod per omnes se horas infert, certas & incertas, animabus nostris bene consulamus. Præueniendus est pijs operibus dies mortis; & omnes actus nostri ita dirigendi, vt Deo placeamus. Ipse est enim finis omnium, & summum bonum, ad quod aspiramus: & ipsa beatitudo, cuius cupiditas omnibus mortalibus inest. Quærendum est iter ad eam: id recta fides ostendit, & operatio iustitiæ: quia nec iustitia sine fide, nec fides sine iustitia sufficit. Iustus ex fide viuit, vt scriptum: & sine fide nemo acceptus Deo. Tua lex, vt aiunt, in sua quemq; religione saluari hominem censet, si alioquin caste iusteq; viuat: nisi Mahumetea traditione relicta, ad aliam transierit. Dicunt & in tua lege scriptum esse (est enim sibi ipsi sæpe contraria) nulli salutem patere, nisi in ea. Nos contrà sentimus; & certi sumus, viam vitæ soli Christiano, si bene agat, apertam esse. Ait enim Veritas nostra in Euangelio: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Tu ergo si futurum credis seculum; si vis fieri saluus; si animæ tuæ bene consultum cupis: & fidem Romanæ Ecclesiæ (extra quam non est salus) & baptismum recipias oportet. His duabus clauibus, fide & baptismo, aperiuntur Paradisi portæ: illis tamen, qui apposite ad fidem viuunt, nihil proderunt. Nam fides sine operibus mortua est: Euangelio præbendæ sunt aures; & Christi doctrina

sequenda, quæ nullum fallit. Diceres, nolle tuæ legi nostram præponere; aut Mahometem relinquere Prophetam magnum. Rogauimus ab initio, vt benigne audires; itidem nunc petimus: & nunc maxime attentis auribus, & pia mente opus est, & iudicio recto; quando ad radicem arboris infructuosæ admouemus securim. Audi seriem rerum: nosce historiam fidei: præbe aures viro: cui perraro est in altis ædibus locus. Calisthenem Philosophum crudelibus modis laceratum in custodiam rapuit Alexander: qui vera loquens diuinum cultum homini denegauit: & Clitum Philippi laudes commemorantem lancea transfodit. Timent homines exempla: & videntes melius adulatoribus succedere, quam recta monentibus, ad nugas se conuertunt, & quæ placeant, loquuntur. Antigonus aliquando vnus ex successoribus Alexandri, qui regnauit in Asia, inter venandum, mutata veste, relictis comitibus errabundus apud agrestes homines in vili tugurio pernoctauit incognitus: & combibens, cum his de seipso, tanquam de altero, percunctatus astantes; omnia quæ fecerat mala, ab eis audiuit. Mane quæsitus atque iuuentus; cum vestem illatam & regium ornatum vidisset: *Date* (inquit) *purpuram.* Quam vt primum indit: *verum* (ait) *de me nisi hac nocte vnquam audiui.* Et Augustus, mortuo Varo, idcirco seipsum supramodum dolere aiebat: quia non esset, à quo verum audiret. Ad pauperes Philosophos relegata est inquisitio veri: qui propterea sapientiæ amatores vocantur: quia veritati seruiunt, & nolunt decipi. Turpe est cuique homini errare, maxime Regi: qui si per se ipsum non satis intelligit, prope habet magistros, quos interroget: tantum placeat audire, nec pudeat discere, quod ignorat. Tria sunt hominum genera, teste Hesiodo: *Primi & optimi sunt, qui per sese omnia noscunt: his proximi, qui recta monentibus auscultant: tertij prorsus damnandi, qui neq; ipsi vident, neq; videntibus credunt.* Sed nulla in re periculosius erratur, quam in his, quæ pertinent ad fidem: neque vtilius inuenitur verum. Recte ad Antipatrum de Alexandro scribit Aristoteles; monens, ne pro tot exercitibus, victorijsque, & subiugatione orbis terrarum, glorietur: sed cogitet, quod si quid de Deo recte cognoscat, non minori gloria dignus sit, quam ipse pro tantis rebus gestis, tantaq; potentia. Et in Ethicis idem sapientem esse dicit amicissimum Deo. Sapiens autem nemo existimandus est, qui à recta fide est alienus. In his vero, quæ sunt fidei, neq; tuus Legifer satis intellexit: neq; tu in hanc vsque diem satis didicisti. An vero recta monentem audire & sequi velis, futurus dies ostendet. Si vero hæc, quæ ad te scribimus, audieris; signum erit ad discendum parati: si feceris, quæ monemus, eris procul dubio sapiens. Nemo hominum sapientiam contemnit, nemo odit: nemo est, qui nolit esse sapiens.

Verum primus sapientiæ gradus est, nolle errare, & verum quam libentissime audire: maxime in his rebus, vnde homini est salus: sicut est

religio.

religio, quæ ordinatur æternam vitam. Audi ergo verum circa religionem. Si non scribimus verum, argue scribentes, & despice, tãquam stultos. Sed noli falsum dicere, nisi cognoveris falsum esse. Et narrabimus brevissime ab initio mundi, vsque ad obitum Salvatoris Christi nostri, legis arcana: deinde aliqua de tua lege dicemus, eaque conferemus ad invicem: & quãtum intersit, ostendemus: conabimur, quantum ex alto dabitur, lucem tibi ostendere, per quam possis ad eam lucem pervenire, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum creasset Deus in principio cœlum & terram, & maria, & lucem, & Solem, & Lunam, & alia sidera, & plantas, & herbas, & volucres, & pisces, & quadrupedum genus inexterminabile (vt scribitur Sapientiæ c. 2.) ac reptilia, & alia animantia: postremo Adam creavit, sufflavit in eum spiraculum vitæ, & posuit eum in Paradiso delitiarum: & fecit adiutorium simile sibi Euam, ex costa eius eductam: & data licentia, qua possent cæterarum plantationum degustare fructus; vt abstinerent à plantario prudentiæ, imperavit: & ambos, cum prævaricati essent, ex Paradiso deiecit: atque in eis humanum genus morte damnavit: iussitque laboriosam vitam & ærumnis plenam agere. Ab his propagata creatura rationalis, cum rursus animo rebelli divinam maiestatem contemneret, & in vitia quæque prolaberetur, aquarum diluvio deleta est: Noë cum coniuge & sex alijs animalibus in arca salvatus est: & ab his omnes homines, qui modo sunt, & post diluvium fuerunt, originem ducunt.

Tres filij Noë, Sem, Cham, & Iaphet, redeuntibus aquis in locum suum, humanam gentem reparaverunt: adeo vt traditum sit, priusquam Noë moreretur, quatuor millia hominum ex suis & filiorum lumbis exivisse: ex quibus etiam iniqui emerserunt. Nimrod filius Cham, & qui cum eo in contumeliam Domini turrim Babel ædificare cœperunt. In ea divisum est labium vniversæ terrę, & confusione impeditum opus. Secuta est peccatum pessimum Pentapolitana submersio, & Abraam & Loth inventi religiosi: in semine Abraham benedictæ sunt gentes, & circumcisionis pactum cum eo percussum est. Fuit enim iustus, & placuit Deo in Operibus suis, cum filium Isaac divino imperio immolare non detrectasset. Neque Isaac Patris viam deseruit: cui natus est Iacob, qui alio nomine dictus est Israel: & huic duodecim filij fuerunt, à quibus duodecim tribus emanarunt. Is cognito, quod Ioseph, quẽ putabat extinctum, magnus & potens esset in Ægypto, cum reliquis filijs ad eum migravit. Multiplicatum est illic Iudæorum semen: & in gentem magnam cum crevissent Israëlitæ, surrexisset que rex alius, qui Ioseph & opera eius ignoraret: gravissimis laboribus oppressi sunt, & contumelijs innumerabilibus affecti: & miserante Deo, per manus Mosis & Aron servitutem effugerant: & siccis vestigijs rubro mari

traiecto, per annos quadraginta cibo cælesti vitam in deserto egerunt: et circa montem Sinai divinam legem in tabulis lapideis acceperunt. Acquisita est terra promissionis, sed non tota in manu Mosis. Post obitum eius mirabilia fuerunt opera Iosuæ, & aliorum Iudicum: inter quos etiam Prophetæ clauerunt, viri excellentissimi. Successerunt deinde Reges & alij Prophetæ in populo Dei: & nō sine cælesti munimine conservata est gens Hebræa: & Prophetæ quidem interpretati legem, salubria tradidere præcepta, virtutem extollentes, & vitia effulminantes: & multa per illos scripta sunt divinitus revelata, quæ de futuris notitiam præbuere. Non tamen pauca perpessi sunt adversa Iudæi, cum legem Domini contemnerent, & in traditionibus patrum non permanerēt. Ceperunt eos Chaldæi, & in servitutem redegerunt: & nūc Syri, nunc Arabes, nunc Ægyptij in eos arma verterunt. Multæ fuerunt eorum tribulationes, multę calamitates ac miseriæ: sed de omnibus liberavit eos Dominus, cū ad Deum calamaverunt, & tota mente ad eū redierunt: quia cor contritū & humiliatum non despicit divina maiestas. Hæc, vt arbitramur, cōmunia tibi nobisq; sunt: & in Alçorano Mahometico magna ex parte continentur. Verax igitur & tuo & nostro iudicio lex Iudæorū: verax Moses, & David, & Salomon, & Isaias, & Ieremias, & Ezechiel, & Daniel, & veraces omnes Prophetæ Domini: vera Iudæorum fides, qui ante Christum in lege permanserunt: mendaces omnes gentes, quæ coluerunt idola. Notus ante Christū solus in Iudęa Deus: nihil huc vsq; contendimus. Cōcedis hæc, nisi fallimur, omnia: in his, quæ sequuntur, discordia erit: sed nos in luce ambulamus, neq; offendimus ad lapidem pedes nostros: & ne de cætero tu quoq; offendas, magnoperę cupimus: & vltro, ne decipiaris, lumen offerimus. Tu creatura Dei es, & ovis eius: sed errabunda extra caulas in alienis pascuis, procul ab ovili Dominico lethiferū capis cibum, & pestifera aleris herba. Nos boni pastoris exemplo, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, vnam quæ aberraverat secuti sumus: teq; quærimus, & in viam salutis optamus reducere: Dolemus te virū excellentē nobilitate, moribus illustrē, gestarum rerum gloria clarum, imperio magno præditum, & pluribus naturæ dotibus eminentē, nō incedere in vijs Domini, non nosse mandata eius, nō esse in lege sua. Compatimur tibi, & tuorum subditorum infelicitatē deploramus, qui tecum pereunt: nec te credimus libenter errare cuius naturā bonam esse confidimus: ignorantia veri te retinet: tui te parentes, & seipsos, per ignorantiam decepere: cum progenitoribus laboris: sed timenda est Scriptura, quæ ait, *ignorans ignorabitur.* Quod si cæteris in rebus præcipuam curam, exactam diligentiam, summum studium adhibeas, ne quis fallat te: circa religionem potissime curandum est, ne fallaris: in qua tanto cautiorem te esse oportet, quanto in ea cum maiori periculo delinquitur. Cæterarum rerum ignorantia hæc, quę sunt temporalia in hoc seculo, adi-

lo; adimere potest: religionis error alterius vitæ bona, id est, animæ felicitatẽ deperdit. Quod ne tibi accidat, si nobis aures & fidẽ præstiteris, facile adiumento erimus. Audisti ea, quę de veteri testamento diximus: nũc de nouo agendum est: in quo plurimum discordamus. Audi, quę subiungit tuus: sic. n. tuæ legis tenebras odio habebis, vt speramus, & nostræ legis lucem amabis. Duo in veteri testamento vaticinia reperiuntur: quorum alterum est: *Non auferetur sceptrum de Iuda, neq; dux de famore eius, donec veniat qui mittendus est, siue (vt Chaldæi dicunt) Messias.* Alterum est, quod ait: *Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit vnctio vestra.* His vaticinijs prædictum est, in adventu Christi Iudæos & regnum amissuros esse, & sacerdotium: sicut & factum est. Regnum, quod Iudæorum fuerat, Idumæi acceperunt. Regnante nãq; primo Herode, Antipatris filio, genere Idumæo & alienigena, Christus ex Maria virgine natus est, Dei filius, verus Deus & verus homo: qui sacerdotium Iudęorũ ad Christianos transtulit: Petro sibi successore delecto, in quem Pontificis Maximi potestatẽ transfudit: neq; vlterius apud Iudæos pastoralis oviũ cura permãsit, dicente Domino ad Petrum: *Pasce oves meas.* Pastor ipse bonus, & Pontifex magnus, Christus: pastores deinceps & pontifices Christianos, nõ Iudęos esse cõstituit: quãvis Petrus & alij plures ex Iudæis, nõ amplius Iudæi, suũ summũ pontificiũ acceperunt. Quo facto, & lex ipsa translata est, dicente Apostolo: *Quia translato sacerdotio, necesse est vt legis etiã translatio fiat.* Deus igitur qui multifarie multisq; modis olim patribus in Prophetis locut⁹ fuerat, novissime per filiũ suũ, quẽ constituit hæredẽ vniversorũ, per quẽ fecit & secula, allocutus homines; legẽ edidit, & nova dedit præcepta: quib⁹ servatis vitã mererẽtur æternã. In tempore igitur, quod in altissimo individuæ Trinitatis consilio ab æterno fuerat definitum: regnante apud Hebræos Herode, imperante apud Romanos Augusto, quiescente mundo, & adventum Domini mirabili & inaudita prioribus seculis pace honorante, missus est Gabriel Angelus de cælo, qui Mariæ felicem conceptionem & sacratissimum partum annunciaret. Sed ante præcursor natus est Ioannes: qui pęnitentiam prædicaret, & viam Domino præpararet. Concepit virgo de Spiritu sancto, vt prædixerat Angelus, & servata dignitate virginitatis, filium simul & Dominum peperit. Natus est Christus Salvator IIX. Cal. Ianuarias: & in ipsis Calendis circumcisus est, & iuxta vocem angelicam IESVS appellatus: quia salutem attulit humano generi. Plurima de infantia Salvatoris scripta sunt: nec dubium est, quin omnis eius ætas signis & miraculis plena fuerit. Sed Ecclesiæ nostræ gravitas & acre iudicium ea tantum recipit, quæ certa sunt: apocrypha prætermittit. Duodecimus Salvatoris annus memoriam habet: quia templum ingressus, cum Legis Doctoribus disputavit: & aliqua ex parte splendorem suæ divinitatis ostendit. Sed circa tricesimum annum fulgor ille plenius emicuit.

Tunc enim baptizatus est à Ioanne: & Ioannem ipse baptizavit: & paterna vox audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Convertit aquam in vinum: & innumerabilibus coruscavit miraculis. Elegit sibi discipulos, quos vocamus Apostolos: et circumiens regiones, & mentes hominum & corpora sanavit ægrotantium: & faciens ipse, quæ docebat, toto triennio prædicavit Evangelium, per Iudæam & vicinas provincias beatissima vox eius intonuit. Quæ vita hominum esse deberet, ostendit excellentissime: & præcepta tum vetera innovavit: tum nova, prioribus multum vtiliora, instituit: abdita & obscura quæ erant in veteri lege, multa revelavit: & obscuros Prophetarum aperuit sensus: & quæ de se prædicta fuerant, palam exposuit: mysterium sanctæ Trinitatis ostendit, & vnitatem in trinitate monstravit, docens tum Patrem, tum Filium, tum Spiritum sanctum divinis honoribus prosequendum, & hos tres vnum esse Deum. Prædixit non modo mortem suam, verum etiam genus mortis: & quod tertia die resurgeret, & quod ascensurus in cælum, rediturus esset in fine seculi iudicare vivos & mortuos. Cōprehensus est, sicut ipse voluit, & tradit' Pilato præsidi, qui eum neci daret: testes in eum citati sunt: nec est inventa mortis causa: quia peccatum non fecit: nec repertus est dolus in ore eius. Maximum crimen obiecerunt, quia filium Dei se fecit, & regem dixit: & propter veritatem occisus est, crucifixus, atque sepultus: & iuxta verbum suum resurrexit à mortuis: & quadraginta diebus cum discipulis commoratus, cum eos confirmasset & corroborasset, atque in orbem ire iussisset, Evangelium disseminaturos: tandem videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, ascendit ad cælum, & sedet ad dexteram Dei patris, inde venturus iudicare vivos & mortuos: & redditurus vnicuiq; secundum opera sua. Interea Spiritus sanctus ab eo missus, omnia suggerit Ecclesiæ quæ necessaria sunt ad vitam æternam. Hæc nos Christiani firmiter credimus: hæc est fides nostra, quam cunctis gentibus prædicamus, & impartiri omnibus cupimus: hæc ab Apostolis & eorum successoribus per fideles manus immutilata & incorrupta ad nos vsque delata sunt. Hæc vos Turcæ & Saraceni magna ex parte negatis. Etsi enim Christum ex virgine natum, & sanctum virum, & Dei flatum, & prophetam magnum, & mirabilium operum effectorem, & adhuc viventem confitemini: Deum tamen, & Dei filium esse inficiamini: nec sibi, nec sancto Spiritui divinitatem conceditis: & trinitatem personarum in divinis respuitis: & Christi mortem deridetis: quem translatum, & alium sibi similem loco suo interfectum arbitramini: nec eius adventum in extremo iudicio expectatis: & alia non pauca Christianæ legis reijcitis: & plurima creditis, quæ apud nostros risu digna videntur, quæ non dimittemus intacta. At quæ nos credimus, non solum ex nova lege, sed ex veteri invitamur. Vos Mahometi, & Alco-

& Alcorano eius fidem tantummodo adhibetis: & hominem mortuum sine conteste, sine ratione, sine miraculis sequimini: nos vivo credimus (vivit enim nostro testimonio Christus) nos Deo præstamus aures: & signis, & rationibus, & sacris ducimur testimonijs. Quod si nos audies: monstrabimus breviter nostræ legis splendidam lucem: & tuæ obscuræ caliginem detegemus. Sed opus est pijs & attentis auribus, quando fidei sublimitas attingitur, & magni Dei panduntur arcana. Sæpe iocis & inanibus fabulis te præsentem adhibuisti, & leniores audisti narrationes: non est, cur hæc gravia contemnas, aut ea nosse recuses, ex quibus tua pendet salus. Non est anima nobilis, cui non insit veritatis amor: non est homo, qui nolit salvus fieri. Audi ergo, qui generosus es: audi, quæ te salvare possunt. Quid est inter Christianos Turcasque controversiæ, in quo simul contendimus? quæ dissidij causa? Sane non alius discordiæ fomes est, nisi quia circa divinitatem non eadē sapimus; de Patre, de Filio, & Spiritu sancto contendimus: hoc est præcipuum dissidium: quo sublato, facile omnia componētur. Attingemus hæc, & quæ sit inter nos de divinitate dissensio, latius exponemus. Nos in Deo tres dicimus personas esse, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: vos vnam tantum, quam nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum dicitis, sed Deum tantummodo appellatis: & hunc vnicum esse dicitis creatorē cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt. Nulla est de vnitate contētio, non latēt nos verba Moysi, dicentis in exordio legis: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.* Et rursus in lege scriptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti: non erunt tibi dij alij præter me.* Et rursus: *Ego sum, qui sum: & si quæsierint nomen meū, vade & dic eis: Qui est, misit me ad vos.* Et in cantico Exodi dicitur: *Dominus Omnipotens nomen eius.* Quæ testimonia vnum esse Deum, & vnum Dominum, manifeste declarant, & vnā potestatem, & vnam naturam. Nā Deus naturæ, Dominus potestatis est nomē. Fatemur idem, quod vos, de vnitate divinitatis: hic amicitia est atque cōcordia: vobis vnus Deus est, & nobis vnus: dicitis principium omnium rerum esse Deū, nos idem affirmamus. In quo igitur dissentimus? Multa sunt, quæ de Deo aliter Christiani dicunt, aliter Saraceni seu Turcæ. Vos Deū corporeum dicitis nos incorporeū: vos fortuita esse, quæ hic in terra geruntur, arbitramini, nec curare de his Deū, nos gubernare eum, qui creavit omnia, non dubitamus: vos Deū patrem in divinitate negatis, nos Patrē & Filium cognoscimus: vos Spiritum sanctum ex divina maiestate reijcitis, nos ponimus & veneramur. Mittamus alia: hæc aggrediamur, in quibus plus ponderis est. Nos Christum Dei filium dicimus, vos negatis. Cur negatis? Sane quia nec vxorem habet Deus, ex qua filium procreare posset. Quod si vxor ei fuerit, filiosq; genuerit: mundus, qui vnius imperio regitur, in plures divisus dominos diu stare non posset. In vnitate concordia est, quæ servet imperia: in pluritate discordia, quæ maxima regna subvertit.

Sed quis tam rudis, tam vecors, tam demens Christianus est, qui generare Deum ex connubio & permixtione fœminę arbitretur? Non sumus adeo hebetes Christiani, vt tantum nefas admittamus. Saracenis suaderi hoc possit: qui Deo & corpus, & caput, & manus, & cætera membra concedunt. Nos Deum spiritum esse asserimus, incorporeum, immortalem, æternum, & incomprehensibilem: qui dum seipsum intelligit, in mente sua Verbum concipit, quod nos Filium Dei esse dicimus: nec aliud est in Deo seipsum nosse atq; intelligere, quam Deum esse. Nihil est.n. in Deo, nisi Deus. Deum autem cuius est Verbum, nominamus Patrem: & processum ipsius Verbi, generationem Filij dicimus. Nec veritas hæc de Verbo Dei apud Christianos tãtum illuxit; gentiles Philosophi ante Christi adventum eadẽ, quæ nos asserimus, nonnulli affirmaverunt. Siquidem Platonici Philosophi in suis libris apertissime dixerunt: quod *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.* Et reliqua ferme omnia cõprobant de verbo Dei, quæ Ioannes in Evangelio suo tradit, vsq; ad incarnationem verbi, quam ignorarunt: quia nondum natus erat Christus: & alta legis mysteria absconderat Deus à sapientibus huius seculi, quæ revelavit parvulis. Quod igitur Platonici verbum Dei nominant, & Deum esse dicunt: nos filium vocamus ex Deo genitum, & Deum esse fatemur: nec ruinam mundi ex filij generatione timemus, quando vnus duntaxat filius est. Et pater & filius vnum sunt, vna potestas, vna voluntas, vna maiestas: nec verbum conceptum ab intellectu concipiẽte discordat. Obscura hæc verba videbuntur: at si voles, prȩsto erunt, qui lumen afferant, & apertissima omnia reddant. Et tu Solẽ hunc corporeum cernis, qui noctẽ abiens, & diem efficit rediens: hic à seipso lucis producit radios: hæc productio, generatio quædam est in Sole: & radij solis, filij solis non inconvenienter vocantur. Quæ similitudo quantumvis multifarie est incepta: (nã Solis plures sæpe vidimus radios: Deo vnicus tantũ est filius) in eo tamen convenit, quia vna est & Solis & radiorum substantia, & vna est Patris & Filij divinitas atq; essentia: quamvis comparatio corporalium rerum nulla satis cum divinis quadrari potest. Sed accipe testimonia: & qui ratione non capis, cede auctoritati. Vetus testamentum & Iudæis & Christianis, & Saracenis cõmune est. Eructavit (inquit David ex persona Dei) cor meum verbum bonum: hoc est, quod Dei filium dicimus, & vnigenitũ patris æterni, non ex carnali coniugio aut humano cõplexu, sed ex corde Dei, id est, intellectu productũ asserimus. Et rursus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie* dicit: quia Deo nec heri præterijt, nec cras imminet: sed hodie semp adest, cui præsentia sunt omnia. Iterũ, Ante Luciferũ (inquit) genui te: vt intelligas, quia nõ loquitur de Salomone David, sed Deus pater de filio Deo: quia ante luciferum nemo fuit. Et in libro proverbiorũ legimus,

Sapien-

Sapientiam Dei, quæ Dei filius est, dicentem. *Nondũ erant abyssi,& ego iam concepta erã: ante montes & colles ego parturiebar*. Nũquã .n. pater sine filio fuit, nec sine patre filius. Et hoc est, quod in Evangelio inquit Ioannes: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ,& Deus erat verbum*. Quæ mysteria profunda & alta cũ non intelligeret Arrius, nec Mahumetes cõprehenderet: negare maluerunt veritatẽ Dei, quã suam ignorantiam confiteri: & suas ineptias imprudenter ingerere, quã aliorum sapientiã humiliter discere. Stulta hæc & dãnosa pertinacia est. Deo .n. & Prophetis eius oportet credere: & si quid est cuius rationem non capimus, debemus cũ Paulo dicere: *O altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei! quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Fatentur Iuriscõsulti, non omnium quę à maioribus instituta sunt rationẽ reddi posse: & tamen legi parendum esse, quia non sine causa condita fuerit: quanto minus arcana Dei licet cognoscere? Plurimæ sunt occultæ causæ, ad quas nulla potuit curiositas hominũ pervenire: quia sicut oculi noctuæ ad Solẽ, ita & noster intuitus ad ea quæ sunt divinitatis. Non est ergo mirandum, si neq; generationem filij, neq; Spiritus sancti processionem neq; trinitatẽ in divinitate intellexit carnaliter homo, vel Arrius vel Mahometus: sed illud in eis damnabile ac detestabile fuit, quod Sacræ scripturæ divinisq; testimonijs non acquieverunt. Nã quid opus est argumentis vbi Deus ipse loquitur? De Pythagoricis traditum est, quod in disputando soliti erant dicere, *Ipse ait*. *Ipse* autẽ erat Pythagoras, tanquã eius auctoritati nõ liceret adversari: quãto min' Deo, qui verax est: & omnis homo mẽdax. Sed negabis hæc esse Dei, quæ afferimus, testimonia. De his posterius dicemus. Nunc de Spiritu sancto agendũ est: cui tua lex divinos honores abrogat. Nõ est huiusmodi erroris Mahumetes inventor: Arrij, & Nestorij, & Macedonij hæc olim dementia fuit: quos sacra patrũ concilia damnaverunt: sed eorum virus apud Ægyptios & Arabes aliquandiu latuit: & postremo, auctore Mahumete & magistro eius Sergio, late diffusum est. Ne movearis, dum vera loquimur. Cave, ne sequaris cæcos: disce, Spiritum sanctum esse Deum, & tertiam in Trinitate fore personam. Diximus paulo ante, Deum patrem dum se cognoscit, Verbum concipere, & filium gignere. Nunc quod sequitur, adijcimus, cognitioni annexam esse appetitivam quandam operationem, cuius principium voluntas est: inter operationes vero, quas voluntas producit, præcipua est amare. Adhibe hic aures, & mentem erige. In Deo perfectam & absolutam fateri cognitionem oportet, & amorem pari modo: cuius processus per appetitivam operationem exprimitur: sicut & verbi generatio per intellectivam: & alia est operatio, qua intelligit, alia qua appetit. Intellectiva ex his completur, quæ sunt quodãmodo in ipso intelligẽte, nã sicut sensibilia in sensu, ita intelligibilia in intellectu dicimus esse. Appetitiva autem complementum accipit secundum quendam ordinẽ vel

motum ad eas res, quæ obijciuntur appetitui, & occultum quoddã principium sui motus habet. Ea verò quæ principio feruntur arcano, spiritus nomen acceperunt, nam & ventos spiritus esse dicimus: & in scripturis, procellarum spiritus appellantur: quia non apparet afflationis spiritus initiũ. Respirationem autẽ & arteriarum motum ab intrinseco & occulto principio manantem, vocamus spiritum: atque hoc modo congruenti quadam similitudine, quantum divina humanis verbis indicari possunt, diuin' ipse amor à patre filioque procedens, Spiritus dictus est. In nobis duplici ex causa procedit amor: aliquando ex corporea & materiali natura: & is plerunq; immundus est, & menti noxius: aliquando ex ipsa proprietate spiritualis naturæ, cum bona intelligibilia & rationi convenientia adamamus: & hic purus est amor, & laudabilis, & animæ salutaris. In Deo corporalis amor seu materialis locum nõ habet: sed ille tantum reperitur, qui simplex est, & nitidissimus, & purissimus, quem Spiritum Sanctum appellamus. Nec nos intellectuali & sancto amore quicquã prosequimur, nisi quod intellectu cõcipimus. Conceptio autem (vt diximus) quæ fit ab intellectu, verbũ est: atq; ita necesse est amorem ex verbo exoriri. Amat.n. Deus, quod de seipso intelligit, id est, verbum, quod concipit intelligendo. Verbũ autẽ Dei dicimus Filium Dei: qui & ipse Patrem novit & amat: atq; ita fit, vt amor ipse, cui Sanctus Spiritus est nomen, ex patre Filioq; procedat, sitque cum patre & Filio pariter Deus. Nam sicut divinum intelligere essentiæ divinitatis est, ita & amare. Et sicut Deus se semper intelligit: ita & se semper amat: & omnia amat, suam bonitatem dum amat. Rursusq; sicut Dei filius, qui est verbum Dei in natura divina subsistens, patri coæternus, perfectus, & vnus Deus est: ita & Spiritus sanct' Deus est Patri & Filio coæqualis, & coæternus. Et sicut omne ꝙ subsistit in natura intelligibili, apud nos persona dicitur, apud Græcos ὑπόςασις ita consequens est, vt tres personas in divinitate ponamus: quia tres sunt subsistentes, nimirum Pater, & Verbũ, & Spiritus sanctus: neq; has ꝑsonas dicimus esse per essentiã diversas, sed per solas relationes distinctas, quæ ex processione verbi & amoris proveniunt. Atq; in hunc modum Christiana religio divinitus illustrata, distinctas tres personas confitetur in divinis, non tres deos, sicut Mahumetes falso opinatus est: sed Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, vnum esse ab æterno Deũ asserimus: nec tamen ipsum patrem: qui Filius est, nec Filium, qui Pater est, nec Spiritum sanctum, qui Pater est aut Filius. Vna est .n. Patris & Flij & Spiritus sancti essentia: in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quamvis in personis alium Patrem, alium Filium, alium Spiritũ sanctum, divina docente auctoritate, dicamus. Nec similitudo in his, quæ creata sunt, summæ deest Trinitati. *Invisibilia Dei* (sicut Apostolus ait) *per ea, quæ facta sunt*, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quippe virtus eius ac divinitas relucet in anima nostra, quæ divinæ Trinitatis est imago.

Est

Est enim anima nostra substantia quædā incorporea,& ratione prædita, & actus quidam siue forma organici corporis: quæ dum corpus mouet & regit, sui meminit, se intelligit,& se diligit: quibus in rebus quædam apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ, & amoris. Tria hæc ad seipsa referuntur: quia non est amor sine memoria: nec memoria sine notitia: nam quis meminit aut amat, quod nescit? Inseparabilia sunt hæc à semetipsis: & tamen quodlibet eorum, & simul omnia vna essentia sunt, & vna vita in anima vna. Differunt tamen: quiā memoria non est intelligentia vel voluntas; nec intelligentia voluntas siue amor. Quod si hæc diligenter inspicias: inuenies summæ illius Trinitatis atque vnitatis vestigium,& imaginem quandam quamuis imparem. Quicunque enim sempiternam & incommutabilem naturam, per memoriam reminiscitur; intuetur per intelligentiam; amplectitur per dilectionem: Profecto reperit in se ipso summæ Trinitatis imaginem, non tamen omnino similem, sed qualemcunque; ita vt in similitudine magna inueniatur dissimilitudo. Etsi enim homo meminit, intelligit,& diligit: non tamen memoria est, nec intelligentia, nec dilectio: sed sunt hæc in eo & in vna substantia; non sicut accidentia in subiectis, quæ possunt abesse; sed substantialiter existunt in anima:& vnus homo est, qui habet hæc tria, non ipse est hæc tria. In simplici vero natura, quæ Deus est, quamuis vnus sit Deus, tres tamen personæ sunt, vt dictum est: & ipse Deus est hæ tres personæ. Sed illud satis ad rem nostram est: quia tria hæc aliquo modo vnum sunt. Reperitur & sub alijs nominibus,& alio modo in nostra natura illius summæ & ineffabilis Trinitatis imago. Nam mens, & notitia eius,& amor, tria quædam sunt. Mens enim nouit se, & amat se; nec amare se potest, nisi etiam nouerit se. Duo quædam sunt, mens & notitia eius: duo etiam sunt, mens & amor eius: Cum se nouit mens, & se amat, manet trinitas; scilicet mens, amor, & notitia: & hæc tria, quamuis distincta inuicem sint, vnum tantum esse dicuntur: quia in anima substantialiter existunt: & est ipsa mens quasi parens, & notitia eius quasi proles eius. Mens enim cum se cognoscit, notitiam sui gignit:& est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mēte & notitia procedit: dum mens cognoscit se, diligit se: non enim posset se diligere, nisi cognosceret se: amat enim placitam prolem notitiam suam. Et ita amor quidam complexus est parentis & prolis: nec minor est proles parente, cum tantam se nouerit mens, quanta est: nec minor est amor parente & prole, id est, mente & notitia. Considerat hæc rationalis homo: & videns tria in vna essentia concurrere, extendit se ad contemplationem creatoris: & intelligit vnitatem in trinitate,& trinitatem in vnitate: & vnum Deum colit, vnam essentiam, & vnum principium: sicut & Patriarchæ, & Prophetæ, atque Apostoli tradiderunt. Sed audiamus iam tandem ipsos:& diuinæ legis auctoritatem & te-

stimonia in medium afferemus: sine quibus vana est omnis argumentatio. Deum patrem omnes sacræ literæ confitentur: & Dei nomen ac paternitatem ad omnia refert: & si Filium dicimus, non possumus Patrem negare. De Filio adducta sunt testimonia legis: Ergo & Pater ostensus est: sicut & Saluator ait: Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Nunc de Spiritu sancto, quod cœpimus, prosequendum est. In Genesi legimus: Quia Spiritus Domini ferebatur super aquas. Quis tunc Dominus, nisi Deus, fuit? & cuius Spiritus, nisi Dei? & quomodo Dei spiritus, nisi Deus? Deus est, quicquid Dei est: nec aliquid illi immixtum est. Incompositus est, simplex est, & purus Deus. In Iobo scriptum est: Spiritus Domini fecit me: & spiraculum omnipotentis Dei viuificauit me. Dei sunt hæc opera, non hominis. Quis fecit hominem, nisi Deus? aut quis viuificat hominem, nisi Deus? Est igitur Spiritus Domini. Propter quod dictum est in Psalmis: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Quis hic spiritus, nisi Deus? quis impleat orbem, nisi Deus, cui cælum est sedes, & terra scabellum pedibus eius? Et apud Poetas Deum ire per omnes terras, tractusque maris, cælumq; profundum, traditum est. Et rursus: Estne Dei sedes, nisi tellus, pontus & aer, & cælum, & virtus? Propter quod recte ait Dauid: Quo ibo à Spiritu tuo? ostendens non esse locum, in quo possit fugere spiritum Domini, qui est vbiq;. Esse autem vbique, implere & continere mundum, soli Deo tributum est. Deus igitur sanctus Spiritus est, qui hæc peragit, & futura prænoscit, & prædicit: sicut scriptum est: Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, quia non moreretur, nisi videret Christum Domini. Non est cur Deum negemus, qui Dei efficit opera. Non igitur solus pater Deus est, neq; solus Filius: sed Spiritus sanctus cum Patre simul & Filio Deus est: Quia non aduersatur rationi trinitas personarũ in vnitate diuinitatis, quemadmodum superius ostensum est. Sed iam trinitatem ipsam ex sacris Codicibus demonstremus: & Moysen ante omnes audiamus: cuius hæc sunt verba in capite libri, quem Genesin nostri vocant: In principio creauit Deus cælum & terram: terra autem erat inanis & vacua: & spiritus Domini ferebatur super aquas. Tria commemorat: Deum, principium, & spiritum. Ideo in Deo Patrem intelligimus: in principio Filium: in spiritu Domini, Spiritum sanctum. Et accipitur hoc in loco principium pro Filio: sicut in Psalmis de suo filio dicit Deus: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te. Atq; ita in exordio nascentis mundi, trinitas ipsa in diuinis personis adducitur. Hic si placeret, interseri posset de Elohim, secũdum Hieronymum ad Marcellum. Tentans Diabolus primos parentes, interposito serpente; & suadens, vt edant de ligno prohibito: Eritis (inquit) sicut dij, scientes bonum & malum.

Quod

Quod perinde accipiendum est, ac si diceret, Eritis sicut diuinæ personæ, quibus ignotum est nihil. Et cum eijceretur Adam de paradiso, inquit Dominus: Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis. quibus nobis? Patre scilicet, & Filio, & Spiritu sancto. Sed manifestius eadem trinitas ostenditur, cum dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum ait, Faciamus & Nostram; plures personas inducit: cum dicit, Imaginem; vnitatem diuinitatis ostendit. Nec solitarius est, cum dicit, Faciamus: neque aliena à se loquitur, qui Nostram ait. Duo sunt pluralia verba, Faciamus & Nostram: vt videatur Pater cum Filio & Spiritu sancto miscere sermonem: quod non sono vocis, sed intellectu expressius est. Dixerat, Creauit Deus cælum & terram: Deus & Creauit, singularia sunt: quia vnus est Deus, & vna diuinitatis essentia. Subiungitur, Faciamus & Nostram: vt pluralitas in personis intelligatur. Idem & Psalmista canit regius, dum ait: Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quid manifestius dici potuit? In conditione cælorum tres personæ concurrunt, Dominus, Verbum, & Spiritus: Dominus, Patrem exprimis: in Verbo filium accepimus: Spiritus is est, quem sanctum vocamus. Et rursus Propheta, vt trinitatem personarum in diuinitate cognoscas, ter Deum prouocat in benedictione: Benedicat nos (inquit) Deus, Deus noster: benedicat nos Deus: & metuant eum vniuersi fines terræ. Trina Dei confessio, trinitatem exprimit personarum: & cum subditur, Metuant eum vniuersi fines terræ: vnitas aperitur diuinitatis. In Psalmo quoque XLIV. multum expresse trinitatem innuit, cum dicit Filio: Sedes tua Deus in seculum seculi: & postea subdit, Propterea vnxit te Deus Deus tuus, id est, Pater & Spiritus sanctus: & cum sequitur, Præ participibus tuis; mysterium quoq; incarnationis aperit: de quo suo loco prosequemur. Et Isaias in visione sua clamantes introducit Seraphim; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Ter sanctus ad tres personas refertur: & semel Dominus, & semel Deus dicitur: quia vnus est dominus, & vnus est Deus. Et rursus idem vates ex persona Christi loquitur, & dicit: Dominus meus misit me, & spiritus eius. Dominus meus, inquit; id est, pater meus: misit me, scilicet filium: & spiritus eius, qui est sanctus Spiritus. Quis hic non intelligat trinitatem? Non latuit Prophetas hoc mysterium. Possent & alia plura huiusmodi testimonia ex veteri testamento afferri, quæ Trinitatem plane ostendunt: planius tamen locutus est in Euangelio Dominus: qui cum in orbem mitteret discipulos: Euntes (inquit) docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Tres nominauit personas: In nomine, dixit; non, in nominibus: vt essentiæ vnitatem in personarum trinitate monstraret. Et Iohannes Euangelista, qui de pectore Domini veritatem hausit, in Epistola

sua

sua inquit: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt. Et Apostolus Paulus: Misit (inquit) spiritum filij sui in corda nostra. Et alibi: Spiritus eius, qui suscitauit Iesum, habitat in nobis. Et iterum: Ex ipso, inquit, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria. Ex ipso, dicit, propter Patrem: per ipsum, propter Filium: in ipso, propter Spiritum sanctum. Non dicit, ex ipsis, aut per ipsos, siue in ipsis: nec ipsis, sed ipsi gloria; vt trinitatem simul & vnitatem cognosceremus. Atque his testimonijs & auctoritatibus illuminata est desuper Christiana religio. Summa enim fiducia confitetur & prædicat, vnum Deum esse: qui est causa causarum; principium & finis omnium rerum: & omnis auctor creaturæ, & summum bonum: & nihilo minus tres personas in Deo recognoscit, & trinitatem in vnitate veneratur: cui qui aduersatur, salutis expertem se reddet; & ambulat in tenebris: & veritas non est in eo. Tu vero si sapias, de tenebris emerges: & candida luce perfusus, sacratissimam trinitatem & cognoscendo coles, & colendo cognosces: nec aduersaberis sacrosancto Euangelio, in quo legitur, Verbum caro factum est. Negat tuus Legifer incarnationem verbi. Nam cur (inquit) factus est Deus homo, & in ligno crucis passus; qui alio modo genus humanum redimere poterat? Negat tua lex Christi necem, & alium suo loco interfectum existimat: nec Deum incarnatum cognoscit, neque crucifixum, aut mortuum. Nos vtrumque prædicamus: quia factus est Deus homo, & passus est: & propter salutem hominis hæc facta esse testamur. Ait enim de se ipso Dominus: Venit filius hominis saluare quod perierat. Constabat primi parentis errato, omnes homines culpa teneri: clausa erat paradisi porta: nec mortalibus patebat in cælum aditus. Decebat summam Dei bonitatem, hominem, qui ceciderat, reparare; nec miserum esse perpetuo sinere, qui ad beatitudinem perfruendam creatus fuerat. Sed obstabat iustitia Dei, quæ pro peccato satisfactionem exigebat. Dignus erat infinita pœna, qui maiestatem offenderat infinitam: nec homo tanti erat, vt infinitam posset redimere culpam. Stabat hinc diuina iustitia, vltionem petens: illinc diuina bonitas, miserandum esse contendens. Audienda fuit vtraque vox: quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Quare etsi poterat Deus aliter humanæ imbecillitati consulere (est enim omnipotens) hic tamen conuenientissimus fuit modus, quem elegit; vt assumta humana natura, ipse pœnas solueret. Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus: veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Coniuncta est humanitas diuinitati, vt acciperet de plenitudine bonitatis, quod suæ defectum suppleret infirmitatis. Fuit hic modus saluandi humani generis diuinæ bonitati conueniens. Satisfactum est iustitiæ simul & misericordiæ; satisfactum est amori & odio. Placuit hoc diuinæ potentiæ, quæ omnem defectum nostrum sua virtute

supe-

superatu placuit & sapientiæ, quæ nihil frustra, nihil non decenter ac conuenientissime facit. Et licet necessitate absoluta, qua necessarium dicimus, sine quo aliud esse non potest, incarnatio verbi necessaria non fuit: eo tamen modo, quo necessarium accipitur id, quo conuenientius & congruentius peruenitur ad finem, dicere non pudet, ad reparationem hominis incarnationem filij Dei necessariam fuisse. Ego sum Deus, ego sum Dominus: & non est alius absque me saluator: ex persona Christi inquit Isaias: quia non poterat homo saluare seipsum, cui necessarium fuit, vt homo fieret Deus; & Deus homo saluaret hominem. Propter quod pulcerrime, & ad propositum aptissime scribit ex nostris professoribus vnus in hunc modum de mysterio diuinæ incarnationis: Suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad deponendum conditionis naturæ debitum, natura inuiolabilis est vnita passibili: Deusque verus & homo verus in vnitate reperitur: vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem hominum Deique mediator, & mori ex vno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum. Intelligis, quam conuenienter filius Dei carnem assumserit vt Deus; & mortem obierit vt homo. Sed quæris testimonia antiquæ legis? non negabimus: præsto sunt. Ecce (inquit Isaias) virgo concipiet & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel: quod interpretatur, nobiscum Deus. Quomodo nobiscum Deus est? nisi quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et iterum eiusdem Prophetæ verba sunt: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: cuius imperium super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. An non hic mysterium incarnationis plane ostenditur? & quæ tunc futura erant, tanquam præterita manifestantur? Puer (inquit) natus est nobis: quia natus est in humana paruitate: & datus est filius, quemadmodum Ioannes ait: quia sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret vnigenitum. Datus est Christus ex diuinitate: natus ex humanitate: natus ex virgine. Cuius imperium super humerum eius: quod est imperium Christi, nisi lignum crucis? in quo pependit; mundum vicit; aereas potestates debellauit: & subacto triumphatoque Diabolo, regnum suum potenter intrauit. Oportuit enim Christum pati, & sic intrare in gloriam suam: vt inquit ipse in Euangelio Lucæ. Imperium igitur super humerum eius fuit: quia crucem suam suis gestauit humeris: quamuis eo fatigato Simon Cyrenæus angariatus sit eam tollere. Dicitur admirabilis, propter signa & prodigia quæ fecit: lumen cæcis, auditum surdis, claudis ambulationem, debilibus fortitudinem, & mortuis vitam restituens. Consiliarius appellatur, propter Euangelica consilia, quæ adiecit antiquæ legi. Deus asseritur: ne putares purum hominem natum: nam Deus

humanæ naturæ coniunctus est: Fortis, quia spoliauit infernum; & portas æreas confregit, & vectes ferreos dissipauit. Pater futuri seculi: quia cælum aperuit electis, & regnum homini præparauit æternum post hanc vitam in cælesti Ierusalem. Princeps pacis; quia nato Christo clausum est apud Romanos templum Iouis, & mira pax exorta est: & Gloria in excelsis Deo, cantauerunt Angeli, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. Ostendit alio loco idem Isaias incarnationem Verbi, dicens: Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse veniet & saluabit nos. Quod perinde accipiendum est, ac si dicat, Carnem accipiet, ac mortem subibit. Et rursus: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Absconditus, inquit; quia in carne latuit: Saluator Israel; quia sua morte nostram mortem redemit. Et ne putes, temporalem esse salutem; saluationis genus addidit: Israel saluatus est in Domino: id est, in virtute Domini. Et subdit, salute æterna: quam consecuti sunt omnes, qui ex Israel Christo crediderunt. Apertissimum testimonium est Isaiæ: sed audi Ieremiam: cuius sunt hæc verba: Ecce dies venient, dixit Dominus; & suscitabo germen iustum ex semine Dauid: & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium: & in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Deus iustus. Considera verba, & attende mysteria. Suscitabo (inquit) germen iustum, id est, Christum sanctum & iustum ex semine Dauid secundum carnem: quia ex prosapia regia & de sanguine Dauid, Maria mater Domini nata est. Et regnabit rex: quomodo regnabit? Sane quemadmodum ipse apud Matthæum in Euangelio dicit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: quod est regem esse. Et sapiens erit: sapientia re-ata scilicet quæ hominis est, & increata quæ Dei est, & quæ ante secula. Et faciet iudicium, discretionis scilicet & discussionis: nunc quidem discretionis, dum eligit ex mortalibus quos vult, & alios suo arbitrio dimittit: & in fine seculi discussionis, quando reddet vnicuique secundum opera sua. In diebus illis saluabitur Iuda, id est, quicunque crediderint & baptizati fuerint, salui erunt.

Et habitabit Israel confidenter; in statu Ecclesiæ triumphantis. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Deus iustus: vt scias, quia Christus ex semine Dauid natus est, non solum homo, sed etiam Deus est: nec alteri quam Christo hæc verba conuenire possunt. Accedat & alius Propheta, Baruch nomine: quid ille ait? Hic est (inquit) Deus noster: & non æstimabitur alius aduersus eum: hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Docent hæc omnia incarnationem Verbi: & hominem factum Dei filium manifestant. Nunc de morte audi: & eos contemnito, qui Christum volunt esse translatum, & nondum mortuum: sed incredibili demen-

mentia circa diem supremum iudicij cum omnibus angelis interficiendum putant. O nefandam audaciam, & stultitiam alias inauditam! dimittimus; angelos, quorum substantia incorporea est & immortalis: Christum interfectum negant, & aiunt interficiendum. At Dauid ex persona Christi: Quæ (inquit) non rapui, tunc exoluebam: quia non peccauit, & pœnas dedit; pro alieno delicto mortem subijt. Quod manifestius Isaias ostendit, dicens: Vere languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit: ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum: & liuore eius sanati sumus. Omnes enim nos quasi oues errauimus: & vnusquisq; in via sua declinauit: & Deus posuit super eum iniquitatem, id est, pœnam pro iniquitatibus expiandis omnium nostrûm. Et subditur: Oblatus est, quia ipse voluit: & nõ aperuit os suum. Et paulo post: Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est: ipse multorum peccata tulit, & pro transgressoribus rogauit. Si vidisset Propheta passionem Christi: vix potuisset apertius loqui. Nec Ieremias tacuit tormenta Domini: qui eum ex ligno crucis ita loquentem inducit: O vos omnes, qui transitis viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus. Et ipse Saluator de se ait: Ecce ascendimus Ierosolymam: & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die resurget. Et iterum alibi: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam. Et ne de morte dubites, scribit Euangelista: Cum accepisset Iesum acetum, dixit: Consummatum est: & inclinato capite, emisit spiritum. Prophetę Christum moriturum, & à mortuis resurrecturum prædixerunt. Euangelistæ & obijsse in cruce, & sepultum resurrexisse tertia die affirmant. Certa res est: nihil ambiguitatis habet: veritati omnia consonant. Resurrexit Dominus: ascendit ad cælum: & venturus est iterum, vt faciat iudicium in fine seculi. Tua lex hæc non recipit: quia non sapit de Christo, quæ sapere oportet. Cuius alterum aduentum non solum Euangelium, sed antiqui etiam vates ostendunt: sicut paulo ante de Ieremia diximus. Contestis eius est Daniel, dicens: Ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat: & vsq; ad antiquũ dierum peruenit. Et sequitur: Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei. Quib. in verbis viri doctiores iudicium Christi facile inueniunt in fine mundi. Et ipse Christus de seipso loquitur: Dico vobis, ꝙ vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicãtes 12. trib. Israel. Et in Actis Apost. legim⁹: Constitutũ esse Christum à Deo patre viuorũ & mortuorum iudicem. Hæc nos de Deo sentimus: hæc & firmiter credimus: hæc salubriter prædicamus: æternã vitam

 promit-

promittentes omnibus, qui Christo credunt: & in Trinitatis nomine baptizati, opera faciunt Euangelio digna. Quæris, quæ sit ista vita æterna: quid agat illic homo; qua voluptate lætetur: & quam beatitudinem assequatur? Respondemus cum Euangelio Ioannis: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Summa tibi felicitas erit, videre Deum in sua natura, & eius perfrui bonitate. Gaudio nostræ mentis hinc satiabimur, hinc implebimur: hinc summa felicitas erit, hærere Deo, & Deum cognoscere. Videmus enim nunc speculum (vt ait Apostolus) tunc à facie ad faciem, & in iubilo, teste Iobo. In facie Domini videbimus lumen & satiabimur, cum apparuerit gloria eius: & erimus sibi similes, vt ait Ioannes. Nec oculus vidit, inquit Isaias, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ promisit Dominus diligentibus se. Et Apostolus; Non esse condignas passiones huius seculi dicit ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Tua lex in alia vita flumina lactis & mellis & vini promittit, & cibaria delicata, vxores multas, & concubinas, & virginum coitus, & angelorum in turpibus obsequijs, ministeria, & quicquid caro deposcit. Bouis hæc paradisus, & asini potius, quam hominis est. Nam quis mortalis est, hominis habens faciem, qui per omnem vitam suam corpori seruiat? quis non aliquando in mentis secessum abit? quis non pascit intellectum aliquando, & à sensibus recedit speculando? An non est honoris & gloriæ voluptas multo iucundior & diuturnior, quam cibus ipse vel potus? Bibit sapiens atq; edit, vt viuat: tua lex ideo vitam homini appetendam existimat, vt edat & bibat. Sicut in hoc seculo carneus fuit Legifer tuus: ita & in futuro carni studendum putauit: neq; curauit satiare mentem, cui omne studium fuit implere ventrem: atq; in ea re summum bonum esse putauit; quod neq; gentiles Philosophi, præter paucos, admisissent: inter quos summa fuit de summo bono dissensio. Alij in doloris priuatione felicitatem posuerunt, vt Didonius: alij in honestate voluptati coniuncta, vt Calipho & Sinomachus: alij in scientia, vt Herilus: alij in sola virtute atq; honestate, vt Zeno & Stoici: alij in bonis animi, & corporis, & fortunæ, vt Aristoteles & Peripatetici: soli Aristippus & Epicurus, & eorum schola, summum bonum in voluptate locauerunt: atq; his tua lex conformis est, qui fex omnium philosophorum & fœtidum cœnum fuere. Nec tamen illi in eo errore fuerunt, vt hanc felicitatem in altero seculo expectarent, quib. futura vitæ spes nulla fuit, mortalem animam existimantibus. Nostri Philosophi summum bonum nec in terra, nec in sensu, sed in cælo & in Deo quærendum censent: & eo satiandam mentem existimant. Et natura instituit nos, vt cælum aspicientes, eò votis omnibus aspiremus: sicut est illud Poeticum;

Os homini sublime dedit: cælumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Quis

Quis nescit finem his præstare, quæ sunt ad finem? Omnia hæc corporea oblectamenta eo reperta sunt: vt spes hominis conservari, & in suum finem, qui est Deus, per hæc adduci posset. Quis aut ederet, aut biberet, aut procreandis liberis operam daret, nisi esset in his aliqua delectatio? At hæc non est finis hominis, qui ad Deum factus est: & nisi ad Deum veniat, nunquam quiescit: nec per carnales delectationes ad Deum ipsum pervenitur: sed quanto his magis immersus est homo, tanto est ab ipso DEO remotior: qui aliquando eo beatior existit, quo angelicæ divinæque naturæ magis ac magis adhæret: nec curat carnalia desideria, qui bonis fruitur spiritualibus.

Sicut ignis & aqua simul esse non possunt: sic deliciæ spirituales carnalibus non cohærent: trahunt illæ ad se humanam naturam, & totam in se rapiunt, neque sentire sinunt, quæ caro appetit. Gustato spiritu, desipit omnis caro, vt inquit vnus ex nostris. Tua lex in Paradiso voluptates admittit, quas nec Solon nec Lycurgus permisit in terra. Quot fœditates de cibo & potu & alijs voluptatibus oriuntur: quas in Paradiso nefas fuerit nominare? Aut enim gignerentur sine fine homines, & implerent omnia nunquam morituri: aut frustra esset permixtio maris & fœminæ sine fructu, quæ etiam in hoc mundo damnatur. Dicis, quid ergo fœminis opus est, si non est coitus? Dicimus & nos, Quid opus est coitu, si non est generatio? propter voluptatem, dices. At hæc fœda voluptas est, & indigna, quæ Paradisum non ingreditur. Nam quomodo illic permissa erit hæc turpitudo, quæ hic tanquam obscæna prohibetur? & tantum propter sobolem, aut evitandi maioris mali causa permittitur? Hippocrates divinæ vir scientiæ, venereum coitum partem esse quandam morbi teterrimi existimabat, quem nostri comitialem dixerunt.

Quis igitur habens aliquid humani pudoris (vt verbis cuiusdam gentilis vtamur) voluptatibus istis duabus coëundi atque comedendi, quæ homini cum sue atque cum asino communes sunt, gratuletur? Non sunt hæc, quæ pia mens in cælo requirat. Dicis iterum: Igitur non erit plena felicitas in Paradiso, si aliquod defuerit oblectamenti genus? Ergo vt existimas, cum varijs rebus oblectentur homines, saltatione, venatione, piscatione, ludo, lucro, cantu, cibo, potu, venere, & alijs quampluribus, eadem omnia in Paradiso tuo requires: & cum Virgilio dices:

Quæ gratia currûm
Armorumque fuit, vivis quæ cura, nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Vana hæc Philosophia est: quam nulla vnquam civitas bene instituta

recepit. Nos (vt diximus) mentis gaudia & spirituales delicias quærimus. Beatitudo nostra, quam expectamus in altera vita, est ipsa Dei visio: qua nihil optabilius inveniri potest. Videbit enim beatus animus & quæ sunt in cœlo, & quæ sub cœlo. Quid erit, quod eius aspectũ fugiat, qui videbit videntem omnia? Quæ nunc videntur obscura de Deo, de Trinitate, de incarnatione Verbi, de processione sancti Spiritus, de sacramentis ecclesiæ, de cæteris arcanis; tunc aperta erunt & manifesta: nullum deerit oblectamentum: nihil requiret vltrà plenus animus. Nam quid pleno opus est? nihil illi deest, qui nihil cupit. Desideria nostra implebit optimus ac maximus Deus: in quo omnia bona insunt: nec vllum cupiditatibus nostris relinquet locum. Erit Deus omnia in omnibus: qui sine fine videbitur, sine fine amabitur, sine defatigatione laudabitur.

Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illius supernæ civitatis quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse; cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere: incircumscriptum lumen videre: nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuo munere lætari. Neque illic beatitudo humani corporis in epulis erit, aut in vino, aut in coitu. Ex redundantia beatitudinis animæ glorificabitur corpus ipsum, & similitudinem eius induet. Fulgebit tanquam Sol in conspectu Dei: teneritati eius nulla resistet materia: levitas & agilitas infinita spacia in ictu oculi permeabit: nihil erit, quo amplius lædi possit: inviolabile erit & impassibile, more animæ: & ita totus homo exultabit, & dicet cum Propheta: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Nec frustra erit differentia sexuum, aut artus reliqui superfluent. Resurgent viri & fœminæ integris membris: & non solum in specie, sed in ipso individuo humanæ naturæ perfectio redintegrabitur: nec tamen animales operationes aderunt: nec commixtio maris & fœminæ: quia cessabit causa, propter quam fuerat introducta.

Erit enim completa multitudo hominum à Deo præfinita: nec vllus erit carnalis appetitus: nec pulsabit tentatio inimici: non patebit insidiæ locus: cùm perventum fuerit ad triumphum, pax ibi inconcussa, & quies, & summa concordia vigebit. Vides inter tuam & nostram beatitudinem quantum interest. Nostra felicitas nobiliori hominis parti, id est, animæ respondet; tua viliori, id est, corpori: nostra mentalis est, tua carnalis: nostra fulgens & nitida, tua obscura & fœtida: nostra cum angelis & ipso Deo communis est, tua cum suibus & alijs pecoribus: nostram docti omnes Philosophi laudant, tuam vituperant: nostra cælo digna est, tua etiam in terra reprehenditur.

Sed

Sed dices, In sacris etiam codicibus convivia reperiri, quæ futura videntur in cælesti Ierusalem, ciboque plena. Inquit enim Isaias: Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium. Et in Sapientia legimus: Miscuit vinum, & posuit mensam. Et iterum: Venite & comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.

Et in Ecclesiastico: Cibavit illum Deus pane vitæ & intellectus: & aqua sapientiæ potavit illum. Et Dominus apud Lucam: Ego (inquit) dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Omnia hæc & his similia spiritualem habent intelligentiam: quia de mensa ista sapientiæ, non corporalis vel cibus vel potus assumitur, sed mentalis, qui suavissimus est ac mundissimus: & hic est, quem nos expectamus in futuro seculo. Tanto est igitur nostra dignior, quam tua, felicitas: quanto nobilior & divinæ beatitudini propinquior. Sed attingamus nonnullas alias tuæ legis ineptias: quæ tum sacris literis adversantur, tum Philosophicas rationes excludunt. Dixit Legifer tuus, quod tetigit eum Deus manu sua inter humeros, & vsque ad medullam dorsi eius penetravit frigus. Quod perinde est, ac si corporeum esse Deum affirmet: quia tactus non est, nisi per corpus. Nos incorporeum dicimus Deum. Ait enim Ieremias ex ore Dei: Cælum & terram ego implebo: quod non posset fieri, si corporeus esset. Et propterea dicit in Psalmis David: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Spiritus (inquit) Domini, non corpus Domini. Et Ioannes in Evangelio, Spiritus est Deus. Philosophi Deum purum actum esse dicunt, principium omnium rerum, naturæ omnino simplicis & æternæ. Quod si corporeus esset compositus ex elementis aut alia materia: & posterior suis partibus, neque simplex, neque purus, neque origo omnium rerum: creaturas haberet se ipso excellentiores, angelos scilicet (nobiliora sunt enim Spiritualia, quam corporea) quod est opinari absurdum, ne dicamus asserere. Nec simul stare potest, vt causa causarum sit Deus (sicut Philosophi volunt & recte volunt) & compositus inveniatur. Esset enim ab alio compositus: & illum nos potius diceremus Deum, qui composuisset. Non est igitur corporeus: quia compositus non est.

Nec movemur, quia in sacris literis & caput, & manus, & pedes, & oculi, & digiti, & cor, & vterus, & huiusmodi attribuantur Deo. Vtitur enim Spiritus sanctus, qui loquitur in scripturis, vocabulis quæ sunt in vsu, per similitudinem quandam. Sicut dicit Ezechiel ex persona Dei: Ego visionem multiplicavi eis: & in manibus Prophetarum assimilatus sum eis. Est enim naturale homini per sensibilia ad intelligibilia pervenire: & omnis nostra cognitio à sensu capit exordium.

Atque idcirco spiritualia nobis in sacris Codicibus sub metaphora corporalium exhibentur: atque ita fit, vt etiam rudes aliquid capiant, qui alioquin essent divinæ sapientiæ minus idonei auditores. Dixit præterea tuus Mahometes, omnium peccatorum causam esse Deum: & exclamans, his vtitur verbis: O Deus, quibus vis bonam, quibus vis malam viam præbes. Nos mortale peccatum, aversionem quandam esse dicimus ab vltimo fine: nec possibile censemus, Deum, qui vltimus finis est, voluntatem cuiuspiam à se avertere: esset enim sibi ipsi contrarius. Et si Deus omnia diligit, quæcunque facit (vt est illud Sapientiæ: Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti) quomodo consentaneum est, vt peccati causa sit ipse Deus? Sic enim ait in Psalmis David: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Et in Ecclesiastico legimus: Omne excrementum erroris odit Deus. Contraria sunt amor & odium. Audi vlterius intolerabilem legis tuæ errorem: Si nobis (inquit) incumbunt: incubuerunt & cæteris: sunt enim isti dies casus atque fortunæ. Negat divinam providentiam curare mortalia. Nos de divina sapientia dicimus, quod attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: nec summæ Dei bonitati convenit ea negligere, quæ creavit. Propter quod inquit apud Matthæum Dominus: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Addit Mahumetes, angelos creatos ex flamma ignis, & peccare, & mortuos esse.

Nos cum Propheta dicimus, quod Deus fecit angelos suos spiritus, & creavit eos ex nihilo. Et Philosophos nobiscum sentientes habemus: qui omnes angelos, quos vocant intelligentias, incorporeos esse dixerunt: nec peccatum in angelis reperiri posse censemus, qui Deum in essentia videntem omnia vident: & omnia intelligunt ad suam perfectionem necessaria: nec est in eis ignorantia, peccati mater: nec subiectam corruptioni naturam angelicam arbitramur, in qua non est materia, quæ separari possit à forma: sed ipsa forma per se subsistit incorruptibilis & immortalis. Origenis præclari & excellentis ingenij viri, sicut multa extant præclarissima opera, ita & nonnulli errores perniciosissimi reperiuntur: inter quos vnus ille est, quia dæmones per Dei misericordiam liberandos esse aliquando à pœnis asseruit.

Hunc secutus est Mahumetes, qui salvandos per Alcoranum malos angelos affirmat. Nos cum Isaia de omnibus damnatis, sive hominibus sive angelis, vnam sententiam habemus: quod vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et Salvator in Evangelio damnatis in vltimo iudicio ignem æternum repromittit, Diabolo & Angelis eius præparatum. Quid? quod tuus legifer animam humanam portionem esse asserit animæ Dei? Sic nonnulli Philosophi palam tradiderunt, & Mani-

chæi

thæi secuti sunt. Nos humanam animam ad imaginem & similitudinem DEI factam dicimus, sicut scriptum est in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quod de anima dictum est, non de corpore. Quod si anima hominis portio esset DEI, esset vtique DEVS: nec esset homo non Deus, quod stultissimum est: cum manifestum sit labi hominis animam à bonitate in malitiam, à veritate in errorem, à gaudio in tristitiam, à spe in desperationem: quod est à DEI substantia penitus alienum.

Nec illud verum est, quod in vestra lege traditur, animas hominum ex materia productas esse omnes. Asserunt enim Philosophi, ab extrinseco esse homini intellectũ, & quod innatus sit spiritus vitæ iussu Dei. Et Theologi rationales animas omnes ex nihilo creatas dicunt. Et Adam cum factá vidisset fæminam. Hoc os (inquit) ex ossibus meis, & caro de carne mea: non dixit, anima de anima. Et Propheta in Psalmis canit: Qui finxit singulatim corda eorum. Ponitur enim cor pro anima: quia sedes eius in eo est. Et Deus sibi animarum productionem reservavit propter earum dignitatem: qui per Isaiam ait: Omnem flatum ego feci. Quod intelligitur de flatu spirituali, qualis est rationalis anima. Præterimus, quod cælũ ex fumo factũ dicitis: quod si verum esset, corruptioni subiaceret: præterea quod Solem & Lunam æqualis ab initio virtutis & hominis tuus Propheta testatur: nos dicimus, cælum ex nihilo creatum, & duo luminaria magna fecisse Deum ab initio: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.

Ad illud transimus, quod in vestra lege dulcissimum & saluberrimum esse putatis, vxores multas ducere. Quod si DEO placuisset: creato homini ab initio non vnam tantum sociam præbuisset, sed plurimas: nec dixit DEVS, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxoribus suis; sed, vxori suæ, dixit. Nec amicitia inter virum & vxorem vera esse potest, vbi non est æqualitas, cum vir pluribus misceatur; mulier vero vni tantum adhæreat, cuius est in alias plures distractus amor. Nec propterea numerus hominum augetur, quia plures vni nubant fæminæ: nam totidem viri privati coniugio sine prole decedunt, & præsertim cum mulieres numero pauciores existant. Iniqua insuper res videtur, & naturali adversa libertati, vnius vrbis civium alios multiplici matrimonio vti, alios in solitudine degere. Nec propterea ea laudanda consuetudo, quod in veteri lege plerosque sanctos viros pluribus vxoribus fuisse coniunctos legimus: quia non id ex lege aut ex voluptate fecerunt: sed divina quadam dispensatione, & ad sobolem procreandam, quæ cresceret in cultu Dei. Tacemus de divortio, quod permittitur apud vos contra legem Evangelicam; & de adulterio & fornicatione, & alijs sceleribus: quæ

licet antiqua lex detestatur, & nova prorsus abominetur, apud vos tamen concessa videntur. Non est, quod omnia tuæ legis errata percurramus: quando neque nobis scribendi, neque tibi legendi satis est otij: & tu ipse pro tuo ingenio multa intelligis adeo stulta esse, vt nulla possent ratione defendi. Tota de Deo quæstio est: huc omnia referuntur: totum in hoc consistit, vt CHRISTVM IESVM Deum esse credamus: quo concesso, necesse est eius legi obedire, & eius verbis credere, qui verax est, & mentiri non potest. In eius lege Trinitatem, de qua supra diximus, in vnitate divinitatis comperimus, & incarnationem verbi, & processionem Spiritus sancti, & reliqua omnia, quæ retulimus vsque ad extremum iudicium. Quod autem Christus Deus sit, iam supra ostensum est ex veteri lege atque prophetis: licet etiam ex tua lege demonstrare, quæ Prophetam & sanctum virum fuisse Christum asserit. Si Propheta & sanctus, ergo verax: si verax, & Deus. Nam Deum se ipse testatus est dicens: Ego & pater vnum sumus: Et qui videt me videt & patrem: Et, si creditis in Deum, & in me credite: & alia multa huiusmodi, per quæ divinitas Christi colligitur, & æqua cum Patre & Spiritu sancto maiestas.

Bene est igitur, vt legem nostram amplectaris, quæ verax est & salutaris à Deo data: & tuam relinquas, in qua non est veritas neque salus: homo illam tulit, peccatis & ignorantia plenus. Intellexisti, quanta adducimus ex veteri lege testimonia, quibus Deus ostenditur & homo Christus Iesus, & pro nostra salute supplicio crucis affectus. Audivisti sacras sancti Evangelij attestationes, & ipsius Christi voces, quem tua lex sanctum habet. Quis igitur obstat baptismo? quis prohibet aquam? quid moraris? Ingredere iam tandem salutis iter cum præcellentibus viris & magnis Imperatoribus: ad æternam salutem sub Christo pervenies. Diximus de Constantino Seniore, & Philippo: qui Rempub. tenentes, in Christum credidere. Post Constantinum creati Cæsares idem iter secuti sunt, & in fide nostra obierunt: excepto Iuliano Apostata, qui ex monacho Cæsar factus, transivit ad idola, quæ vitam laxiorem promittebant. Sed ille in bello Parthico pænas dedit, & sagitta confossus in incertum missa, coactus est cadens dicere: Vicisti Galilæe. sic enim per contumeliam vocabat Christum. Fuerunt & aliqui schismatici & hæretici: qui etsi Christiani censebantur nomine: non tamen recta incesserunt via. Imperatores Christiani nullo errore polluti inventi sunt Iovinianus, Gratianus, Iustinianus, a Iustinus, duo Theodosij, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus, Ludovicus, & plures Franci & Teutonici, tres Othones, Henrici aliquot, & nō pauci sub alijs nominibus. Præterimus alios Reges fama claros, qui vel in Gallia, vel in Hispania, vel in Anglia, vel in alijs provincijs, Christianis sacris initiati fuerunt: & Domino mortui, ad vitam creduntur migravisse beatam. Cum

his

his non est cur te pudeat Christi iugum subire, & sub eo regnare, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Multos invenies reges, qui te colentem Christum honorabunt. Etsi enim aliquando horrebant reges Christi nomen: & propter idola Christianos persequebantur: postea tamen propter Christum idola deleverunt. Honesta hæc societas est, cum qua te vocamus in viam salutis, veritatis & pacis: illa nihil dignitatis habet, cum qua te tua lex in devia rapit. Nam præter Othonianorum familiam, de qua natus es, & illustres progenitores tuos, quis est qui magnopere laudare inter Saracenos queat? Colebatur Saladinus quidam, & aliqui pauci nomen habent, qui res memoria dignas gessere. At Christianorum excellentissima nomina omnes historias impleverunt. Noti sunt in Syria, & in Ægypto, & in Asia, Godefridus, Balduinus, Bohamundus, Tancredus, Conradus, Philippus, & alij admodum multi, qui ab extremis Galliarum & Germaniæ finibus, cum ingentibus copijs Hierosolymam petiere: iterque sibi per medios hostes ferro paravere. Hos tibi comites damus: cum his te Christo iungere cupimus: honestiores hi socij sunt, quam Ægypti effæminati, aut imbelles Arabes. Tua origo, sicut accepimus, Scythica est: inter Scythas multos fuisse viros in armis claros memoriæ traditur: qui vectigalem Asiam pluribus seculis tenuerunt, & Ægyptios vltra paludes eiecerunt. Non sunt comparandi aut Ægyptij aut Arabes Scythico generi: non est forti & ignavo æqua societas. Mirandum est, tantum potuisse suis festinationibus Arabes, vt audaces & præstãtes Scythas in suam societatem adduxerint. Quid dicimus societatem? non est hæc societas: servitus est, quando eorum legi subiectus es: quæ vtinam lex esset, & non deceptio ac præstigiæ. Conformior tibi cum Christianis societas erit. Fortibus viris facilè admittuntur fortes: virtus virtuti placet. Pulcra & stabilia sunt inter æquales consortia: si eadem religio est, idemque cultus Dei. Age igitur, accipe Christianos socios: accipe fidem & baptismum; qui te hic in terris faciet magnum, quoad vixeris, & post obitum in cælo beatum reddet. Audisti promissa Evangelica: & quomodo cuncta, quæ diximus, veteris legis auctoritate probantur. Sed times, ne te decipiamus: recordaris tui Legislatoris: qui asserit, legem & Prophetas à Iudæis, Evangelium à Christianis esse corruptum: tantumq; de veritate vel novi testamenti vel veteris remansisse, quantũ Alcorano continetur. Exploratum id forsitan arbitraris & verum esse, atque idcirco testimonijs nostris non adhibes fidem: nec baptizari audes, aut in Christum credere. Vtinam tam bonus fuisset tuus Legifer, quam callidus; tam verax, quam versutus, tam iustus, quam iniquus: tota est artificiosa & fraudulenta lex eius. Nam qui divinum sibi abesse auxilium non ignorabat, ad humanas confugit astutias: cupiebat legem edere, quæ sibi nomen daret: famamque etiam per flagitia exoptabat, vt Herostratus ille, qui Dianæ Ephesiæ templum incendit.

Et animadvertens, antiquam & novam legem, quamvis honesta esset, duram tamen vulgo videri, & servatu difficilem: suam ipse edidit, quæ voluptatem humano generi amicam permitteret. Sic enim facile fieri posse existimavit: vt innumerabiles populi in suas traditiones concederent. Nã gentiles quamvis laxiori lege tenerentur, quam Christiani: continentiam tamen, & modestiam, & frugalitatem commendabant: & Philosophis auscultabant virtutis amatoribus: neque sinebant suos cives corrumpi vitijs, aut voluptate marcescere. Crevit igitur secta Saracenorum, licentia virorum. Placuit vxores ducere, quot vellent: easdemque dimittere, cum displicere cœpissent: habere concubinas complures, & in omne libidinis genus posse provolvi: indulgere ventri, cuncta quæ vellet, & ori, præter vinum, & vniversis immergi voluptatib᾽. Etsi enim aliqua ieiunia in lege tua præcipiuntur: id etiam ad irritandam voluptatem factum est. Nam Saraceni diem ieiunantes, nocte, quam longa est, epulantur & bibunt. Nec aliam ob caussam vini vsus interdictus est: nisi quia noceret in ardenti terra, qualis est Arabia: & maior est in frigidis voluptas poculis. Hoc vnum ergo in Mahumeto intentum fuit, vt legem propagaret suam: ea præcipiens, quæ grata essent auditoribus, & maxime plebibus, quæ iumentis similes existunt: nec fefellit eum opinio in hac parte. Placuit nova lex, & brevi tempore ita culta fuit: vt in multis populis, gentibus, & linguis reciperetur: cuius fundamenta in voluptate iacta fuerunt. Verum sicut agricola non imprudens, postquam vineam plantavit, fossam circumducit & sepem, ne destruatur à feris: ita & Mahumetes suam legem conservare ac munire statuit. Animadvertit homo sagax, duobus modis suum dogma convelli posse atque confundi, auctoritate scilicet & ratione: atque adversus hæc duo quæ poterant inveniri remedia, non neglexit. Auctoritati opposuit, quod paulo ante retulimus, antiquam scilicet & novam legem depravatam esse; nec quicquam veri restare, nisi quod Alcoranus haberet. Rationi arma obiecit, iubens ne quispiam de sua lege disputaret, neve rationem quæreret: in eum, qui contra niteretur, ferro vindicandum esse: atque huiusmodi vallo suam legem callidus veterator communivit. Sed non est hic adamantinus murus, neque ferreus, neque ex vivo lapide: fragili materia est, creta & luto munita domus: facile oppugnabitur: neque resistit telis nostris: facile ruunt ædificia in arena fundata. Aggrediamur hæc telis tuæ legis munimenta. Corruptionem inprimis sacrarum literarum obijcitis. Hoc ei probandum fuerat, qui factum asserit: nobis satis erat negare factum. Libet tecum aliter agere: & apertam tuæ legis latoris calumniam ostendere.

Lex Iudaica, quam Moses & Prophetæ tradiderunt antequam Mahumetes nasceretur, pluribus seculis scripta fuit: & multis in locis propugnata,

& in

& in alienas translata linguas: nec fuit vnus interpres, sed plurimi: rogante Ptolemæo Philadelpho, septuaginta Presbyteri legem interpretati sunt, & consona dixerunt. Aquila etiam, & Theodotion, & Symmachus, & alij vetus testamentum traduxerunt. Facta est antiqua lex, & Græca, & Latina multis ætatibus antequam tua promulgaretur. Impletæ sunt omnes bibliothecæ Mosaica & aliarum Prophetarum traditione, Alexandriæ, Romæ, Athenis, Carthaginæ, Syracusis, Toleti, Lugduni, & in omnibus locis, quæ insignia essent: siue apud Græcos, siue apud Latinos, vetus testamentum ex Hebraica veritate traductum & habebatur, & publice legebatur. Quis ille Iudæus tam potens fuit, qui corrumpere legem vbique gentium potuit? Nondum natus erat Christus, cum LXX. Interpretum editio facta est: quo tempore nulla erat causa corrumpendæ legis; cum nulla esset cum Christianis, nondum natis, de lege contentio: nec propter alios oportebat legi aliquid detrahere, qui legem non acceperant: nec propter se, qui talem acceperant, & laudabant; si qua corruptio interuenit, in ea potuit interuenire, quæ apud Hebræos remansit; non in ea, quæ inter Latinos & Græcos diuulgata est, & per infinitas diffusa prouincias: quanquam nec Iudaica corrupta est, quæ vsque in hunc diem cum Græca & Latina traductione concordat, difficilis ac pene impossibilis fuisset corruptio in tot manibus. Mahumeti leue fuit vnum Codicem corrumpere, & illum tanquam verum his tradere, qui sibi ab initio crediderunt.

Quod si multi sunt hodie apud vos Codices vnius continentiæ: non tamen idcirco veritas in eis est: ab vno enim, qui falsus erat, emanantes, omnes falsitatem continent: quia non defluunt ex amaro fonte dulces riuuli. Quærimus ex te, magne Princeps; si te iudice duo rationum codices afferantur, quorũ alter ex altero transscriptus existat; & in eo, de quo facta est transscriptio, Sempronius mille debere talenta scriptus est; in exemplari, duo millia: cui potius fidem dabis? an non exemplo magis, quàm exemplato? Hebræi parentes antiquæ legis existunt; & apud eos exempla legis habentur, apud alios exemplaria.

Rursus ex te quærimus, quatuor inueniuntur rationum libri apud quatuor negotiatores, Seium, Caium, Titium, & Sempronium. In eo, quem Sempronius producit, creditor ipse Lucij in centum talentis scriptus inuenitur, in alijs debitor; cui credes? quid respondebis? an non tres libros vni præferes? Certe non dubitabis præferre. Si ita iudicas, soluta quæstio est. Quatuor libri habent vetus testamentum: vnus est Hebræorum; alter Gentilium, tertius Christianorum, vltimus Saracenorum, qui à cæteris discrepat: mendax enim est: nam reliqui conformes inueniuntur. Nam & Græci qui gentiles erant, ante Christi aduentum; & Latini ante Mahumetem, vetus testamentum non alio modo habuerunt, quã nos hodie habemus. Hoc

fortasse inficiari possis: quia non reperiuntur hodie gentiles, qui bibliothecas habeant veteres. Sed interroga Iudæos: inuenies vera esse, quæ dicimus. Et adhuc extat Iosephus Hebræus; qui translationem antiquæ legis in manu Ptolemæi, quem nominauimus, emanarunt; quæ vsq; in hunc diem perseuerant, & Hebraicæ veritati concordant. Stulta est igitur Mahumetis fictio, & turpis inuentio: nec quicquam habet verisimile: nec tam confusione, quam irrisione digna est. Quod diximus de veteri Testamento, idem licet de Nouo intueri: quod nec ab vno scriptum est; nec in vna lingua; nec in vno loco; nec in vno tempore: & tamen vna sententia est, & vnica concordia. Quod Græci habent; hoc Latini; hoc Hebræi; hoc Syri & Armenij; hoc omnes barbari Christum colentes: quamuis hæretici aliqui ad tuendos errores suos corrumpere nonnullos codices ausi fuerunt. Quid ages? quid dices? cui fidem adhibebis? an soli Saraceno? an Latino? an Græco? an Hebraico? Multo antiquior est Christiana lex, quam Saracenica: Misit Christus adhuc in terra existens, discipulos suos in orbem: vt prædicarent Euangelium omni creaturæ. Audita est in omni terra Euangelij tuba, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vulgata est recepta lex per totum Romanum Imperium, priusquam tuus Legifer prodiret in lucem: & idem Euangelium, quod nunc habemus, omnes gentes suscepere: nec fuit maioribus nostris aut facultas corrumpendi rem adeo vulgatam; aut necessitas, cum non esset Mahumetes, cum quo de fide contenderent. Corruptio ei necessaria fuit, qui nouam legem edere voluit, veteri & nouæ contrariam. Nec dubium faciet iustus iudex, quin Christiano maior fides adhibenda sit de Christi lege, quam Saraceno: ipse enim conseruator est suæ legis, & manet in traditione patrum: Saracenus ab ea recessit: & inuentiones sequitur nouas, quas sui maiores ignorauerunt. Euangelia apud nos quatuor recepta sunt: quæ summa diligentia, vrgenti studio, & acri discussione sancti patres in generalibus concilijs non prius amplexi sunt; quam esse verissima, multis modis recognouerunt.

Non est igitur, quod tuus Legifer de corruptione sacrarum literarum possit obijcere. De ciuitate Domini, quæ est Ecclesia, inquit in Psalmis Dauid: Fundauit eam Deus in æternum. Non esset fundata in æternum Ecclesia; si fundamentum eius, quod est Euangelium, violari aut corrumpi potuisset: nec verum fuisset, quod ait Propheta Baruch, loquens de lege Dei; Lex quæ est in æternum: nec illud staret, quod dicitur; In æternum permanet verbum tuum, & in seculum seculi veritas tua: nec Isaias vera fuisset de Christo locutus, dicens; Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet & corroboret illud in iudicio & iustitia vsque in sempiternum. Nos Gabrieli angelo credimus, qui de Christo Mariæ virgini sic ait: Dabit illi

illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Quomodo regnat Christus in domo Dauid; nisi per fidem? quomodo per fidem, nisi per Euangelium in æternum? Mendax lingua, falsa calumnia. Ego vobiscum sum (inquit Dominus) vsque ad consummationem seculi. Et Oseæ Prophetæ verba ad Ecclesiam conferuntur: Sponsabo te mihi in fide vsque in sempiternum. Et ad Petrum vicarium suum inquit Saluator: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferni non præualebunt aduersus eam. Et iterum: Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Præualuissent portæ inferni, & defecisset fides Petri; si falsum esset Euangelium, quod sequimur. Sed manet fides magni Pastoris in Ecclesia Romana: quæ nunquam inuenta est errasse, neque errabit in æternum. Magistra est enim, & mater omnium fidelium, & disciplina veritatis.

Caue Mahumetes, caue magne Princeps; ne sequaris errorem Porphyrij Siculi, qui tuæ legi consona dicit. Is ex Christianismo ad idola transiens, ait se deos consuluisse, quid de Christo sentirent: & illos respondisse, bonum virum fuisse Christum: sed peccasse discipulos eius, qui diuinitatem ei attribuerant, quam sibi ipsi nunquam arrogasset. Hoc deorum testimonium est, hoc est, idolorum; quæ tu dæmonia esse non dubites. An non intelligis fraudem? an non vides tui Legiferi & dæmonum esse vnum argumentum, vnam conclusionem, vnam fallaciam: & Christo Diabolum inuidere, eiusque gloriæ & maiestati detrahere? cuius consilio atque suasu tua lex edita est, Euangelicæ atque Mosaicæ contraria. Dices pari modo, Christianam legem Mosaicæ aduersari: namque iussit Moses plurima, quæ Christus vetat: ea permittens, quæ ille vetuit. Nescis antiquæ legis arcana: quæ diu grauida fuit, nouam in vtero gerens: & cum statutum diuino consilio tempus venit, eam peperit. Vidit Ieremias per spiritum legem hanc nouam, cum ait: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum: & in cordibus eorum scribam eam: & ero eis in Deum. Nouum fœdus, inquit: quia baptismus circumcisioni successit: & legem, inquit, scribam in corde eorum: quia vetus lex in tabulis lapideis scripta fuit; noua per caritatem in corde hominum radicata. Et ero eis in Deum: quia nouæ legis auctor & promulgator Christus, Deus & homo est. Antiqua per Mosen innotuit, tantum hominem: & adueniente perfecto, euacuatum est imperfectum: nec amplius in præputio nobiscum Deus, sed in corde pascitur, dicente Apostolo: Si circumdamini, nihil prodest vobis. Nec vlterius ceremoniæ legis habent locum. Venit n. ille, de quo loquitur in Deuteronomio Moses Propheta: De

gente

gente tua suscitabit tibi Deus: ipsum sicut me audies. Et subditur: Ponam verba mea in ore eius: loqueturq; ad eos omnia verba, quæ præcepero illi. De Christo hæc Prophetia est: qui locutus est ex ore Dei: quod verum erat os suum. In cuius aduentu legalia & ceremoniæ defutura erant: sicut apud Matthæum scriptum est: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Sacramenta enim, quæ veteres & Prophetæ obseruabant, adnunciatiua erant venturi Christi: quæ in eius aduentu completa cessauerunt: & alia instituta sunt, virtute maiora, veritate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et sicut sacerdotium mutatum est, sub cuius administratione lex erat: ita & legem mutari oportuit. Non est igitur aduersa veteri noua lex, quæ in eius ventre conclusa erat: & adueniente Christo, & Euangelij luce clarescente, patefacta; circumcisioni & alijs ceremonijs antiquitus obseruatis (sicut præfinitum erat) finem imposuit. Est autem Christiana lex tanto dignior, quam Iudaica: quanto nobilius est oraculum Dei, quam hominis. Cognoscis iam, nisi fallimur, veritatem & maiestatem nostræ legis: nec vtilitatem ignoras: incipisq; de tua diffidere: & ardes desiderio disputandi: vellesq; latius cuncta discutere: sed obstat Legifer tuus, & inquirere verum prohibet, & interminatur, & clamat: Non est mea lex, quæ disputationi subijcienda sit: caue, ne quid loquaris: arma sunt in manu mea: dum mihi credis, multum imperij adeptus es. Qui non audiunt meam vocem, gladio conterendi sunt: ensis meæ legis dignitatem tuetur. In Arabia ortus eius fuit, ex paruo principio: quantum creuerit, vides. Ægyptum adieci meæ legi, & Syriam, & Mesopotamiam, & Libyam, & Indiam, & Mauritaniam, & partem Hispaniæ, & diuitem Asiam, & doctam Græciam, & fortem Thraciam, & nobilem Macedoniam: sunt & aliæ quam plurimæ regiones sub imperio meæ legis: quæ armis non verbis quæsitæ sunt. Muliebre est, verba verbis refellere: viri ferro decertant. Si non fuisset vera mea lex: non dedissent superi Imperio nostro, nec non dominationi nostræ tantos successus atq; prosperitates. Amat nos Deus: & legis odorem sentiens gratulatur: & sternit iter victorijs nostris. Scis quam feliciter sæpe in hostes pugnauisti; & modo in Ponto, & sæpe in Græcia. En fili, quid cogitas, quid moliris, tot triumphis sub mea lege illustratus? Christum persequeris; cuius cultores strauisti toties, & ad internecionem vsq; cæcidisti. Caue, ne meam linquens legem, relinquaris à Deo.

Credimus his te verbis non parum commoueri, & aliquem inesse in tua mente timorem. Sed audi, quam inanis est timor. Omnis qui malum facit (inquit in Euangelio Veritas) odit lucem. Fures domos noctu perfodiunt; & in obscuro adulteri latitant: non adhibent testes, qui peccant: nolunt deprehendi mendaces. Cum his sentit tuus Legifer: veretur, ne disputando suæ legis vanitates innotescant: vereor, ne pudenda sua detegantur. Prohibet disceptari verbis: armis defendi suam legem iubet: nec alium

judi-

iudicem, quam ferrum, deposcit: multumque gloriatur de suæ legis incremento. Diximus cur creuerit; plebes voluptas allexit: neque inficiamur multas tuæ gentis victorias partas, & ingentia confecta bella: & tu ipse in prælijs clarus euasisti: vidisti hostes non paucos, & triumphasti sæpe: fuisti tamen etiam aliquando victus: parua Christianorum manus tuas ingentes copias, vt ante diximus, apud confluentes Sauum & Danubium paucis ante annis deleuit. Non milites veterani, non duces in bellis ante probati; non viri nobiles armis potentes & equis: sed pauci cruce signati, ex agris collecti, inermes & nudi, fide tamen armati, ferro fulgentes & auro, tuos fuderunt exercitus. Quod si victoria veritatem legis ostendit: hoc vno prælio satis admonebare, in quo multi fugerunt paucos. Tuæ victoriæ nihil miraculi habent: ad quas nunquam sine grandi tuorum prærogatiua ventum est. Sed quid agimus? non his argumentationibus stat recta fides; Vici, fudi hostes, imperium teneo. Si sic licet arguere: vera fuit sub Alexandro Magno, tot victorijs illustrato, & sub eius successoribus religio: qui & in Græcia, & in Asia, & in Syria, & in Ægypto, & in Libya, & in Perside, & in Scythia, & in Indis regnauere; Imperio per arma quæsito: vera etiam Romanorum fides vsque ad priorem Constantinum: qui orbem sibi ferro subiecerunt, & omnes domuere, quas adiere gentes. Scimus tamen & Alexandrum, & eius hæredes, & Romanos, & qui sub eis erant, Iudæis exceptis, idola coluisse: Alij Iouem; alij Martem; alij Mercurium; alij Solem & Lunam, & alia sidera: Multi etiam, vt Ægyptij, animalia bruta colebant. Quis nescit (inquit vnus ex Poetis) Volusi Bithynice, qualia demens Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat; &, quod stultius fuit, & allium, & porros, & cæpe inter numina posuerunt. Præclaræ tamen Ægyptiorum victoriæ memorantur: sicut de Osiride proditum est, quod victũ peragrauit orbem. Ergo & deos Ægyptiorum recipiemus, & veram eorum religionem fatebimur, quia vicerunt? Non sic ratio suadet: neq; sic Iudæi sensere; qui victi ab Assyrijs, & ab Antiocho, & à Romanis, & in seruitutem ducti; non tamen victorum leges de dijs acceperunt: sed victi & angariati, & mille modis oppressi, in sua lege manserunt. Nec nos Christiani, cum prælio superamur, aut alijs calamitatibus affligimur, legem nostram aut relinquimus aut accusamus; sed arbitramur pium Deum nos tanquam filios propter peccata, quæ committimus, verberare: quia non paremus Euangelio, non seruamus legem nostram: neq; manemus in traditione sanctorum patrum: sed victi fragilitate aberramus, & labimur vt homines: Ipse vero lapsos erigit, & plagis multis nostras iniquitates emendat: Cognoscimus errata nostra: & considerantes quæ fecimus, minorem esse pœnam, quam delictum, nõ ignoramus. Si cadimus in bello, si amittimus regnum, si iugo seruitutis opprimimur: dicimus cum Dauide Propheta: Deum esse in cælo, qui reuelat mysteria, mutat

tempora, & transfert regna: vt vniuersi cognoscant, quod dominatur in excelsis in regno hominum: & cui voluerit, dabit illud. Nouimus Deum & Iudæos & Christianos posse, cum velit, & voluisse aliquando alterius sectæ hominibus subijcere, propter offensas populi, qui eum ad iracūdiam prouocat: sed conuersi ad Deum, non desperamus misericordiam consequi. Quamuis enim irascitur Deus (inquit Propheta) non tamen obliuiscitur misereri. Pius est & benignus: nec deserit clamantes ad se. Absit autē, vt propter victoriam, meliorem esse credamus religionem victorum. Sic. n. fatendum esset, omnes, qui vicerunt Hebræos, melius de Deo sensisse, quam ipsi victi; quod neq; tu diceres, neq; tuus Legifer; qui defensionē suæ traditionis in armis collocat, & omne genus ratiocinationis effugit, maximū iniquitatis indicium. Non sic beatus Petrus: qui donatus à Christo Domino cælestis regni clauibus, & pastor constitutus gregis Christiani; paratum se ait rationem omnib. reddere de ea, quę erat in fide: nec aliter suos auditores edocuit. Et beatus Laurentius martyr: Mea vox (inquit) obscurū non habet: sed omnia in luce clarescunt. Et in Euangelio nō probat Dn. eum, qui lucernā accēdit, & sub modio ponit: sed super candelabrū eam esse vult, vt luceat omnib. qui sunt in domo: & prædicari verba sua super tecta iubet: & de se ipso dixit: Ego palam locutus sum in mundo. Deceptores & Pseudoprophetæ in angulis prædicant, & volunt occulta esse quæ dicunt, aut iuramenta taciturnitatis exigunt; sicut Romæ olim accidit in his, qui bacchanalia celebrabant. In occulto. n. Deo suo sacrificantes, nullum flagitium libidinis omittebant. Quod si alia non essent aduersus tuam legē iudicia, hoc vnum sufficere potuit: quia ꝓhibuit eius lator in disputationē venire. Sciebat nō ęqua esse, neq; vera, quæ tradiderat: videbat veterem & nouā legem contra se stare: intuebatur Philosophorū acutissimas rationes sibi aduersas esse: nec sperauit in cœtu hominū, aut in scholis virorum excellentium sua diliramēta posse defendi. Animaduertit homo sagax & ingeniosus in malo, gētiles, qui Deos colebant, damnatos esse, & iam propemodū exterminatos: nec Iudæis locum esse, quorum lex trāslata esset cum sacerdotio ad Christianos. Cumq; statuisset nouam legem, idemq; sibi nomē daret: sperauit, quod modo euenit, iratum Deum Christianis, qui suæ legis mandata transgrediebātur, aduersus transgressores victoriā concessurum: atq; idcirco suæ legis defensionē in armis collocauit: quam alioquin hominib. gratā propter licentiā voluptatum non ambigebat. Diaboli hoc fuit inuētum: antiquus hanc viā suæ nequitiæ serpens excogitauit: qui cum vidisset sese procul eijci; & Christiana religione augescente, idola deleri: nec amplius deorum multitudini locum esse; sed vnum tātum Deum adorari cum Patre & Spiritu S. Iesum Christum: Heraclio imperante, Mahumetis spiritum excitauit: eumq; sibi ministram elegit; hominē ritu prius Idololatram; fortuna pauperę; mente superbum:

bum natione Arabem: qui consilio vsus quorundam Iudæorum & Christianorũ peruersorum; inter quos fuit Sergius; spiritu ambitionis inflatus: legem tertiã edidit.ex veteri & noua conflatam, multis ineptijs extrinsecus adiectis. Legem diximus; quia ipse legẽ vocat: nos blasphemiam rectius appellamus. Rugasti frontem; auertisti oculos; horruisti; turbatus es; subiratus es, dum hæc dicimus: at si veritatis amicus es, audienda est veritas: neq; tuus Legifer, si tibi amicus est, veritatem interdicet: quæ tanto magis amica est, quanto salubrior homini, ac ipsa natura conuenietior. Audi verũ, & disce, quomodo sit appellanda lex. Legem dicunt esse Philosophi, quod ratione præcipitur: & sunt, qui nil aliud legem affirmant, quam rectam rationem, à diuino numine ductam. Quicquid igitur rationi aduersum est, legis nomine caret. At tuus Legifer ratiocinari de sua lege prohibet, & solum arma illi suffragari vult. Non est igitur dicenda lex, nisi ex illis, quarum conditores apud Isaiam Dominus maledicit. Docet nos Dauid cognoscere legem Domini, dum ea, quæ propria sunt, exponit. Attende, & videbis, an Mahumetea lex de cælo sit, & à numine tracta diuino, an aliunde. Lex Domini (inquit Propheta) immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Immaculata est lex Domini: quia mala quæque excludit: neque libidinem, neque turpitudinem vllam admittit. Sic apud eundem Prophetam: Eloquia Domini casta dicuntur: & apud Iobum legitur: Non inuenietis in ore meo iniquitatem: nec in faucibus meis stultitia personabit. Et Apostolus: Lex sancta (inquit) & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. At quomodo Mahumetea lex immaculata; quæ stupra & adulteria, & omnes libidinum maculas ac fœditates admittit? Dices, quia ieiunia quædam præcepit, & orationes, & eleemosynas. Non damnamus: hoc absit, vt ea mala dicamus: inuentorem eorum Mahumetem esse negamus: absque Mahumete sciebamus hæc esse bona. Ieiunauit Elias: ieiunauit Christus: orare, & frangere esurienti panem suum, & egenos & vagos in domum ducere, multo antiquius est, quam tuæ legis inuentum. Multi nos legislatores ad opera pietatis inuitarunt; verum adulterari, fornicari, seruire ventri, & in cœno voluptatum iacere, solus tuus Legifer inter bona collocat: solus Mahumetes est, qui turpia docet, & flagitia præcipit: quamuis hæreticorum more vt facilius decipiat, bona simul & mala commiscet. At lex, quæ Domini dicitur (vt inquit Propheta) animas conuertit. Quo conuertit? Ad Deum: conuertit ad suum creatorem; ad summum bonum; ad vltimum finem. At lex Mahumetea non conuertit ad Deum: sed auertit ab eo. Dicit enim Dominus Deus: Estote sancti, quia ego sanctus sum. Mahumetes vero: Vxores (inquit) ducite & concubinas, quot placet: nam ego quadraginta virorum in meis lumbis vires habeo, & vxoribus atque ancillis permisceor plurimis.

Quid de teſtimonio fideli? Cum data eſt Moſi lex Domini in monte Sinai, fulgura & coruſcationes apparuerunt & ſigna de cælo: quæ teſtimonium legi præbuerunt. Lex Chriſti miraculis admodum multis confirmata eſt, dicente ipſo: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit: peccatū (ſcilicet infidelitatis) non haberent. Et propterea de veteri, quæ conuertit ad ſuum creatorē, ad ſummū bonū, & noua lege inquit Dauid: Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Et in Euangelio Marci circa finem legimus: Illi profecti, prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. At Mahumetis legem quæ ſigna, quæ miracula probant? Audiamus eum: Non ſum miſſus (inquit) niſi in virtute gladij: & qui non ſuſceperit meam prophetiam, occidatur; aut reddat tributum, precium pro infidelitate ſua. Quid eſt hoc? nunquid manifeſte negat ſe miraculorum virtute carere, & ficta falſaq; eſſe omnia ſigna demonſtrat, quæ tuæ legis Doctores in populis prædicant? Non habet igitur tua lex teſtimoniū, niſi in armis: ſed id nō eſt fidee, vt ante docuimus. Ad vltimū trāſeamus: & quomodo ſapientiā præſtet paruulis, id eſt populis, tua lex, animaduertamus. Sapientia (vt antiqui tradiderūt) diuinarū & humanarū rerū ſcientiā continet: eſtq; admodū ſapida & dulcis, dum amorē diuinitatis mentib. noſtris inſtillat: ꝓpter quod inquit Pſalmographus: Quam dulcia faucib. eloquia tua ſuper mel ori meo! Tua lex neq; de Deo ſapit, neq; de cæleſtib. neq; terrena ſatis intelligit: quæ putat ſuperis curæ nō eſſe. Magna olim & florida in Alexādria Philoſophorum ſchola fuit: & multi per Syriam & Aſiam viri doctiſſimi claruerunt: quorū nomina ad nos vſq; peruenerunt. At poſtquā lex Mahumetæa curſum habuit: pauciſſimi nominantur, qui naturæ arcana perſcrutati, excellentes euaſerint: quia non præſtat paruulis ſapientiā tuus Propheta, aut tua lex: cuius fundamentū voluptas eſt, & tutela gladius. Inter nos vero liberaliū artiū ſtudia admodum florēt: legitur publice Philoſophia: auditur in ſcholis Theologia: nullū doctrinæ genus prætermittitur: gymnaſia literarū in plurib. Italiæ ciuitatib. clariſſima reperiuntur: nec trans Alpes in Hiſpania, in Gallia, in Germania, in Britannia, collegia deſūnt virorū excellentiū, qui ſapientiā præſtant paruulis. Eſt.n. ingens Chriſtianorū cura, vt indocti erudiantur: & veritatē intelligant in noſtra lege; quæ nunquā mentita eſt, diuinitus comprehenſa. At Legifer tu' non modo mentitur: ſed leuiter; ſed indocte; ſed imprudenter; ſed inſipide mentitur; ſibi ipſi ſæpe cōtrarius eſt: quemadmodū ſuæ legis inſpector plane intelliget: innumerabiles ſunt eius ineptiæ, & aniles fabulæ, & pueriles nugæ: de quib. libet hoc loco pauca referre, quæ de cæteris iudiciū præbeant. Exponens Mahumetes capitulū Alcorani, quod dicitur filiorum Iſrael; in hanc ſententiā loquitur: *Sit laus ei, qui ſeruum ſuum ab oratorio* (quod eſt Helcarata, ipſa eſt domus Meſche) *vſq; in oratorium ſancta domus Ieruſalem nocte vna tranſtulit: circa quam benediximus Deum.*

Oris

O vos homines audite & intelligite! cum abij à vobis, venit ad me Gabriel sero post Psalmodiam vespertinam, quæ vltima est, & ait: O Mahumetes, iubet Deus, vt se adeas. Cui respondi, Et vbi eum adeam? Et ait Gabriel, Vbi ipse est. Et iumentum illico adducit, magnitudine inter asinum & mulum, Elberahil vocant, humanæ vocis capacem. Et vna non amplius hora iter egi annorum quinquaginta millium. Et ait Gabriel: Ascende animal, & ito ad sanctam domum. Ascendere volentem fugiebat iumentum: & iussum est stare, quia Mahumetes ascensurus esset. Nunquid accersitus est? inquit. Et respondente Gabriele, accersitum esse: Non sinam, addidit: nisi pro me Deum rogaret. Obtuli preces Deo meo pro iumento: quod me insidente suavi ingressu incessit: ponens vngulam pedis anterioris in horizonte sui visus: & minori spacio, quam ictus impletur oculi, ad sanctam domum perveni. Comes aderat Gabriel: qui duxit me ad domum sanctam in Ierusalem, & vicinam rupem, dixitque, Descende: quoniam ex rupe ad cælum ascendes. Et colligato illuc iumento, portavit me humeris suis in cælum. Et cum applicuissemus ad cælum mundi, & ad portam eius: pulsavit Gabriel: & quæsitum est, Quis esset? & respondit Gabriel, Ego sum: & iterum quærenti, Quis tecum adest? respondit, Mahumetes: & subdidit ianitor: Nunquid vocatus? & ait Gabriel, Vocatus. Et aperta est porta: & vidi angelos: & his genua flectens, oravi pro eis. Et accepit me rursus Gabriel, & vexit ad secundum cælum: & fuit distantia inter cælum & cælum, quantum est iter quingentorum annorum. Et sicut in primo cælo, ita in hoc cælo pulsatum extitit: & rursum pari solennitate ad septimum vsque cælum processit, æquam cælorum distantiam ponens.

Et ait, in septimo cælo vidisse se angelorum populum: & longitudinem angeli cuiusque instar mundi fuisse, & aliquorum mille vicibus extensiorem: & inter eos vnum invenisse, cui septies centena mille millia essent capita, & in quolibet capite totidem ora, & in quolibet ore lingua totidem, quæ septingenis mille millibus idiomatibus laudabant Deum. Et rursus alterum angelum ostendisse, qui fleret: & quæsivisse causam fletus: & cum ille dixisset, culpas esse: oravi pro eo. Et tum commendabat me Gabriel alij angelo, & ille alij: donec fui in conspectu Dei, & tribunali eius adhæsi: tetigitque me manu sua Deus inter humeros: & frigiditas manus pervenit vsque ad medullas dorsi mei.

His nugis atque deliramentis implet Mahumetes aures populi. Sed audiamus alteram fabulam in libro, cui titulus est, De doctrina Mahumetis. Duo angeli nominantur Arathes & Marathes: quos ille asserit iussu Dei in terram descendisse; vt genus humanum regerent atque instruerent, tribus mandatis acceptis. Primum ne quenquam occiderent: alterum, ne quid iniuste decernerent: tertium, ne vinum biberent. Cum aliquandiu rexissent: & iam ex toto orbe ad eos iudicia devolverentur: mulier quædam decenti forma, & omnium pulcerrima, adversus maritum suum causam habens, iudicium ab eis petijt: atque vt faventes haberet iudices, vt apud se prandium habeant, multis precibus invitat. Non abnuunt angeli: para-

tur splendidum convivium: epulas & pocula mulier ipsa ministrat: apponuntur fercula multiplicia, & cum his vinum. Quod cum angeli recusarẽt: instante sæpius muliere, & multas obijciente blanditias, tandẽ biberunt: & inebriati vino, in hospitam incaluerunt, eiusque concubitum postularunt. Spondet mulier ea conditione, vt alter eorum ei ascensum in cælum ostenderet, alter descẽsum: Placet conditio. Illa, ita vt didicit, mox ascendit in cęlum relictis atq; irrisis angelis: quam Deus recognitam inter sidera collocavit, cui Lucifer est nomen. Angeli ad iudiciũ evocati, catenis ferreis in puteo profundissimo religati sunt, vsq; in diem iudicij permansuri: cũ elegissent in hac potius vita, quam in altera, plecti. Hæc est sapientia Mahumetis, quam docet parvulos: hæc eius Theologia: hæc doctrina divinitus revelata. Mira hominis audacia: ne dicamus stultitiam seu dementiam. Quot sunt in his fabulis deridenda somnia? Non obiurgamus iumenti verba, quando & sacræ literæ asinam locutam produnt, & gentiles bovem. Sed quid est, quod vna hora iter quinquaginta millium annorum peragitur? Metire hęc & diligenter cogita, an corpori nondum glorificato id possit accidere. Quo ivit? vbi fuit? quid circuivit? Non adhuc cælum ascenderat, quibus in locis tantum spacij peragravit? nec iumentum eum tulit, quis tulit eum? vnde venit? quomodo venit? nihil horum dixit. Quid peccaverat iumentum, vt precibus egeret, cui nõ est lex alia, nisi naturæ, & illi paret? quid ostiarius in cęlo collocatus, rogamine Mahumetis egebat? an non satis felix erat? Fortassis altius cupiebat ascendere: tanquam non sit illic perfecta hominum beatitudo, & regnet adhuc ambitio. Distantiam cælorum ostendit: & sphærarum quanta sit crassitudo demonstrat: quingentorum annorum iter ex cælo in cælum ponit, & parere omnium spissitudinem: quid hoc? quis credat gentilium fabulis? simile somnium est. Aiunt illi Dionysiodorum quendã Geometricæ scientiæ nobilẽ in patria senectã diem obijsse: propinquos funus ei duxisse, ad quos pertinebat hæreditas: hos consecutis diebus cũ iusta peragerent, invenisse in sepulcro eius Epistolam, Dionysiodori nomine ad superos scriptam; quæ diceret eum à sepulcro ad infimam pervenisse terrã esseq; illuc vsq; quadraginta millia stadiorum. Nec defuerunt geometræ (vt Plinius ait) qui interpretarentur, significare epistolam à medio terrarũ orbe missam, quo deorsum à summo longissimum esset spacium, & ibidem pilæ medium: ex quo consecuta computatio est: quæ circuitum terræ, id est, totius pilę ambitum ducenta quinquaginta quinq; millia stadiorum pronunciavit. Sed harmonica ratio, quæ cogit rerum naturam sibi ipsam congruere (eodem Plinio teste) addit huic mensuræ stadiorum septem millia. Eratosthenes huiuscemodi rerũ solertissimus indagator, vniversũ terræ ambitum ducentorũ quinquaginta duorũ millium stadiorũ: Hipparchus stadiorum paulo minus viginti quinq; millia adiecit: reperiuntur & aliorum

sententiæ

sententiæ admodum dissonæ: neq; in hanc vsq; diem mortali cuipiam satis exploratam credimus terræ mēsuram: cuius neq; Septentrionem neq; meridiē versus cogniti fines sunt. At tuus Legifer maiora concepit animo: quā tanquam cælum ascenderit, quingentorum annorum itinere distare cælum à cælo prodidit; quoniam tanta esset crassitudo sphærarum. Hoc idem asserit Rabbi Moyses Hebræus genere Philosophus, qui apud Ægyptios claruit. At Philosophi, quos nostri probant, non ita senitunt: nec Ptolomæus Alexādrinus, astronomorum facile princeps, de crassitudine Lunaris sphærę cū tua lege concordat: in qua iter annorū sexaginta novem, & aliquorum mēsium ac dierū posuit: millibus passuū viginti quinq; seu stadijs ducētis pro qualibet die computatis. Alij vero Astronomi, qui hæc diligenter indagaverunt, sphæram solis plus quam sexcentis vicibus superare Lunā tradiderunt: rursusq; Martis sphæram, quamvis sole altior est, & longe maiorem habet ambitum, spissitudinem tamen multis vicibus superari. Improbū humanæ mentis ausum: verum ita subtili argumentatione comprehensum, vt pudeat aliquos non credere: plurimi hæc incerta respuunt. Tuo legislatori fortasse credendum fuerit: non quia illuc angelo bono deferente conscenderit: sed quia cum perverso ceciderit. Quid si hac de causa fidē expedit, credimus: alioquin cum scriptura sacra dicimus: Cælum sursum, & terrā deorsum, & cor Regis inscrutabile est. Sed alia percurramus: Angelos mundo se maiores vidisse affirmat eosdemq; corporeos. Si mūdo maiores angeli sunt: necessarium est, aliquā eorum partē extra mundum esse. At Philosophi mūdi circumflexu omnia contineri dicunt, neq; quicquam exterius esse. Tuus Legifer quādo aliquid solito pl' adbibit, sopori deditus, quicqd somniavit ꝓ vero retulit: quo errore & angelos corporeos, & peccare, & egere venia, & se rogasse ꝓ eis dixit. Simili somnolentia tactū se super humeros affirmavit manu Dei, cui' gelu vsq; ad dorsi medullas penetravit: quæ omnia superius cōfutata sunt. Quis illud patienter audiat, quod angeli Dei vino inebriati, specie mulieris decepti, concubitum eius appetierint: quæ iter in cælum edocta, ad conspectum magni Dei pervenit, & honorifice accepta, inter astra locum obtinuerit: angeli pænas dederint: atq; idcirco vinum homini interdictum, quod tanti mali causa fuerit? Commemorat hæc tuus Legifer: & tanquam ex penu Dei recepta, hominibus inculcat. Vide, quam graviter, quam vere, quam perite loquitur! Poëtarum figmenta, quæ pueris leguntur, inter arcana legis inserit. Pueri nostri non sine risu audiunt, cum raptæ in cælum fæminæ referuntur, & in astra cōmutatæ, quæ Maior & Minor Vrsa vocantur, Pigri circum sarraca Boötæ Lucentes. Credimus, pro tua sapientia te iam parvi facere, atque contemnere tuæ legis figmenta. Sed miraris vehementer, quod indies aliqui relicto dogmate Christiano ad tuum migrant: & asserentes iniquam legem nostram, amplexi tuam, circumciduntur,

ciduntur, & tuis initiantur sacris: & qui Trinitatem prædicabant, nunc detestantur: & qui Christum crucifixum colebant & laudabant, nunc derident. Sunt qui hoc agunt, non dubitamus: sed quinam homines? Sane aut libidinis servi, aut ambitionis, & quibus nullus erat locus in nostra lege, spreti à nobis, & eiecti tanquam vilia & inutilia mancipia ad te transierunt: nec tamen illos inextinguibilis conscientiæ vermis rodere cessat. Quod si posses eorum introspicere corda: intelligeres procul dubio, eos aut vitæ futuræ spem nullam habere, aut admodum esse anxios: quia fontem aquæ viuæ reliquerunt Christum Iesum: & nesciunt, quo pacto redeant, maius suum peccatum existimantes, quam Dei misericordiam. Sed quid miraris, si ad opes consequendas, ad voluptates exhauriendas, nonnulli tuæ legi sese subijciunt? Non est hoc novum, nec dignum admiratione. Idem quoque & Saraceni faciunt, qui sæpe ad nos migrant. Illud est mirabilius, illud stupendum, illud magnopere celebrandum: quod tot millia Philosophorum Christiano insignita nomine sub tuo imperio degunt, gravia tributa pendunt, nunc liberis privantur: nunc coniugibus opprimuntur: dulcissima servitute lacerantur: vexantur mille modis: nec tamen Christianæ legi renunciant. Quod si tuam acciperent: nullius ferrent impetum: mitius ferrent imperium: fierent liberi: honores & opes sperare possent.

Sed malunt tolerare servitutis iugum, & in squalore ac miseria vivere, quam Christum negare. Hoc stupendum est & divinum opus, & quod te præcipue movere debet: non quod pauci à nostra lege aberrent, sed quod tam multi in ea perseverent: & quod tanta sit vel in adversis constantia, miraculum est. Facit hoc bonitas legis, & securitas æternæ vitæ: quam nemo sapiens præsenti postposuit. Quid tu hic dicas? quid contra hiscere aut mutire poteris? Vera est Christiana lex, ex vtero recepta Mosaicæ, ex prophetis, ex divinis oraculis: Deus auctor eius est: filius Dei eam tradidit: ex ore Dei manifestata est: pura est, & nitida, & immaculata, & sancta, perfecta ex omni parte: nullam habet rugam, nusquam deficit: nusquam claudicat: in ea qui quærit, invenit: qui petit, accipit: & pulsanti aperietur: Ipsa est fons clementiæ: iustitiæ culmen: pietatis speculum: mansuetudinis & misericordiæ plena: pro ea martyres innumerabiles sunt occisi: senes, iuvenes, pueri, matronæ, virgines, viduæ, innuptæ puellæ, crudelia carnificum non expavere tormenta: scientes, beatos esse mortuos, qui moriuntur in Domino. Præterimus signa & prodigia, quæ certitudinem Christianæ legis ostendant. Quis viros commemorare queat ex Christiano genere: divini & humani iuris excellentissimos professores, vere mundi lumina, scientiæ fontes, qui vsque ad mortem in fide Christi perseverantes, præclare volumina ediderunt, quæ tanquam sidera quædam doctrinæ

doctrinæ humanas mentes illustrant. Et quænam vllo in loco lex est, quæ alterum habeat Augustinum, alterum Hieronymum, alterum Ambrosium, alterum Gregorium? Et (ne Græcos prætereamus) quæ religio virum vnquam habuit, qui Origeni comparari possit, quamvis hic in plerisque locis erravit? Quis Ioãni Chrysostomo æquabitur? Quis magno Basilio? Quis Cyrillo? Quis Eusebio? Quis Gregorio Nazianzeno? Nō sufficiet dies, si numerare pergimus illustres nostræ legis doctores, sive vivos, sive mortuos: quamvis non sint mortui: sed nunc maxime viuunt, & tāquam stellæ in firmamento lucent, qui fidem sacratissimæ Trinitatis elucidarunt. Quod dicemus de religiosis domibus, in quibus angelica ducitur vita, & pro peccatoribus assidue effunduntur preces Domino: nec vnquam cessant divinæ laudes ac Psalmodiæ. Benedictus Nursiensis apud nos multorum monachorum doctor & pater extitit: apud Græcos magnus Basilius. Secuti sunt Bernardus abbas Claræuallis, & Bruno, qui Carthusiam instituit. Quotidie sanctorum virorum apud nos augetur numerus: ædificantur nova monasteria: & sancta renovantur instituta. Quod fructus edidit Seraphicus Franciscus, eximius paupertatis amator, in Vmbria (quæ pars est Italiæ) natus? quod eum discipuli secuti sunt? quot sub eius regula viri sanctissimi floruerunt? Antonius Patavii iacens, miraculis clarus: Bernardinus Senensis in Aquila, quem nostra ætas quasi alterum Paulum prędicantem audivit. Nicolai Lyrani extant opera, quæ omnes admirantur: Dominicus in extremis Hispaniæ natus oris, quasi altus vesper emicuit, qui novum quendam sanctum & nitidum vivendi morem suis auditoribus tradidit, & Prædicatorum instituta regula vniversum illustravit orbem. Multi ex discipulis eius clarissimi evaserunt: sed præcipua est Magni Alberti fama: qui nullum doctrinæ genus ignorasse creditus est: nec minor eo Thomas Aquinas fuit in literis, etsi maior extitit in sanctitate. Claruit & meo seculo sub eadem regula Vincētius Hispanus, quem noster antecessor inter sanctos Christi confessores retulit: & in ordine divi Augustini Nicolaus Tholentinas, paulo ante inter cælestia relatus sanctorum agmina. Nova indies prole reflorescit nostra religio: quod si non desunt peccatores, divinam provocantes maiestatem: non desunt etiam conciliatores viri sancti Deo accepti, & virgines immaculatæ, precibus assiduis divinam iram avertentes. Nec timemus ruinam, tantis adiuti patrocinijs.

Tu ergo, Princeps nobilis, qui non es rationis incapax, neque ingenij obtusi, collige quæ diximus, & conserva in mente tua: & consule tibi, & tuæ genti: & noli esse incredulus, sed fidelis: relinque tenebras, & lucem sequere. Intelligis, quo pede claudicat tua lex, & quantis scatet erroribus, & quam procul à veritate recedit, & quod non est in ea salus, & novæ, & antiquæ legis inimica. Intelligis, quam solida est Evangelica doctrina, quam ve-

ra: quam sancta, quam munda & immaculata: & quod ea tantum iter in cælum ostendit, & non alia. Intelligis, si verba nostra memoria tenes, quod Trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate colenda est: neque altera contradicit alteri. Intelligis, quonam modo Pater sibi Filium æqualem genuit, & quomodo à Patre & Filio sanctus procedit Spiritus, qui est caritas & amor, & simul colendus est, & Deus est: & quod Filius pro nostra salute incarnatus est, mortem tulit, & spoliato inferno, tertia die resurgens: quadraginta diebus cum discipulis suis conversatus: ascendit in cælum, sedetque ad dexteram patris: venturus in fine seculi, iudicare vivos & mortuos. Quo facto, mali perpetuo pœnam ignis subibunt: boni æternam beatitudinem consequentur: non in carnalibus desiderijs, aut impudicitijs: non in cubilibus: sed in dulcedine mentis, & in caritate Christi, quæ superat omnem sensum.

Ante omnia vero monstratum est, non posse te assequi inter Christianos gloriam & potentatum, quem videris optare, maxime apud Europæos & Occidentales populos, dum tua in secta perseveraris. Quod si velis Christianis initiari sacris: magnam tibi spem fecimus & potentiæ, & gloriæ. Memento igitur verborum nostrorum, & accipe fidele consilium: sume baptismum Christi, & lavacrum Spiritus sancti: amplectere sacrosanctum Evangelium & illi te totum committe. Sic tuam animam lucrifacies: sic Turcarum populo bene consules: sic tuæ cogitationes adimpleri poterunt: sic tuum nomen in secula celebrabitur: sic te omnis Græcia, omnis Italia, omnis Europa demirabitur: sic Latinæ te literæ, sic Græcæ, sic Hebraicæ, sic Arabicæ, sic omnes barbaræ celebrabunt: sic nulla ætas de tuis laudibus conticescet: sic pacis auctor & fundator quietis appellaberis: sic te Turcæ animarum suarum reparatorem, & Christiani suæ vitæ conservatorem vocabunt: Syrij, Ægypti, Libyci, Arabes, & quæcunque sunt aliæ gentes extra CHRISTI caulas, aut his auditis, tuam viam sequentur; aut tuis & Christianis armis parvo negotio domabuntur: & si noluerint in nostra lege te socium habere, experientur dominum in sua: nos te iuvabimus, & omnium eorum, assistente divina gratia, legitimum Principem constituemus. Hæc sunt, quæ tibi cum baptismo præmia promittuntur: his te bonis divina pietas procul dubio cumulabit obsequentem Evangelio. Quod si respueris consilia nostra: peribit tanquam fumus gloria tua: & tu more hominum reversus in cinerem, totus morieris, Christus regnabit in æternum: cui est honor & gloria in seculorum secula.

Amen.

EXPEDITIO ASIATICA ADVERSVS TVRCAS ET SARACENOS IMP. Friderici I. Cæsaris Augusti, ex Suevia oriundi.

Eiusdem Epistola ad Luipaldum ducem Austriæ.

Sibyllæ Reginæ Hierosolymorum Epistola, ad Imperat. Frid. I.

Theodovaldæ Episcopi Bathauen. Epistola ad Austriacum Ducem Luipaldum.

Tageno Decanus Bathaven. qui huic expeditioni interfuit, scripsit: Ioannes Aventinus Richobergomi invenit, & publicandam curavit.



ANno Christi M CL XXXIX. Fridericus Imperator, Ratisbonam intrauit, ibi cum X V I I. episcopis & omnibus principibus maximũ concilium celebravit, totam quadragesimam & pascha ibi mansit. Post paschæ dies transactos, quod evenerat 5. Id. Apr. ex Ratisbona movit, navali itinere Bathaviam descendit, cum eo filius eius Fridericus dux Alemanniæ, Bertholdus dux Meranię ex Bavaria de castro Andechs natus, Hermannus marchio Badensis, Episcopi, Herbipolensis, Monasteriensis, Diethpoldus Bathavensis, Osseburgensis, Missenensis, cum multis regni comitibus, cum magna multitudine populi, per Vngariam & Græciam iter suum direxerunt. In prima die rogationũ, hoc est, in Idib. Maij Episcopus Bathaven. Dietpoldus cum quibusdam fratribus suis canonicis, huic viæ ac labori Imperatoris strenuè se coniunxit. Eodem anno misit Dominus Episcopus iam dictus literas de Græcia, quarum exemplum hoc est.

Dietpoldus Dei gratia Bathaven. Ecclesiæ humilis minister, dilecto amico suo Luipaldo Illustri duci Austriæ salutem & syncerum amorem. Sicut jucunda & dulcia cordis nostri vobis desideramus communicare, sic ea quæ minus prosperè exercitui nostro successerunt, industriæ vestræ duximus significanda. Scire itaque velitis, quod 4. Cal. Iunij Bulgariam intravimus, maximas à Bulgaris sustinuimus adversitates, multos ex nostris iaculis sauciarunt, nos quoscunq; ex illis depræhendimus, laqueo suspendimus. 10. Cal. August. venimus ad civitatem Nisseam, ibi magnus Comes Serviæ cum magno apparatu obviam nobis venit, quem Dominus Imper. honestè excepit, & multa cum eo pertractans honesta ei donaria dedit, sicut & ipse magna ab eo recepit, similiter omnes principes à prædicto comite vino, medone, & animalibus multum honorati fuerunt. Tertio Cale.

Aug. inde transivimus ad primam clausuram, maximam ibi rerum iacturam sustinuimus. Quidã honestus miles de Hals ibi occisus fuit, maior pars exercitus in illis partibus ægrotare cæpit, quidã tertiana, alij quartana, quidam dissenteria laboraverunt. Prid. non. Augu st. ad secundam clausuram venimus, quæ lapidibus, lignis, loci natura multum munita fuit, ibi magnam prædonum & latronum turbam collectam offendimus, sicut Dux Brundusij, qui nos fraudulenter præcesserat, ordinavit, illi societatem Ducis Sueviæ, qui primam tenebat aciem, multum molestaverunt. Deinde aciem nostram & Ducis Meraniæ, quæ media fuit, invadentes quosdam vulneraverunt, rebus eorum ex magna parte sublatis. Circa horam vero vespertinam nos cum Duce Meraniæ extremos societatis custodientes, vix cũ 12. loricis processimus, sed subito duo filij comitis eiusdẽ provinciæ cum 100. socijs nos viriliter & audacter invaserunt, nobiscum diu iaculis & gladijs pugnaverunt, & nos DEO auxiliante ipsos in fugam vertimus, ita vt plus quam 40. vulnerati in abditis latitarent, & nos ex eis 24. ad caudas equorum ligatos ad castra nostra traximus, & eos ibidẽ pedibus suspẽdimus. 7. Apud Strahitenȝ. Id. Aug. nullũ fere hominẽ invenimus; Præcepto Ducis Brundusij homines illius provinciæ montana conscenderant, & victualia secum detulerant, ibi exercitus noster propter penuriam vini valde cœpit debilitari. XVII. Cal. Sept. ad tertiam clausuram devenimus, quæ ita munita fuit, vt difficilem nobis minaretur transitum, nihil adversitatis iniunctum nobis est, exploratores Ducis Sueviæ plus quam 500. armatos Græcos ibi viderant, Græci visis Imperatoris nostri militibus & Ducis Suevorum filij ipsius, continuo in fugam versi sunt, in illo loco debilitas exercitus ex nimia abundantia panis, vini, novorum fructuum, optime recreata fuit, ibi societas Domini Imperatoris nobis iuncta fuit. Apud Circuicen quidam comes Vngariæ nomine Lectophorus, qui in legatione Domini Imperatoris Constantinopolim præcesserat, cum legato regis Græcorum, ad nos reversus est. 12. Cal. Sept. rex Græcorũ superbe & arroganter, angelũ Dei & originẽ nostræ fidei, & Romanũ Imperatorẽ se nominans, Domino nostro Imperatori gratiam suam mandavit, dicens relatione regum Franciæ & Angliæ, & Ducis Brundusij se accepisse, quod noster Dominus ea intentione Græciam intrasset, vt extirpatis & extinctis Græcis, regnum illud in potestatem filij sui Ducis Sueviæ transfundat.

Præterea dixit Græcorum rex amicitiam, quam inter Dominum Imperatorem & magnum Comitem conflatã audierit, sibi valde gravem & suspectam esse: addidit deinde, si Fridericus Imperator noster obsides pro voluntate Græci, de exercitu mitteret, trãsitum per brachium sive sinum sancti Georgij daturum, sicut iuratum fuit, & forum concessurũ,

vltimo

vltimò Græci postulabant medietatem terræ Saracenorum, quam noster exercitus caperet. Istis auditis Dominus Imperator & Princeps tametsi commoti erant, tamen pro tempore & loco blande & sapienter responderunt dicentes:

Quando nuncios suos rehaberent, qui rebus spoliati eo tempore ad insultationem & derisionem nunciorum Saladini turpiter & inhumane tractati squaloribus carcerum mancipati Constantinopoli cruciarentur, se secundum honorem Dei & imperij ad voluntatem Græciæ regis benignos posse inveniri. 9. Inde procedimus, & 8. Cal. Sept. ad civitatem Philopopolim venimus, vacuã hominibus, sed plenam vino & frumento, alijsque divitijs. Eadem tempestate 4. Cal. Sept. frater regis Græcorum cum magno exercitu ad sex miliaria à nobis consedit. Ad hunc nostri quadam die minus provide accedentes, tamen in fugam Græcos verterunt, ita vt in posterum his regionibus & locis nunquã amplius Græci apparerent.

Postea rex Græcorum & frater eius cum exercitu semper nobis infesti nos circumvenire tentabant, diu nos detinuerunt, tamen per gratiam Dei multo labore, multoque ingenio, nuncios nostros seminudos recepimus. & tunc primum rex Græcus, nobis transitum hyemali tempore promisit, si obsides ei daremus, vt pax terræ observaretur, & alia, sicut apud Nurnberg iuratum fuerat. Dominus Imperator videns hæc omnia fraudulenter fieri, nequaquam acquiescere voluit, eo quod nuncij sui valde inhumane & inhoneste tractati fuerant, & nulla ratione se & exercitum sanctæ peregrinationis, iniquis Græcorum iuramentis committere voluit, & sicut prius humiliter, vt reciperet nuncios suos, locutus fuit, ita receptis nuncijs imperiali more dixit, Si rex Græcorum filium suum & fratrem suum, & avunculum suum, in quo consilium suum & totius Græciæ pendet, & cancellarium & Marscalcum, & dapiferum suum, nobis obsides dabit, vt cum pace & securitate, & bono foro per terram & brachium atque mare sancti Georgij transitum præbere velit. Ipse vicissim, quoscunque de exercitu nostro elegerit, iurare faciam, nos nulla mala intentione nec regni ambitione Græciam adijsse. Quid ad hoc rex Græcorum responsurus sit, adhuc ignoramus.

Quantum vero gaudium ea die qua nuncios nostros recepimus, apud nos fuerit, vobis vix explicare possumus, plus quam 3000. electissimorum militum cum lanceis & scutis, equos in gyrum vertentes crebro, sex pene miliaria nostris nuncijs occurrerunt, ita vt Cancellarius Græcorum, & alij Græcorum optimates multum terrerentur, timebant sibi insidias paratas fuisse.

Quod cum audisset dux Sueviæ & alij proceres, statim depositis scutis, Græcos benignè exceperunt, dicebant, talem esse consuetudinem Teutonicorum, & factum fuisse ad lætitiam & honorem excipiendorum & gloriam Græcorum. Deinde nuncijs Græcorum in hospitijs collocatis, nuncij nostri ad Imperatorem vsque, magno tripudio deducuntur, quibusdam cantantibus, Advenistis desiderabiles, & etiam quibusdam clamantibus Hutte ist herre din tach, Dominus vero Imperator de domo sua exiens, in amplexus Episcopi & Comitis irruit, cũ multis lachrymis eos suscepit, dicens: Gratias ago Deo, quia filij mei mortui fuerunt & revixerunt, perierant & inventi sunt. Sequenti verò die Episcopus lachrymabiliter ærumnas captivitatis suæ Principibus exposuit, ita quod & ipsi lachrymas commoverentur. Nuncij vero Græcorum legationem suam peregerunt, & Dominus Imperator, sicut supra dictum est, breviter eis respondit, se nihil aliud velle, quàm supradictos obsides. Quamobrem Græci valdè perturbati & pavefacti fuerunt.

Quia autem rex Græcorum in literis, quas ter Domino Imperatori misit, nomen huius tacuit, nec ipsum Imperatorem vocavit, in præsentia Græcorum & nostrorum principum, Fridericus Imperiali fretus habitu & lingua dixit, Non possumus satis mirari, & indignum valdè gerimus, quod frater noster, nomen nostrum, quod multis regibus & principibus & provincijs notum est, (quod Fridericus est) in literis suis ponere non consuevit. Antecessor verò ipsius piæ recordationis Emanuel & quando inimici eramus, nomen nostrum expresse posuit in literis suis, nec in aliquo dignitatibus nostræ maiestatis derogavit, quod & nos vicissim erga eundem fecimus. Siquidem Carolus victoria felix præcessor noster divæ memoriæ, Monarchiam vrbis Romæ obtinuit, & plusquàm 500. annis sine interruptione, ad tempora nostra vsque derivata est, & nos authore Deo & principũ libera electione, celsitudine sacri Romani imperij, iam fermè 38. annis potestativè gloriamur.

In vrbe enim Roma, quæ domina & caput orbis dicitur, coronam & imperium totius Christianitatis, de altari Beati Petri Apostolorum Principis accepimus, ab Hadriano Papa successore Petri solenniter vncti oleo exultationis præ participibus nostris sumus, & nomen nostrum celebre & gloriosum in ea habetur.

Hæc idcirco diximus, si forsitan Dominus vester nomen & dignitatem nostram ignorat. Nos de cætero (vt sciatis) literas eius non recipiemus, nisi solennitas nominis & maiestatis nostræ expresse in eis contineatur.

Nos enim eum suo nomine appellavimus, & appellamus: Dominus vester sanctum se appellat, mirabilis est sanctitas, quæ sanctos viros, honestos, religiosos, benignè vtpote fideles nũcios in oscula pacis exceptos, in

In quorum ore non est inventum mendacium, nec iniquitas, subito consuevit incarcerare, & fame ac nuditate vsque ad mortem macerare. Longe faciat à nobis Deus talem sanctitatem. Istis auditis Græci recesserunt. Quid plura? tota Macedonia & Thracia vsque ad muros Constantinopolis nobis subiecta est, & ad voluntatem nostram servit, vrbes & castella in manu nostra sunt, nec est qui audeat audito nostro nomine mutire, Blachi nobiscum sunt; Armeni fideles nostri sunt, Dominus noster Imperator apud Philippopolim intendit hyemare, dux Sueuiæ Vereæ, Exercitus in tres locos se recepit, Græci hæreticos nos appellant, clerici & monachi dictis & factis maxime nos persequuntur, bonis omnibus abundamus, commilitones nostri omnes adhuc sani & incolumes sunt. Tertio Cal. Oct. in maximo fætore fuerunt peregrini nostri, propter innumerabilia cadavera apud Philippopolim.

Nonis Novembrib. Dominus Imperator recessit à Philippopoli, & iuit Hadrianopolim qui apud Philippopolim remanserũt, in maxima abundantia rerum venalium esse cæperunt. Exercitus itaque Friderici plenus integer & salubris clementia Dei evasit perfidiam Græcorum, qui promissa non servarunt, velut speratum & promissum fuerat. Quod sanctas Imperator & princeps videntes, Nicopolim, Argonopolim, cæteras metropolitanas vrbes, fugatis civibus potenter ingressi sunt, debellatis quoque quibusdam castris, præcipue Demotege, quod fuit egregium castrum circa maritima, innumerabiles civitates debellarunt, quousque coactus Græcus rex, 800. obsides dedit, Hadrianopoli Imperator Fridericus hyemavit, vnde has literas in Germaniam misit: Fridericus Dei gratia, Rom. Imp. & semper Augustus, dilecto consanguineo Luipoldo Duci Austriæ, gratiam suam & omne bonum. Significandum duximus D. T. quod frater noster Constantinopolitanus, iure nudatus fraterno, vniversa quæ à Cancellario suo apud Nurenberg. præsentibus imperij principib. de securo transitu, nostro foro atque concambio noscuntur iurata, prima fronte infregit, insuper & legatos nostros, Monasteriensem Episcopum, Comitem Rupertum, Marquardum Camerarium nostrum, cum vniverso ipsorum comitatu, (quos viuificæ crucis pro pacifico transitu nostro & pace cõfirmãda destinaveramus) captivavit, atque ignominiose in carcerem detrusit. Tandem autem post multas legationes, in hyemis asperitatem, transitum nostrum dolose producens, prædictos legatos nostros, quasi rebus bene gestis in festo Simonis & Iudæ, nostræ remisit Excellentiæ, iterato forũ bonũ, & concambium consuetum, atque navium abundantiam nobis pollicens. Verum quid vstus timet vri: Verbis & iuramentis Græcorum de cætero nullam possumus adhibere fidem, sed hyemalem declinantes inclementiam, Philippopoli atque Hadrianopoli tendimus hyemare; oportuno tempore

tempore versus Constantinopolim transituri. Itaque quamvis copioso gaudeamus exercitu; in orationibus tamen ad divinum est recurrendum præsidium. Eapropter tuam rogantes commonemus Dilectionem, quatenus orationibus piæ devotionis studio nos vnà cum crucis exercitu velis commendare Deo. Ad hæc T. prudentiam rogamus, vt literas, quas Papæ dirigimus, ad ipsum tua industria & labore perveniant, quia per te competentius, quam per alium id poterit ordinari.

Sibylla Regina Hierusalem hanc Epistolam Friderico Imper. mittit.

Domino suo Venerabili atque Illustrissimo Friderico, Dei gratia Rom. Imp. victoriosissimo, atque sanctæ crucis triumphatori amicissimo Sibylla Regina quondam Hierosolymitana, sua humilima, propter nomen Dei magnum humiliata, Parcere subiectis & debellare superbos. Ego humilima ancilla vestra (vt præfata sum) totius vrbis dolorem, & sanctorum Christianorum opprobrium, C. V. maximæ Excellentiæ significare compellor. Imperator enim Constantinopolitanus, Ecclesiæ Dei persecutor, adversus nomen Domini nostri Iesu Christi, cum Saladino seductore, & sancti nominis extinctore coniurationem inijt. Hoc siquidem notum facio, quod sine lachrymis dicere nequeo; Saladinus hostis Christi præfatus Imperatori Græco, & sancti nominis persecutori, ad pravam concordiam & reconciliationem faciendam, multa munera terrenis valde placentia præmisit, ad necem & destructionem Christianorum nomen Dei exaltare volentium, 6000. mediorum farinæ intoxicatæ, adiunxit vas maximum vini, plenum toxico, ad malum efficacissimo, quod venenum cum ipse probare intenderet de mali efficacia, vocavit hominem, qui pixide aperta solo odore interfectus est. Aliud quoq; cum catenis Domino meo dicere compellor: Quia præfatus Imperator, ad malorum cumulum & aggregationem destructionis Christianorum, nec triticum, nec alia necessaria ad victum Hierosolymorum, de terra sua transportari permittit. Vnde quoque triticum, quod ab ipso & alijs circumveniri potest, in civitate Constantinopolitana intercluditur. Tandem velut in fine lachrymosæ Epistolæ hoc vobis fideliter dico, quòd huic latori præsentium fidelissimo meo credere debetis, Ipse enim quæ proprijs oculis vidit, & auribus audivit, testatur. Inde est, quod M. V. rogo humiliato capite, vsque ad Oecram & flexis genibus: vt nuncijs Imperatoris Græci (sicut caput mundi estis & murus pro domo Israel,) nunquam credatus. *Hucusque Epistola Sibyllæ.*

Anno Christi. MCXC pars illa exercitus nostri quæ hyemaverat apud Philippopolim, secuta est Dominum Imp. Hadrianopolim versus, 18. Cal. Febr. convenit Constantiam ea die, quæ cantabatur, Circumdederunt me gemitus mortis, hoc est, 12. Cal. Febr. venit ad Imperatorem Hadrianopolim, 8. Id. Febr.

XVI. Cal.

XVI. Cal. Martij venit nuncius Imperatoris Græcorum, ferens finalem & præcisam pacis compositionem cum Domino nostro Imperatore.

Tertiodecimo Cal. Mar. venerunt nuncij Soldani Turcorum & filij eius ad Dominum Imperatorem, apud Hadrionopolim morantem, bonam portantes legationem.

Sexto Cal. Mar. habuerunt peregrini nostri ventum intolerabilem & frigus asperrimum apud Hadrianopolim, inde tunc missi nuncij, qui explorarent securitatem transitus ad sinum maris Sancti Georgij, Hellespontum antiqui vocant.

Tertio Cal. Mar. venerunt Imperatori obsides Græcorum, quos postularat Fridericus Imperator.

Cal. Mar. dux Sueviæ exiuit Hadrianopoli cum suo agmine, sequenti die Dominus Imp. cum suo exercitu. 4. Non. Mar. transierunt Rima flumen cum magno labore, & eo die cantabatur, Lætare Hierusalem. 8. Id. Mar. audita sunt tonitrua horribilia, & imbres insolitos ruentes, fecerunt viam laboriosam hominibus & equis. 15. Cal. Apr. in die Palmarum fuimus in fletu & tristitia magna, quia equi penuria pabuli laborabant, in cœna Domini obijt Ainbicus de Haganaue, sepultus apud Abrusiam, inde venimus Callipolim ad traiectum freti. Græcus Imp. gratis navigium coactus misit, naves 1000. & 500. Galeas 27. misit. Septem diebus traducti sumus, per brachium Diui Georgij omnes incolumes vna cum Imperatore nostro, ne vnus quidem perijt. Inde legati Soldani Turcorum regis Iconium reversi. X. Cal. Apr. in Parasceue transfretauit sinum dux Sueviæ primus cum suo agmine. VII. Cal. Apr. transivit Dominus Dietpoldus Episcopus Bathauensis & dux Meraniæ cum societate sua, & primas partes Romaniæ intraverunt. V. Cal. Apr. quod erat quarta feria transiuit Dominus Imp. post transitum omnium peregrinorum.

IV. Cal. Apr. relictis bigis & quadrigis iter cum sagmis adgressi sumus, & per duos dies valde laboriosam & penuriosam viam habuimus. Tertia die intrauimus vallem quandam, vbi homines vino & cibarijs, & equi gramine optime reficiebantur.

IV. non. Apr. transiuimus Digam fluvium, sequenti die Anelonicam fluvium cum magno labore, & rerum iactura, lutosam & vallosam viam habuimus. VII. Id. Apr. intravimus stratam, quæ venit de Constantinopoli, & Tragonium & Iconium tendit, tunc transituri per quædam deserta Romaniæ præparavimus equis & hominibus necessaria ad septem dies. V. Id. Apr. intravimus vallem Ascaratanam, ibi exercitus ex maxime parte cæpit murmurare propter forum. XVIII. Cal. Maij. venimus ad castellum Coloniora, quod vacuum invenimus, inde Thyatyram venimus, cuius fit mentio in Apocalypsi. XI. Cal. Maij, venimus Philadelphiam, inde quendam mon-

tem transivimus maximo labore. Equi ex maxima parte defecerant, & omnia nobis necessaria, præter panem, nobis consumpta erant. Inde minorem Tripolim venimus, inde Hierapolim, vbi passus sanctus Philippus Apostolus, venimus: Ipsa erat deserta à Turcis ob metum nostrum. Ibi flumen, quod Meander minor vocabatur, traiecimus, & Turcorum ditionem intravimus qui omni humanitate & hilari vultu nos exceperunt, forum pro posse nostro exercitui administrarunt. Tunc accessimus ad campos Laodiceæ, quæ sita est in pede cuiusdam montis altissimi, vltra quem Ephesus est, bonum hic forum habuimus. Dicebatur rex Francorum Ludovicus ibi devictus fuisse à Turcis, & Dominus Otho Frisingensis Episcopus in expeditione Conradi Regis. Inde intrauimus desertissima loca Turciæ, descendentes iuxta lacum salinarum in terra horrorum & salsuginis: ibidem invenimus greges ouium, caprarum, agnorum, & hædorum, boum, equorum, camelorum, asinorum, circiter 5000 Quæ omnia fuerunt agrestium Turcorum, qui in adventu nostro exterriti, relictis tentorijs & filtris, montana profugi ascenderant. Sed quia arbitrabamur Turcos nobis pacificos & amicos esse, nihil rerum quæ nobis desiderabilia & necessaria erant, attigimus. Nocte illa in capite laci, nec gramen nec herbas, nec frondes invenimus. Sequenti mane invenerunt nos mille mala seculis inaudita. Nam Soldanus rex regionis illius misit non paucas copias contra nos. Turci equites & pedites sine intermissione quotidie nobis insidiãdo, more canũ circũlatrando, iaculis & incursitationibus nos vexarunt fatigaruntq;.

Cal. Maij remisit Dominus indignationem, quæ peccatis nostris exigentibus valde super nos incanduerat, volens respirare populum suum. Dum enim prædicti Turci castra nostra quæ exieramus, mane intrarent, vt colligerent, quæ populus noster cum propter lassitudinẽ ferre nõ poterat, dereliquerat, Imp. noster de industria fumum fieri præcepit, & Turci sicut obcæcati subito à nostris occupantur, 300. Turcorum occisi sunt, reliqui verò se in montanis continentes Susopolim vsque per valde laboriosam viam insecuti sunt.

VI. Non. Maij iterũ persecutores crucis 300. ferè à nostris interfecti sunt, & nos omnes in maximo rerum defectu fuimus.

V. Non. Maij, plus quam 30000. Turcorum in quadam arctissima clausura convenerant, per quam nos transituri eramus. Vbi rex Græcorum Emanuel cum maximo exercitu à Turcis superatus fuerat, eodem modo nos delere volebant Turci, sed infatuauit Deus consilium Achitophel, quia Imp noster spiritu Dei præmonitus, iussit exercitum transire per quendam altissimum montẽ, vbi plus quam mille equi perierunt. In mente habete omnes diem illum, in quo altum & laboriosum istum montem transivimus, in descensu montis, spatiosam terram, & maximam copiam gre-

gum

gum invenimus, sequenti die Turci circumvallarunt nos, & die ac nocte sagittis & incursionibus acriter infestauerunt.

Quarto Non. Maij, validissima fames cœpit esse in exercitu, & nuncij Soldani recesserunt fraudulenter à nobis captiuato Gotefrido, tunc liquido cognovimus, quod aurũ Soldani & amicitia sit versum nobis in scoriã, & quod ipse & Turci & Græci in hoc conspirarint, vt fraudulẽter nos, quoniã vi nõ poterant, interimerent, sed de his omnibus eripuit nos Deus Omnipotens.

Non. Maij, Turci existimantes, nostros omnes inedia extabuisse, hora vespertina, castra nostra, fundis, iaculis, lanceis potenter invaserunt, sed exercitus viuificæ crucis incursitationib. Turcorum viriliter occurrit, ita vt duo nostratium fugarent X. millia hostium, auctoribus duce Sueviæ & duce Meraniæ ex Bauaria, de castro Andechs. Sex fere millia Turcorum interfecta sunt, & nisi nox & montana Turcos salvassent, omnes Turci gladijs nostris perijssent. VI. Id. Maij, audierunt nostri tubam Soldani & vexillum eius viderunt, sicut referebat Turcus captivus, qui nos ducebat. V. Id. Maij, omnis fortitudo Turcorũ occurrit, mõtes & valles impleuerũt. Nostri timorem & fugam simulant, Turci illecti magnis clamoribus impetum in nos faciunt. Nostri subito se regyrantes, 200. occiderunt Turcos, & in monte circa civitatẽ Sirma plus quã 50. III. Id. Maij, quæ erat Pentecoste, quies à Deo nobis data est. Sequenti die, id est Prid. Id. Maij, & feria secunda pentecostes, filij Soldani collectis trecentis millibus equitum, acies instruxerunt vt nobiscum dimicarent. Imperator noster primam aciem ordinat, & viriliter occurrit, Turcos in fugam vertit. Cuidam etiam religioso laico apparuit angelus hasta prosternens Turcos, in descensu itaque montis, vnde primam aciem Turcorum fugerant nostri, acies Imperatoris plus quã decem millia militum electissimorum Turcorũ strauit, & alium montem (quem dicti filij Soldani cum copiosa multitudine Turcorum & regia buccina occupaverant) Imp. lente ascendit, continuo Turci illi terga dant, & quia de nacta victoria, Deo hymnum non cantavimus, dignas soluimus pœnas. Nam post nimium laborem & calorem, & occasum solis, exercitus in deserto arenoso diuisus, & pulueruloſa nebula fuit, & sicut oves palantes inimicis circumgyrantibus hinc inde erravit, tandem signa exercitus repperit, & castra, absque gramine & aqua metati sunt, fama & labore viæ nimiũ defatigati sumus, vsq; Iconium venimus, sequenti mane, hoc est, Idib. Maij, sicut præmortui itinerantes, aquã in prælustrib. locis invenim⁹, & in illis equi aliquantulũ refocillati sunt, ibi magnus Melach Satrapa Soldani, misso legato, dixit: si Imp. noster & exercitus darẽt 300. cẽtenarios auri & terrã Armeniorũ, velint Turci transitũ concedere, & post tres dies forũ exhibere. Imp. noster, vt solet, mansuete respondit, Nõ est imperij nostri & Christianorũ & militię viuificæ crucis, viã auro & argẽto emere, auxilio itaq;

Domini nostri Iesu Christi cuius nos milites sumus, iter ferro est aperiendum: Nuncius Turcorum igitur recedens dixit, si hac nocte non revertar, certi sitis, quod cras ante horam tertiam, Turci cum omnibus copijs vobiscum pugnabunt. Sed quia exercitus noster & equi confecti inedia & fame erant, cœpimus valde tristari & mœsti esse. Deus tamen adiutor in tempore, qui mavult parcere, quam flagellare, inspiravit in corda Episcoporũ. & ipsi populum excitarunt, & hortati sunt ad implorandum Deum, & S. Georgium, qui cum sancto victore visus est aliquoties cum agminibus angelorum nos comitari & adiuvare. Laudibus igitur, hymnis, ieiunijs, multis suspirijs & lachrymis opem divinam imploravimus. Imperator itaque licet clam annebatur de castris crastinæ diei, quæ habere proposuit in ferali horto & viridario Soldani, dixit amicis suis: Si cras Deo iuvãte prospere tentoria figere poterimus, maximum erit argumentum tranquillitatis futuræ.

Mane facto 16. Cal. Iun. audita sacra missa communione accepta, pedetentim, ita vt infirmi sustinere possent, processimus. Turci innumerabiles in modum lunæ corniculatæ nos circumdederunt, & clamoribus & incursitationibus non tamen multum nobis nocuerunt, ita simul absque detrimento ad castrorum locum pervẽtum est, ex Turcis 30. occubuerunt. Ingressi itaque hortum regium, vbi castra locavimus, invenimus ibi abundantiam aquæ & graminis, nocte illa tonitrua & imbres insoliti nos vexarunt. Mane facto Imp. duas acies ordinat. Primam committit filio suo duci Sueviæ, secundam ipse gubernat, in medio sacerdotes, milites inermes, vulgusque cum sarcinis & impedimentis procedere iussit, edicitque ne quisquam de præda aliquid contingat, donec hostes strati, & Iconium ciuitas capta & subdita sit. Dum itaq; in procinctu sumus, legati Soldani & filij eius adsunt, pacem petentes. Imperator respondit, si legatum meum, quem captivum detinetis, mihi reddideritis, & prudentes miseritis viros, qui id negotium componere sciant, pacem vobis, dominoque vestro dabo. Nuncij Turcorum his dictis ab Imperatore discedunt. Imperator post discessum nunciorum, cum intelligeret omnia fraude agi & differri, iubet filium procedere, qui vt iussus à patre ad portam ciuitatis Iconiensis accedit, ibi occurrit Gotefridus de captivitate liberatus, dixitque; Benedicti vos Domino, procedite confidenter, tradidit Dominus ciuitatem & terram hanc in manus vestras. Soldanus igitur cum 600000. dubium an fraude obuiam venit exercitui, visa prima acie, terga cum suis vertit, in castrum quod supereminet ciuitati, fugit, quo etiam confugerunt pene omnes cives, divites & pauperes, cum preciosa supellectile, auri, argenti, vestium, annonæ, equos, asinos, armenta, locis munitis includunt.

Dux itaque Sueviæ, vsq; ad portam castri munitissimi persecutus fugientes

tes Turcos, civitatem cum Turcis velut vna acie intravit, omnes quos reperit, ferro occidit, pueros & mulieres. Interim acies Imperatoris, quæ extra portas civitatis adhuc longe fuit, hoc ignorabat, ipsa circumdata innumeris Turcorum copijs, & tanto impetu lassata, mortem imminentem expectabat. Episcopi & sacerdotes plurimi, stolis colla circumdederunt, quasi iam morituri, pari voto cupientes sanguinem pro Christo fundere, ita & milites parati fuerunt, pro Christo mori. In medio erat Imper. invictissimus, qui lachrymis suffusus dixit, si exercitus integer esset Antiochiæ, maxime meo periculo hoc vellem. Et cum hoc dixisset, cunctis lachrymantib. subiunxit, sed quid moramur? quid tristes sumus? Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat: Hæc est merces militum Domini, taliter pervenitur ad regnum. Venite commilitones mei, qui regnum cælorum comparare sanguine vestro existis de terra vestra. Hæc dicens, licet multo esset defatigatus labore, animi tamen nobilitate maior Machabæo. Ipse primus in gyrum verso equo, cæteris audacter subsequentibus irruit vt leo in hostes, nec mora, hostes terga vertunt, ne vnus quidem manum contra levat, decem ferè millia Turci amiserunt & nisi debilitas militum nostrorum obstitisset, castrum ea nocte fuisset expugnatum. Milites enim nostri per 40. dies incredibili & inaudita laborabant inedia & fame. Post victoriam Imp. cum exercitu civitatem ingreditur, magnificè à filio & socijs excipitur, ibi de præda fames nostra extincta est, inventa sunt foveæ cum tritico & ordeo, aurum & argentum plus quam 100000. marcarum, inventa in domo magni Meloch, thesaurus maximus, qui à Soldano cum filia illi dos datus erat.

Sequenti die 14. Cal. Iun. gratias egimus Deo, Missa (Charitas Dei diffusa) & Epistola, in qua Iconij mentio fit, lecta est. Soldanus & filius eius & Almurati, licet castrum fortissimum retinerent, mittunt supplices legatos, pacem petunt, misericordiam implorant, ne malum pro malo reddatur orant, se omnem honorem exhibituros, & mulctam quam Imp. vellet, passuros se offerunt, ad mitigandum Imperatoris animum. At quia Imperatori non erat animus inducias dare, communicato consilio cum Principibus ita respondet: Soldanus Dominus vester iuxta amicitiam diu cum imperio nostro habitam, Legatos suos ad nos misit, & ad terram suam invitavit, securum iter & comeatum nobis pollicitus. Præterea alij nuncij, & filij sui nos Adrianopoli adierunt, longè plura prioribus offerentes, qui etiam nobiscum terram istam ingressi, viderunt nobis pro securitate viæ arcus, tela, gladios, lanceas, omne genus armorum, crebras incursitationes, insolitos clamores exhiberi, pro bono foro magnus Meloch cum omnibus copijs, hostili animo, sicut aper nos circumdedit, & exarsit in nos, sicut ignis in spinis, & tamen in nomine Domini nostri Iesu Christi Romanus Impe-

rator aduocatus peculiaris terræ Palestinæ, hostes penetrauit securus, & fugata multitudine hostium tradidit Deus ciuitatem. Sed quia Romanus Imperator, (cui semper adesse debent misericordia & veritas) nouit magis parcere quam ferire, pacem Dominis vestris damus, dummodo detis obsides ad arbitrium nostrum, & iter securum & commeatum per terram vestram. Talibus auditis nuncij, cum magno gaudio Soldano & filijs eius hæc retulerunt, & breui postulata perfecerunt Turci, dati obsides decem Almurati, & alij decem magni Barones, quos nobiscum filios, senes, nobiles Antiochiam captiuos duximus.

X. Cal. Iunij, exercitu exijt Iconium, iuxta regium hortum, vbi prius castra locata sunt, ibi forum & caro ad sufficientiam erant, ibi inter equos & mulos plus quam 6000. exceptis asinis, vendita, exercitus satis refectus, carne, butyro, caseo.

VII. Cal. Iun. inde mouim⁹ per spaciosissima & plana loca ad 40. fontes venimus. Sequenti die venim⁹ ad quandā magnā & potabilē aquā, ibi agrestes Turci non penitus cessabant nostros persequi. Imperator obsidibus ait, si Turci vestri non cessabunt nos ꝑsequi, forūq; ex cōdicto non exhibebitur, capitalem subibitis pœnam. Post parum mali intulerunt nobis. Inde venimus ad magnam villam, vbi vineta multa fuerunt, & parum aquæ. Laborioso deinde itinere ad aliam villam Pyrgos nomine venimus, vbi bonum forum habuimus, quieuimus vna die. Postera luce 3. Cal. Iun. venimus in ciuitatem Larandam, quæ diuidit Ciliciam, id est, Armeniam à Lycaonia, Iconium enim caput est Lycaoniæ. Nemo referre potest famem, sitim, perfidias, fraudes, insultationem, clamores, die nocteq; sine intermissione, quæ pertulit hilari animo Imp. & exercitus pro Christo. Dum igitur noster exercitus castra mouisset à Laranda, vbi vires aliquantulum receperat, ad quandam villam Armeniorum venimus, vbi in campis cruces fixas vidimus, ingens gaudium oritur, Diu enim nihil quod ad decorem religionis Christianæ pertineret, videramus aut audiueramus, progressi inde montana ascendimus, vix solis obicibus peruia, maximo labore transiuimus, ibi regionem Turcorum reliquimus, obsides constanter ex condicto postulabant dimitti domum, sed frustra, arctiore inde custodia à nobis obseruati sunt. Dum itaq; summitatem asperrimi montis, cum supremo labore attigissemus, occurrit Imperatori princeps Sibiliæ, vir potens & honoratus, cum omni deuotione Imp. excepit, & forum pro posse exhibuit. Est autem Sibilia castrum munitissimum, & Marchia Christianorum, à crebris Turcorum insultibus per ipsum præfatum Principem defensatur, descendendo de monte castrametati sumus, iuxta quandam magnam aquam & inuadosam, vbi equi nostri gramine refecti sunt, deinde recepti in quodam campo, vbi plurimum graminis erat, duos dies quieuimus, ibi inedia laboratum est, quidam equos vt prius, comedebant, principes & pro-

ceres tenues mensas per abrupta montium quæsitas, habuerunt. Descendentes igitur iuxta prædictam aquam Selephica nomine, iuxta lapideum pontem castrametati sumus, Occurrerunt ibi nobis honorabiles nuncij Domini Leonis de montanis (quæ Armenia dicitur) 7. Id. Iun. & more gentis inclinati, præcipiendi, ordinandi, de populo, de terra, omnem potestatem Imp. offerunt. Imp. sex viros prudentes apud se retinuit, & consilio ipsorum vsus de itinere, audiuit ab eis valde difficilem & asperam viam restare. Pijssimus Imp. condolens vt pater peregrinis suis celari iussit hoc, ne tædio viæ & penuria rerum opprimerentur tristitia, si tantos sibi imminere audirent labores. Indies enim læta, iucunda, boni fori exuberantia, nobis promittebantur, in contrarium tamen omnia cesserunt. Sequenti die 7. Id. Iun. maximo labore ad hospitium venimus, & exercitus propter incredibilem viæ difficultatem, non seruata constitutione progressionum, nec expectatis principum & societatum vexillis, sine ordine ruit, vnusquisq; pro posse suo alius aliũ anteire tentabat. Nocte illa maior pars exercitus, quédam altissimum montem in littore præfatæ aquæ protensum transiuit. obscuritas noctis impediuit, quod multum præruptæ semitæ pericula videri non poterant, quæ in die iter nostrum sequentes multum terruerant: hi in maximis angustijs fuerunt, ad lachrymasq; coacti sunt. Deferebantur Episcopi in lecticis ob ægritudines, & in angustijs semitarum prior equus, interdum posterior, domini & famuli miserabilem minabatur ruinam. Scutiferi dominos suos debiles per montem illum portabant. In descensu montis herbarum reperta abundantia, prandium sumsimus, aliquandiu quieuimus. Imp. & qui cum illo erant, iuxta consilium incolarum vitarunt periculum montis, in aurora, in litore fluminis supradicti, non minori labore quam illi, qui per iuga montium descenderunt, Nam quidam Episcopi, principes, & potentes relictis equis in quibusdam locis, vbi aqua à dextris, præcipitium montis à sinistris, periculum exitiale minabantur, manibus & pedibus sicut quadrupedes reptabant, læto tamen animo amore Christi. Exercitus qui noctu præcesserat ea die, id est, 4. Id. Iun. in campis Seleuciæ castrametatus est. Magna lætitia in campis Seleuciæ conuenimus, iam enim omnia pericula euaseramus, sed gaudium nostrum in luctum maximũ versum est. Nam 4. Id. Iun. qui erat tunc dies solis, circa vesperam, Seleuciæ, subito Imp. obijt. Exercitus tristitia dissipatus est, maior pars exercitus ducem Sueuiæ, filium Imperatoris, & alios principes, post luctum secuta est, milites sacramento adacti in verba filij Imperatoris iurarunt.

XVIII. Cal. Iul. Curcam venimus, ibi quidam naues ascenderunt, mareq; intrarunt. XIII. Cal. Iul. ad portam S. Simeonis venimus. XI. Cal. Iul. exercitus incolumis cum omni integritate Antiochiam intrauit, vbi ossa Imperatoris primũ humata sunt à filio in tẽplo ante arã S. Petri. Antiochiæ calamitas oppressit exercitum, subito cadebant, nec erat qui sepeliret,

Dietpoldus Bathavensis Episcopus 3. Non. Novembris obijt, apud Accaron sepultus est, sex antea Canonici eius mortui, Burchardus liber de Chame Archipresbyter, Vlricus præpositus de Ardachar, & Archipresbyter, Marquardus præpositus de S. Andrea, Rudigerus de Ahaim, Chunradus Prior inter eos & major, Tangeno Decanus Bathavensis, qui singula diligenter hæc scripsit & annotavit à prima egreßione à Bathavia, quæ facta est 17. Kalendas Iunij, vsq; dum exercitus venit Antiochiam sequenti anno 11. Kal. Iulij, & in Germaniam misit, ipse obijt apud Tripolim, ibiq; sepultus est. Dietpoldus qui & Theodovalda ille Episcopus Bathavensis Suevus fuit, à Berga oriundus, pater eius Theodovalda, mater Gisala ab Andechysio Boiariæ oriunda, Filia Bertholdi. Fratres eius Hildericus Bergensis regulus, Manegoldus Abbas Tigurinus, & Chremsminster & itidem Episcopus Batauensis, Otto Episcopus Fruxinensis, Henricus Episcopus Viridoburgensis.

FINIS.

